2.10.18

ANNALES

VELLEIANI,
QUINTILIANEI,
STATIANI.

SEU

VITÆ

P. Velleii Paterculi, M. Fabii Quintiliani, P. Papinii Statii, (obiterque *Juvenalis,*) pro temporum ordine, dispositæ.

Ab HENRICO DODWELLO A. M.
Dublinienſi.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO.
A. D. MDCXCVIII.

1393.12

ANNALIUM *VELLEIANORUM* ELENCHUS.

AB adoptione Tiberii *anno* Varr. *757. incepit* novennium *militiæ* Velleii *ſub eodem* Tiberio. §. 1. *Acta anni 758.* §. 2. *Deſunt in* Velleio *acta anni 759. quo anno* auxilia *ad* Tiberium *duxit* Velleius. §. 3. *Hoc anno* Velleius *Quæſtor* deſignatus *eſt.* §. 4. *Proinde annus urb.* Varron. *759. idem erat* ætatis Velleii *XXIV.* abſolutus. §. 5. Militiam Velleius equeſtrem *inivit anno Urb.* Varroniano 749. §. 6. *Conveniunt* majorum *à* Velleio *memoratorum ætates.* §. 7. *Conveniunt* tempora *etiam* coævorum. §. 8. *Primus* Velleio *in militia* equeſtri *gradus præfectura* cohortis. §. 9. *Ab illa* cohortis *præfectura ad* tribunatum *ann. 752. promotus eſt* Velleius. §. 10. *Cum* tribunatu *accepit* Velleius *etiam* laticlavium. §. 11. *Tribunatus* Velleii Caſtrenſis *qualis.* §. 12. *Illum inivit* Velleius *an. 754. tenuitque ad an. 757.* §. 13. *Horum omnium honorum* tempora *à* legibus *conſtituta fuiſſe videntur.* §. 14. Tribunatus *ille poſterior* caſtrenſis *opponebatur* beneficiario.

neficiario. *Præfectura* equitum *eadem quæ* alæ. §. 15. Legati *legionum non alii, illis temporibus, quam* tertii, *ad minimum, anni* Senatores. §. 16. *Anni* 759. *rebus geſtis pleriſque aderat* Velleius. §. 17. *Anno* 760. quæſtor, exeunte *tamen, cum* Tiberio, Velleius. §. 18. *Annus* 760. primus *belli triennis* Illyriciani *geſti à* Tiberio. §. 19. Legati *provinciarum omnes* Senatorii. §. 20. Velleius Auguſti *legatus, & tamen obnoxius* Tiberio. §. 21. Legatio Velleii & præfectura *quomodo invicem diſtinguendæ ſint.* §. 22. *Annus* 761. ſecundus *erat belli* Pannonici. *Lacuna alia in* Velleio. §. 23. *Locus* Velleii *de hujus anni* hibernis *explicatur.* §. 24. *Ea* hiberna *quomodo diſtributa fuerint.* §. 25. Velleius *poſtea* Tribunus plebis. §. 26. *Et quidem anno, ut videtur,* 766. §. 27. Tribunatum *inivit* Dec. X. 765. *depoſiturus* Decemb. *itidem* X. *anni* 766. §. 28. *Librum quem habemus cur anno* 783. *ſcripſerit* Velleius. §. 29. *Mors* Velleii *anno* 784. §. 30.

Annalium *Quintilianeorum* Elenchus.

QUintilianus, *cum* Domitium Afrum *audiret* ſenem, *ipſe* Juvenis *erat,* & Adoleſcentulus. §. 1. Ætas *illa* Juvenis *atque* Adoleſcentuli *ab anno XIV. pertingebat ad annum XVII.* expletum *ſcilicet.* §. 2. *Hæc erat* Adoleſcentia

Adoleſcentia imberbis ; *cæpit autem* Adoleſcentia barbatula *ab anno XVIII.* expleto, *pertigitque ad annum* primæ barbæ *ponendæ*, Ætatis *nimirum XXI.* §. 3. Quintilianus Adoleſcentulus, *cum moreretur* Domitius Afer, *an. viz. Ær.* Ch. *LIX.* §. 4. *Et quidem illa* Adoleſcentuli *ætate fere expleta. Natus proinde ſub* finem *anni Ær.* Ch. *XLII.* §. 5. Coſſutianus Capito *damnatus anno Ær.* Ch. 57, Adoleſcente Quintiliano. §. 6. *Auditus etiam à* Quintiliano Servilius Nonianus *eodem, quo* Domitius, *extinctus anno* Domini *LIX.* §. 7. *Conveniunt notæ* Pueritiæ *ejus, qua quidem nobis apparent.* §. 8. Galbam Quintilianus *in Provinciam* Hiſpaniam *comitatus eſt.* §. 9. *Docuit, exercuitque, ut videtur, in* Hiſpania, *ſub* Galba *Præſide, Artem ſuam* Oratoriam Quintilianus. §. 10. *In* Hiſpaniam *profectus eſt* Quintilianus *ann. Ær.* Chr. *LXI.* ineunte, Romam *reverſus ann. ejuſdem* Æræ *LXVIII. exeunte.* §. 11. *Inde arceſſendi anni XX. quibus* Scholæ *Publicæ* Romæ *præfuit* Quintilianus. §. 12. *Hæc* Hieronymus, *ut videtur, Auctore* Suetonio. §. 13. Docuit *certe* Quintilianus *multis ſub* Domitiano *annis*, abdicavitque *multis annis ante ejuſdem* finem. §. 14. Docuit *etiam ſub* Tito, *& ſub* finem *ſaltem* Veſpaſiani. §. 15. *Cum* docendi *munere munus etiam* Orandi *depoſuit, miſſus à* Domitiano *honeſte poſt XX. ejus in munere ſtipendium.* §. 16. *Cauſa* Nævii Apraniani *ab eo acta anno fortaſſe LXX.*

jam adhuc certe juvene. §. 17. *Pro Regina* Beronice *apud ipſam egit anno LXXVI. fortaſſe, vel ſequenti.* §. 18. Inſtitutiones *ſcripſit noſter poſt aliquot* annos *à* munere abdicato. §. 19. *Nec tamen cum ſcripſiſſet, ſtatim* edidit. §. 20. *Scripſit illas anno, ut videtur, XCII. & XCIII.* §. 21. *Certe poſt annum LXXXVI. quo inſtituti ſunt à* Domitiano *Agones* Capitolini, *& quo* Britanniam *tum primum circumnavigatam* Inſulam *eſſe deprehenderat* Agricola. §. 22. *Poſt* Octob. *XXIV. anni LXXXVI. quo* Juvenis *eſſe deſierat* Domitianus. §. 23. *Poſt anni XCI. finem quo* Julia *conſecrata eſt.* §. 24. *Poſt finem an. LXXXIX. quo finem* Argonauticis *videtur impoſuiſſe* Valerius Flaccus. §. 25. *Finis* Inſtitutionum *anno XCIV. recentior eſſe non potuit, quo pulſi ſunt ex Urbe* Philoſophi. §. 26. *Idem colligitur è* Marcelli *temporibus, ejuſque* filii. §. 27. *Pugnat ipſa* temporum *ratio quo minus noſter qui de* cauſis *ſcripſit* corruptæ Eloquentiæ, *idem Auctor eſſe potuerit Dialogi* de Oratoribus. §. 28. *Aliam poſtea* uxorem *duxit* Quintilianus, Tutilii *vel* Rutilii *Rhetoris* filiam. §. 29. *Nec* Socer Quintiliani, *nec* ipſe *adhuc* Senatorius. *Opponuntur enim* Senatoribus Rhetores. §. 30. *Non tamen illud obſtabat quo minus* nuptias filia *ejus conſequeretur* Senatorias. §. 31. *Secundam illam* uxorem *An. XCIV. duxit*, filiam *autem An. XCV. ſuſcepit* Quintilianus. §. 32. Superſtes *erat, ut exiſtimo*, Plinio *diſcipulo Præceptor* Quintilianus.

§. 33.

§. 33. Quintilianus *ornamentis* Conſularibus *inſignitus. Si quidem à* Domitiano, *anno Ær.* Chriſt. *XCII.* §. 34. *Non tamen propter illos* Domitiani nepotes, *ſed propter* Auguſtum *aliquem cujus* Præceptor *fuerit* Quintilianus ornamenta *illa* Conſularia *conſecutus eſt.* §. 35. Auguſtus *ille vix alius eſſe potuit quam* Hadrianus. §. 36. *Non ſibi conſtat recepta illa opinio, quod ſub* Domitiano *ſcripſerit, & à* Paride *actus ſit in exilium* Juvenalis. §. 37. *Ne* Veterum *quidem hic hallucinantium teſtimonia ſatis ipſa ſibi conſentiunt.* §. 38. *Miſſus eſt* Juvenalis *in* exilium *ab* Hadriano. *Et quidem anno Æræ* Chriſtianæ *CXVIII.* §. 39. *Eodem illo anno CXVIII. poſtquam* Romam *veniſſet* Hadrianus, *Satyras* omnes *ſcripſit, recitavit, ediditque* Juvenalis. §. 40. Quintilianus *eodem anno CXVIII. cum primum* Romam *veniret* Hadrianus, *honoratus ab eo* ornamentis Conſularibus. §. 41. Quintiliani vita *innocentiſſima.* §. 42. *Candor* Quintiliani *& modeſtia.* §. 43. *Etiam in* ſermone, (*quod rarum illo ſeculo*) bonis moribus *adverſa improbat*, ſcurrilitatem, maledicentiam, obſcœnitatem. §. 44. *Ne quidem* colores *adhiberi voluit niſi* bonis, honeſtiſque *de* cauſis. §. 45. *Vix tamen defendenda ejus in* Domitianum *tyrannum* adulatio. §. 46. Quintiliani *in Arte ſua Oratoria* experientia, & memoria, §. 47.

Annalium *Statianorum* Elenchus.

Sylvam IV. Libri IV. ann. Ær. Christ. *XCV. menſe* Julio *ſcripſit* Statius. §. 1. *Is* annus *fuiſſe videtur* Statio Juventutis *ultimus. Sed* cœptus *tantummodo, nec ante annum ſequentem* affectum *deſiturus.* §. 2. Juventus, *his* Statii *temporibus, ad annum* ætatis *cenſebatur XXXV.* §. 3. *Confirmatur illa* Statii *ætas ex ætate* Marcelli Victorii. §. 4. *Annus ætatis XVIII. apud* Romanos, *matrimoniis legitimus.* §. 5. *Poſt illam ætatem* vacatio *vel* annua *vel* (*ad ſummum*) biennis *antequam* Uxorium *penderent* cœlibes. *Proinde anno vel LXXX. vel LXXXI. uxorem* Claudiam *duxit* Statius. §. 6. *Eodem anno* Claudiam *duxit* Statius, *cœpitque* Thebaidem, *quam poſt annum XII. emiſit, paulo ante I.* Sylvarum *Librum, anno nimirum XCII.* §. 7. *Primum* Rheni *jugum anno LXX. Inde ſe* Germanicum *anno LXXXI. jam* Imperator *appellavit* Domitianus. §. 8. *Secundum* Rheni *jugum anno LXXXVI. quo victus fuerat* Antonius. §. 9. *Bellum* Domitiani Dacic. *I. in* Diurpaneum *anno LXXXV. II. in* Decebalum *anno LXXXIX.* §. 10. Claudiam *uxorem duxit* Statius *anno LXXXI. ante menſem* Julium. §. 11. Pater Statii *aliquot annis antea mortuus quam ſcriberet filius* Epicedium. *Vixit*

poſt

poſt ann. Dom. *LXXIX. Imo LXXXII.* §. 12. Ludi *illi quibus certavit Pater* Statii *alii erant ab* Auguſteis. Quadriennes *nimirum, non, ut illi,* Quinquennes. §. 13. *Hoc ex ipſo* Statio *probatur.* §. 14. *Ludi illi* Neapolitani *fortaſſe anni LXXXV. Vixeritque adeo* Pater Statii *ad* finem *anni LXXXVI.* §. 15. *Explicatur locus* Statii *difficillimus.* §. 16. *Mors* Statii *Patris ann. potius LXXXV.* exeunti *aſſignanda.* §. 17. *Natus* Papinius *Pater anno XX. ludis* Neapolitanis *vicit anni XXXIII.* Pythiis *anni XXXVI.* Nemeæis *anni XXXVII.* Iſthmiis *anni XXXVIII.* §. 18. *Scholam* Neapoli Grammaticam *aperuit anno XXXIX.* §. 19. *Poſtea* Romæ *etiam docuit. Certe ante annum LXIX. Forte* Sacerdos. §. 20. *Sylvas Libri I. antea aliquantiſper ſcripſit* Statius *quam* ederet. §. 21. Primam *Libri I. Sylvam ſcripſit, ut videtur, anno XC.* Statius. §. 22. Epithalamium Stellæ & Violantillæ *ſcripſit anno XC.* §. 23. Stella *majoris* Statii *diſcipulus fuiſſe videtur, minori condiſcipulus* & coævus. §. 24. Manlii Vopiſci *villam* Tiburtinam *laudavit anno XCII.* §. 25. Domitiani *Ludi* Seculares *anno LXXXVIII. habiti, ipſo, ut videtur,* Domitiani Natali. §. 26. *Eodem anno convaluit è morbo* Rutilius Gallicus. §. 27. *Natus* Rutilius *anno XXVIII.* §. 28. *Honores* Rutilii *à* Statio *memorati quibus* annis *aſſignandi.* §. 29. Rutilius Gallicus *Aſiæ* Proconſul *annis LXVII. & LXVIII.* Conſulatus *ei anno LXIX.* promiſſus, *non* geſtus.

§. 30.

§. 30. Africæ *Proconſul* Rutilius *anno, ut videtur, LXXV.* §. 31. *Anno LXXXVI.* Germanos *vincit*, Veledam *capit*, Dacos *ex Urbe montana fugat.* §. 32. *Præfectus Urbi* Rutilius Gallicus. §. 33. *Illam* Præfecturam *tenuit ab anno LXXXVI. ad* morbum *anno LXXXVIII. forte ad* mortem, *quæ non diu poſtea.* §. 34. *Sylvam V. in* thermarum *Dedicatione ſcripſit* Statius. §. 35. *Sylva VI. in Kalendas* Decembres *anni LXXXIX.* §. 36. Sylva *I. Libri II. paulo antea ſcripta quam ederetur.* §. 37. *Eodem anno &* reliquæ *hujus Libri* Sylvæ. §. 38. *Lib. III.* Sylva *I. poſt Id.* Auguſt. *anni XCIV.* §. 39. *Iter* Syriacum *ſuſcepit* Metius Celer *anno XCII. antea quam* Thebaidem *ederet* Statius. *Sed* Propempticon Statius *ne* ſcripſit *quidem ante an. XCIV.* §. 40. *Deceſſit* Hetruſcus *anno XCIV.* §. 41. *Natus* Hetruſcus *Pater ann. Æræ* Chriſtianæ *XXII.* §. 42. *Alia ad* Hetruſcum *ſpectantia, eorumque* tempora. §. 43. *Aliorum ejus honorum tempora.* §. 44. *Comam* Earini *votivam celebrat* Statius *anno XCV. ineunte.* §. 45. *De ætate* Earini. §. 46. *Anno XCV. L. III. Sylva ultima ſcripta.* §. 47. *IV. Libri Sylvas tres priores menſe, ut videtur*, Januario *ſcripſit* Statius. §. 48. *Hoc anno cœpta* Achilleis *poſt menſ.* Julium. Septim. Severus & Marcellus Victorius Statio *ſub Patre* condiſcipuli. §. 49. *Sylva VI.* hyeme *nondum finita, antequam* Roma *diſcederet* Statius. §. 50. Sylvæ *VII.* Juniique Maximi

Maximi *tempora.* §. 51. Julius Menecrates *Pater nepotis neptiſque* Pollii *alibi memoratorum.* Pollia *non* ſocrus *ejus, ſed in ſocrus* locum affectumque *ſucceſſerat.* §. 52. *Liberorum* Julii Menecratis, *ipſiuſque, anni* natales. §. 53. Plotius Grypus *à* Statio *memoratus alius ab eo cujus meminit* Tacitus. §. 54. *L. V. Sylv. I. poſt annum à morte* Priſcillæ. *Munus* Abaſcantii. §. 55. *Iter* Criſpini *anno ſuperiori. Non idem hic cum* Clodio Criſpino *COS. an. CXIII.* Criſpini Bolanique *anni* Natales. §. 56. Bolani *munus* Caſtrametatorium, *Præfectura* Britanniæ, *Proconſulatus* Aſiæ. §. 57. Conſulatus Bolani *ſuffectus,* & Proconſulatus Aſiæ *poſt ann. LXXVII. & ante ann. XCIII.* §. 58. *Rerum* Criſpini *aliarum tempora.* §. 59.

ERRATA.

P. 8. l. penult. *qualis.* P. 20. l. antep. illum. P. 29. l. 17. 18. *Thraſeam.* P. 71. l. 5. 6. accenſitus. P. 82. l. 10. ad rem. P. 111. lin. pen. dimiſit. P. 113. l. 9. XCI. P. 124. l. 23. *Commodi.* P. 149. l. 30. Pergit. P. 155. l. 22. 23. obſervârint. P. 157. l. 25. Auctoritatem Cl. *Ryckius.* P. 161. l. 1. ut ſi. P. 171. l. 30. ea cauſa erat, quod P. 183. l. pen. *Sabino* COS. P. 184. l. 3. adhuc anno. P. 190. l. 1. *Principem.* P. 202. l. 26. amorum. P. 215. l. 23. Æræ Chriſtianæ. P. 217. l. 20. id. P. 218. l. 12. Αγυϊα. P. 233. l. 9. Percurramus. P. 236. l. 3. à *Vict. Dac.* P. 238. l. 17. tempore. P. 249. l. 27. Ille. P. 255. l. 5. *-dius,.* P. 262. l. 24. del. in. P. 283. l. 24. 25. *Quinctili.* P. 287. l. 16. atque *Ordinis.* l. 20. pro XX. lege Vicenario. l. 21. pro LX. leg. Sexagenario.

Ad p. 81. l. 24. poſt *Cenſores.* Adde:

Annum certe *Ætatis* XVIII. his *Rhetoricæ* ſtudiis addici ſolitum docet Inſcriptio *Gruteriana* MXXXV, 12.

ΟΚΤωΚΑΙΔΕΚΑΤΟΥ ΜΕ ΚΑΤΑΡΧΟΜΕΝΟΝ ΑΥΚΑΒΑΝΤΟC ΑΡΤΙ ΤΕ ΡΗΤΟΡΙΚΗC ΕΡΓΑ ΔΙΔΑCΚΟΜΕΝΟΝ &c.

ANNALES
VELLEIANI,
SEU
VITA
VELLEII PATERCULI
Pro *temporum* ordine disposita.

§ I. *NATALEM Vellei* nostri *annum* ego ita eliciendum existimo. [1] *Finita Equestri militia, Quæstorem* se *designatum* fuisse dicit, cum deficeret *Marobodnus*, sociosque defectionis, non *Germanos* modo, sed *Pannonios* etiam & *Dalmatas*, adsciscerct. Hanc defectionem anno urbis *Varroniano* 759. tribuit *Dio*. [2] Sic tamen ille ut *plurium annorum* gesta in unum eundemque annum conferat. Hoc enim anno *ortum* belli *Germanici* memorat, *primamque Tiberii* in *Germanos* expeditionem. Sed propria *hujus anni* acta hujus belli *ultima* fuisse intellexit, quæ erant cum hoste *Marobodno*, sociisque ejus *Pannoniis* atque *Dalmatis*. Id quod verum fuisse noster nos docuit ipse *Velleius*, qui in belli hujus progressibus designandis *Dione* certior est testis atque accuratior. Sic itaque *Velleius*. [3] *Adoptatum* ille *Tiberium* testatur V. Kal. *Julias, Junii* nimirum die XXVII. sub Coss. *Albo Cato* & *Sentio Saturnino*, qui anno *Varroniano* 757. magistratum inibant. Mox autem ab *adoptione* in *Germaniam* missum esse idem docet *Velleius*. [4] *Non diu* (inquit) *vindi-*

Ab *adoptione Tiberii* anno *Var.* 757. incepit *novennium* militiæ *Velleii* sub eodem *Tiberio*.

1 *Vell.* L. II. c. 111. 2 *Dio* L. LV. 3 *Vell.* L. II. c. 103. 4 *Vell.* L. II. c. 104.

cem

cem cuſtodemque imperii ſui morata in urbe Patria, protinus in Germaniam miſit. Itaque ipſo *illo* anno, quo fuerat ab *Auguſto adoptatus*, miſſus in *Germaniam* eſt *Tiberius*. Inde factum ut illius anni [1] *Æſtiva* in menſem uſque *Decembrem* perduxerit. *Æſtiva* nimirum intelligit *Velleius militaria*; quæ *hibernis* opponebantur, itidem *militaribus*. *Æſtiva*, inquam, rebus *gerendis* apta, quæ ſub *pellibus* egerit exercitus, & in *caſtris*, pro re nata, *mobilibus*; cum *hiberna* in *caſtris* ſoleret agere potius *ſtativis*. Nec ſane res à *Tiberio* hoc ipſo anno geſtæ patiebantur, ut, qui poſt *Junii* XXVII. in *Germaniam* venerat, in *hiberna* ſeſe ante menſem *Decembrem* recipere potuerit. *Subactos* enim tradit *Velleius* hoc anno *Caninefates*, *Attuaros*, *Bructeros*, *receptos in fidem Cheruſcos*, *tranſitum Viſurgim*, *penetrata Germaniæ ulteriora*. Obſtat præterea ne in ſequentem annum rejiciatur *Germanica* illa *Tiberii* expeditio, quod [2] *operum ejus per annos continuos IX. ſe ſpectatorem* fuiſſe, aut *adjutorem*, jactet ipſe *Velleius*. Exire illi anni non poterant ante annum *Varronianum* 765. quo rediit è *Germania* ita *Tiberius* ut eo *nunquam* poſtea ſit reverſus, paulo tamen antea quam parem acciperet cum *Auguſto* in provincias poteſtatem. Ita certum eſt res *Tiberii* in *Germania* geſtas hoc ipſo *adoptionis* anno 757. *initium* accepiſſe. Fieri aliter non potuit ut vel minimam anni *noni* partem *Velleius* egerit in militia *Tiberii*.

Acta anni 758. §. II. Sequitur in *Velleio* annus alius, cujus *vere ineunte* redierit *Tiberius* in *Germaniam*. Jam [3] *perluſtratam* dicit *armis totam* fuiſſe *Germaniam*. Jam *victas gentes pæne nominibus incognitas*. Jam *receptas Cauchorum nationes*. Jam *fractos Langobardos*, *gentem etiam Germana feritate ferociorem*. Jam *ad quadringenteſimum miliarium à*

1 *Vell.* L. II. c. 105. 2 *Vell.* L. II. c. 104. 3 *Vell.* L. II. c. 106.

Rheno

Rheno uſque ad flumen Albim Romanum cum ſignis perductum fuiſſe tradit exercitum. Hæc hujus anni geſta huic *æſtati* tribuit *Velleius*. Certior nimirum ille, pariterque minus confuſus, *Dione* [1] teſtis, qui *triennii* integri acta *anno illo* memoravit quo triennium *exierit*. Et tamen ne fidem illi detrahamus, ſunt etiamnum in *Dione plurium* annorum ſatis luculenta veſtigia. Hæc enim erat [2] *ſecunda* illa *Tiberii* in *Germanos* expeditio, *ſecundi* nimirum *anni* hujus belli *Germanici*, quo (accerſito in *Germaniam Delmatiæ* Præfecto *Valerio Meſſalino*) *Delmatis Pannoniiſque* occaſionem oblatam teſtatur *Dio* rerum novandarum. Binas enim *uno* eodemque *anno*, & in eandem *provinciam* expeditiones fuiſſe parum veriſimile eſt. Hæc etiam [3] *ſecunda* illa *pax* tam à *Tiberio* quam etiam *Sentii Saturnini* opera, eodem *Dione* teſte, *Germanis* conceſſa, quem tamen certe *Saturninum*, in hoc ipſo bello *Germanico* ſocium habuit *Tiberius*. Tum in *hiberna reductis legionibus* ad *urbem* ipſe properat *Tiberius*. Sic enim noſter docet *Velleius* [4]. Proinde miror cur *ſæpe revocatum* ab *Auguſto* dicat tamen *perſeveraviſſe* [5] *Suetonius*. Errore aliquo illum ſuſpicor ad bellum hoc *Germanicum* retuliſſe, quod auctor ejus rectius ad ſecutum *Delmatarum Pannoniorumq*; bellum retulerat. Tunc enim certe *Tiberium* de *mora* ſuſpectum agnoſcit *Dio* [6]. Ex quo illum *ſæpe revocatum* facile colligimus. Hæc ſane niſi de anno *Varroniano* 758. intelligi non poſſunt.

§. III. Tum demum ſequitur motus *Marobodui*, quo *concitata eſt ad arma* Deſunt in *Velleio* acta anni 759. quo

1 *Dio* L. LV. anno 759. 2 *Dio* ib. Ὅτε Τιβέριος ἐπὶ τοὺς Κέλτας τὸ δεύτερον ἐστράτευσε &c. 3 *Dio* ib. ἐπειδὴ μὴ μόνον ἄπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον φοβηθέντες αὐτὸν, ἐσπείσαντο. 4 *Vell.* L. II. c. 106. 5 *Suet.* Tib. c. 16. 6 *Dio* L. LV. anno 760.

anno *auxilia ad Tiberium duxit Velleius.*

non *Marcomannia* modo, ſed & *Pannonia* etiam atque *Delmatia*. Et ſolum tamen *Maroboduum* proximo anno aggredi ſtatuiſſe *Tiberium* diſertis teſtatur verbis idem ipſe *Velleius*. [1] Eo fine *Sentio Saturnino mandatum, exciſis continentibus Hercyniæ ſilvis, ut legiones Boiohæmum, quæ regio erat Marobodui, duceret. Bohemia* illa fuiſſe videtur hodierna. Hæc ille ſuperioris anni, ut videtur, fine. *Saturninum* enim *Tiberio* comitem addit *Velleius*, poſt *hiberna*, cum aggrederetur *Maroboduum* ipſe *Tiberius*. Hic ego *lacunam* in *Velleio* eſſe ſuſpicor, (de qua tamen nulla adhuc apud Eruditos, quod quidem ſciam, hactenus ſuſpicio) qua *belli exitum* quem hoc anno *tertio* habuerit, diſtinctius enarraverit. *Locum lacunæ* fuiſſe puto poſt verbum *duceret*. Sequuntur deinde illa: [2] *Ipſe à Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt*. Nam non cohærent illa cum verbis proxime præcedentibus. Quis enim quæſo *ipſe* ille de quo meminit *Velleius*, qui *exercitum* illum duxerit qui merebat in *Illyrico*? Non aliquis certe cujus mentio *præceſſerat* in *Velleio*. Non ipſe *Tiberius*, qui jam erat, non in *Illyrico*, ſed *Germania*, de quo etiam, paucis interpoſitis, illa ſubjungit: *Præparaverat jam hiberna Cæſar ad Danubium*. Alius itaque à *Cæſare* Præfectus ille exercitus *Illyriciani*. Multo minus *Saturninus* qui *alia* prorſus *via* miſſus in *Maroboduum* fuerat à *Tiberio*. Non alius erat *ipſe* ille à *Velleio* memoratus quam *Valerius Meſſalinus*, quem *Illyrico præpoſitum* agnoſcit ipſe [3] *Velleius*, *Delmatiæ* ac *Pannoniæ* [4] *Dio*. Duas enim illas provincias *Illyrici* communi nomine complectebantur. Accivit illum ex *Illyrico Tiberius*.

1 *Vell.* II. c. 109. 2 *Vell.* ib. 3 *Vell.* L. II. c. 112. 4 *Dio* L. LV. an. 759.

Conve-

Convenitque iter à *Velleio* deſignatum. *Carnuntum* in *Pannonia* ponunt *Veteres*. Rectèque eo *Pannoniæ Delmatiæque* Præfectus iter fecerit *Tiberium* verſus qui *hiberna* ad *Danubium* paraverat. Recte nimirum moturus in *Maroboduum* & *Marcomanniam*. Deſunt ergo acta *tertii* hujus anni in *Maroboduum*. Deeſt & prima *Valerii Meſſalini* mentio unde pendebant ea quæ poſtea ſequebantur. Hæc tamen obiter. Adhuc certe duraſſe bellum ex ipſo diſcimus *Velleio*. [1] *Fractas* nimirum teſtatur ille *poſt adoptionem continua triennii militia Germaniæ vires*. Tria nimirum intelligit *æſtiva*, & ab *adoptione* ipſa deducta *continua*. Ita *æſtatis* hujus partem ſaltem aliquam impenderit in bellum *Germanicum* adverſus *Maroboduum*. Idque innuit, ni fallor, etiam in eo *Velleius* [2], quod bellum *Gætulicum*, unde *Coſſus* gentilitium *Gætulici* cognomen familiæ meruit, ante proximum quod ſequebatur bellum *Delmaticum* fuiſſe doceat *paucos annos*. Hoc bellum [3] *Dio* eodem tempore cœpiſſe dicit quo & aliud illud in *Germania*. Ita aliquot *annorum* fuerit oportet *coævum* quoque bellum in *Germania*. Et ſane poſt *duplicem* illam, *pacem tertiam* præterea memorat [4] *Dio*, quam tamen *celeriorem* agnoſcit propter motus *Pannonicos* atque *Delmaticos*. Et tamen hac eadem *æſtate* motus illos cœpiſſe neceſſe eſt. Moverat *Meſſalinus* ad *Tiberii*, ut è *Velleio* diſcimus, [5] *hiberna*. Itaque initio *æſtatis* antea quam *hiberna* reliquerat, aut in *hoſtem* moverat, ipſe *Tiberius*. Mox à diſceſſu ejus, *cunctatione*, [6] *Dio* inquit, *abrupta*, arma capiunt *Delmatæ* atque *Pannonii*. Inde *pax* illa cum *Maroboduo*, quam fuerat alioqui futura, *celerior*. Inde reverſus è *Germania Tiberius*, præmiſſus in provinciam ſuam *Meſſalinus* ea geſſit quæ *primæ*

1 *Vell.* L. II. c. 122. 2 *Vell.* L. II. c. 116. 3 *Dio* ib. 4 *Dio* ib. 5 *Vell.* L. II. c. 111, 112. 6 *Dio* ib.

belli *Pannonici æstati* tribuit [1] *Velleius.* Addit idem notam temporis aliam, *subitam* nimirum, cum agerentur illa, *rebellionem.* Itaque defectionis *initio* rediisse necesse est è *Germania Tiberium,* & brevem adeo ejusdem fuisse in eadem moram. Mox occupata est à rebellibus *Macedonia,* & brevi admodum tempore defectio longe lateque propagata est, ut non modo de sua defensione, sed de *Italia* etiam *invadenda* cogitarint. Inde tantus ille *Romæ* terror, ut *Senatum* moneret *Augustus,* [2] *decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romanæ venire conspectum.* Tum novæ illæ militum conscriptiones, quibus tandem effectum est ut *XV. legiones, paremque auxiliorum copiam* habuerit *Tiberius.* Tanto enim apparatu bellum illud in *Illyrico* à *Tiberio* gestum memorat [3] *Suetonius.* Illorum *partem ab Augusto traditam perduxit Velleius,* [4] *ad Tiberium, Quæstor* jam *designatus,* in annum scilicet *sequentem.* Sic illa omnia invicem cohærent, ut in alium *urbis,* quem dixi *annum Varronianum,* nempe 759. quadrare vix possit *Velleii* illa ad *Quæsturam* designatio. *Antiquiorem* non fuisse ex dictis constat. Sed ne quidem *serior* esse potuit. Ita enim matura erat, hac *æstate,* rebellium defectio, ita *præsens* inde metus, *decimi* nimirum *diei* itinere urbi ipsi imminentium; ut in *annum alterum* proferri auxilia illa non potuerint. Imo *hoc* ipso *anno junctos Velleius* [5] fatetur *exercitus,* aliunde nimirum accersitos. Nec junctos modo, verum etiam *eo unde venerant remissos.* Ita nimirum *mature* ut *asperrimæ hyemis initio regressus* postea *Siscíam* fuerit *Tiberius.* Et quidem hujus anni *hiberna Siscíæ Tiberio* fuisse atque *Messalino,* testem habemus disertum *Dionem* [6]. Ita certum est, hoc ipso

1 *Vell.* L. II. c. 112. 2 *Vell.* L. II. c. 111. 3 *Suet.* Tib. c. 16. 4 *Vell.* L. II. c. 111. 5 *Vell.* L. II. c. 113. 6 *Dio* L. LV. an. 759.

anno

anno, poſt initium *æſtatis*, & tamen ante *hyemis* etiam *initium*, appuliſſe *Velleium*.

§. IV. Convenit præterea quod *hoc fere* eodem *tempore Agrippam, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo ſuo naturali erat, & jam ante biennium, qualis eſſet, apparere cœperat, patris atque ejuſdem avi ſui* [Auguſti] *animum alienaſſe ſibi*, idem teſtetur *Velleius*.[1] *Biennium* illud ab *adoptione*, quæ tantos illi animos fecerat, arceſſit. Quæ cum *eodem tempore* ſit facta, quo & illa *Tiberii*; proinde fieri vix poteſt quin biennium hoc ipſo deſierit anno, de quo agimus, 759. Nova hæc, ut videtur, alienatio à *toga virili* cœpit, quam ſumſerit *Agrippa* anno ſuperiori 758. Sic enim *Lucii Agrippæ* fratris *ferocia* prima apparuit cum *togæ virili* maturo *Caio* fratri *Conſulatum* rogaret. Inde *Auguſto* bonorum *paternorum* detentionem exprobravit, quod ſcilicet, *Romano* cenſu *vir*, eſſet jam in bonorum paternorum *poſſeſſionem* mittendus. Recte nimirum ille ſi *ſui* fuiſſet *juris*, nec in *alienam poteſtatem*, cum *adoptaretur*, emigraſſet. Paulo quidem *ſerius* ille, quam neceſſe erat, *togam* ſumſit, qui *anno* illo, quo fuerat *adoptatus*, annum ætatis expleturus erat XV. natus nimirum anno urbis *Varroniano* exeunte 742. cujus menſe *Martio* deceſſerat pater *Agrippa*, ipſe *Poſtumus* proinde appellatus, quod poſt *mortem* patris fuiſſet editus. Proinde conſentaneum eſt, ut *ferocia* illa mox ab *adoptione* manifeſta obſtiterit quo minus illi *togam* antea dederit *Auguſtus*. Id ſi verum ſit, ſpatio aliquo *magno* interpoſito *adoptionem* ſequi non potuit *prima* illa *ferocia*; nec alio quam hoc anno illud, quod *inde* cœpit, deſinere *biennium*. Accedit porro quod, cum moram *Tiberii*, in hujus anni *fine*, ſuſpectam, uti dixi, haberet *Auguſtus*; *Germanicum* deinde, *Tiberio* ſocium

Hoc anno *Velleius* Quæſtor *deſignatus* eſt.

[1] *Vell.* L. II. c. 112.

adjun-

adjunxerit. *Germanici* miſſionem *Dio* [1] illam ſequentis anni 760. initio aſſignavit, qui etiam illam miſſionis *rationem* addit, quod *Agrippam* alioqui expeditioni illi deſtinatum jam *abdicaverat Auguſtus* atque *relegaverat*. Sic etiam hoc anno 759. *Agrippa* ſupplicio illo multatus fuerit, & *partem exercitus* ad *Tiberium Quæſtor* jam *deſignatus* duxerit *Velleius*. Ita conſtat undequaque *Quæſturam Velleii deſignatam* in hunc eundem, quem dixi, *urbis* annum 759. eſſe conferendam.

Proinde annus urb. *Varron.* 759. idem erat *ætatis Velleii* XXIV. *abſolutus.*

§. V. Hoc ita conſtituto, *ætatem* inde *Velleii* colligimus, *annumque*, de quo nemo hactenus, *natalem*. *Ætas Quæſtoria*, quæ eadem erat primæ in *Senatum* admiſſionis, annus erat XXV. *labens* nimirum, expleto anno duntaxat XXIV. Verum hoc fuiſſe noſtris ad *Spartiani Hadrianum* [2] Prælectionibus oſtendimus. Conſtabat nimirum illud ſpatium è duobus intervallis in *Romana* diſciplina *militari* notiſſimis. Aliud *pubertatis* erat, ad annum *ætatis* [3] XIV. quo jam elapſo, *togam virilem* ſumere ſolebant, togam *prætextam* exuere, etiam *Senatorum* filii. Inde *militiæ tirocinium* [4] cœpiſſe ibidem oſtendimus, *cujus X. ſtipendio* finito, tum demum licuit *adoleſcentibus* etiam *nobilibus* honores petere *Senatorios*. Horum honorum primum *Quæſturam* fuiſſe ibi etiam obſervavimus. Itaque X. *ſtipendio completo* annus erat *Quæſturæ* non quidem *ineundæ*, ſed *ambiendæ* tamen atque [5] *deſignandæ*. Talis erat *Velleii* illa, de qua hoc anno legimus, *Quæſtura*, *deſignata* duntaxat. [6] *Finitam* dixit hoc anno *militiam* ſuam *equeſtrem*, quæ tamen talis fuerit, vix dum intellexiſſe videntur viri alioqui hiſtoriæ *Romanæ* peritiſſimi, cum ſit

1 *Dio* L. LV. 2 Præl. X. ad *Sp.* Adrian. §. 8. 14. 3 Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 1, 2, 3, 4, 5, 6. 4 Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 9. Præl. X. §. 9, 10. 5 Præl. X. ad *Sp.* Adrian. §. 12, 13, 14. 6 *Vell.* L. II. c. 111.

nihilominus,

nihilominus, in re literaria *Chronologica*, vel momentoſiſſima. Illam ergo intellexit *Velleius* militiam quæ viris etiam *familiarum ſenatoriarum* neceſſaria erat ad *honores*, uti dixi, *ſenatorios*, locumque in *Senatu* ipſo capiendum. *Equeſtris* autem propterea appellata eſt, quod alia eſſet ab eorum *militia* qui ordine *Equeſtri* eſſent inferiores, & à *militia* etiam *ſenatoria*. [1] *Gregalium militum* ſtipendia *plura* fuiſſe probavimus, ad *honeſtam* ſcilicet *miſſionem*, & *emerita* rite capienda, nunc ſcilicet XX. annorum, nunc XVI, nunc XIV, nunc etiam XII, in militia nempe *prætoria*. *Nobilium* alia cauſa erat, quibus militiæ *præmia* propoſita nulla erant *emerita*, ſed *honores*, præſertim *ſenatorii*. Nec enim in *ſenatum* admiſſi ſunt, etiam *cenſu* ſenatorio *nobiles*, ante [2] *annos* ſenatui *legitimos*. Nec ſatis erat *ſenatoria* etiam *ætas* ſine *legitimis ſtipendiis*. *Decem* erant ad minimum *ſtipendia* ad *ſenatum* plane neceſſaria. *Interim* in *ſenatu* non erant, ſed in *ordine* duntaxat *equeſtri*, familiarum quantumvis *nobilium pueri* atque *adoleſcentes*. Hoc adeo verum erat in familiis *privatorum ſenatoriis*, ut etiam tenuerit aliquatenus in *principibus* imperii *nondum* participibus, ſed *heredibus* duntaxat atque *candidatis*. Ne quidem ipſis, ante *ætatem* legitimam, ſoli locum in *ſenatu*, ſoli *honores ſenatorios*, dedere *natales*. Quamvis *frequentiores*, fateor, legamus in illis *Annariæ* legis *indulgentias*, & *pauciorum* etiam *annorum* ætatem, in hac cauſa *legitimam*. Interim *puerorum nobilium* [3] turmis præerant, *pueri* ipſi *nobiliſſimi*; & *juventuti equeſtri*, *principes* ipſi *juventutis* appellari ſoliti. Erant itaque ipſi etiamnum *equites* & *militia* eorum hactenus proinde duntaxat *equeſtris*. Et plane *ſenatoriæ militiæ* opponitur *equeſtris* illa *militia Velleii*. Ipſe ſe agno-

1 Præl. X. ad *Spart.* Adrian. §. 13. 2 Præl. X. ad *Spart.* Adr. §. 8. 14.
3 Præl. XVIII. ad *Spart.* Adr. §. 9, 10.

ſcit, cum *Quæſtor* eſſet tantummodo *deſignatus* [1], nondum fuiſſe *ſenatorem*. Et tamen *ſenatoribus* ſe *æquatum* obſervat, hoc ipſo nomine, quod *partem exercitus* ab urbe *traditi ab Auguſto perduxerit ad filium ejus*. Hoc nomine ſe *Quæſtoribus*, qui infimi omnium erant *ſenatores*, æquatum innuit; nec *deſignatis* modo, verumetiam magiſtratum illum quæſtorium *obeuntibus*. Ita nimirum *quæſtura ſuperioribus deſignata*, ut ad honorem quæſturæ *proximum ſuperioremque* fuiſſent *deſignati*, *tribunatum* ſcilicet. Sic enim *tribunatum* plebis *quæſtura* ſuperiorem probavimus, [2] ut *quæſturam* tamen *proxime* exceperit. Et tamen *deſignatus tribunus plebis* jam adhuc *Quæſtor* fuerat in magiſtratu ipſo conſtitutus, & proinde *Quæſtor* pluſquam *deſignatus*. Itaque *militiam* ſuam illam, qua *parti exercitus* ad *Tiberium* deferendi præfectus eſt, *equeſtri* ſua, itidem *militia*, ſuperiorem agnoſcit, & proinde *ſenatoriam*. Inde *miniſterium* illud ſuum *ſpecioſum* fuiſſe dicit, quod *Quæſtor* duntaxat *deſignatus*, nec adeo adhuc *Senator* ſenatoribus veriſque *Quæſtoribus* fuerit, per illud miniſterium, *æquatus*. Imo ita *Quæſtoribus*, ut ne quidem *quæſtoriorum* ſummi *Tribuniſque* proximi, ad *tribunatum* quippe *deſignati*, quæſturæque gradum fere *egreſſi*, miniſterium illud fuerint dedignaturi. Sic facile intelligimus, præfecturam illam *exercitus* ad *Tiberium deferendi* non aliis credi ſolitam quam *ſenatoribus* ad minimum *quæſtoriis*. Sic intelligimus *nobilem* fuiſſe *Velleii* familiam, cujus *militia prima* non *gregalium* fuerit *militum*, ſed *equeſtris*; cujus *honores* deinde legimus *ſenatorios*, ſine mentione tamen impetrati *laticlavii*, quod *ille* jus *avitum* à majoribus acceperat. Inde & *legitimo tempore* hanc *Velleii quæſturam* fuiſſe diſcimus, quod *proxime* militiam ejus *equeſtrem* exceperit, ne qui-

1 *Vell.* L. II. c. III. 2 Præl. XII. ad *Spart.* Adrian. §. 4, 5.

dem

dem ipſam *ſtipendiis*, ut videtur, *legitimis* protractiorem. Inde *ætate quæſtoria ſenatoriaque uno* fuiſſe *anno* juniorem, cum *quæſtura* ejus fuerit duntaxat *deſignata*, anno nimirum *ſequenti* obeunda; cum etiam talis fuerit quæ *nondum* illum fecerat *Senatorem*; cum denique *ſtipendia* ejus *decem* à *togæ virilis* ætate, annoque adeo XIV. expleto numeranda exceperit, quo *tirocinium* inire ut plurimum ſolebant. Ita conveniunt omnia ut prædictus urbis annus *Varronianus* 759. cum anno *ætatis Velleii* XXIV. concurrerit *explendo*. Sic *natus* fuerit anno ejuſdem æræ 735. noſter *Velleius*.

Militiam Velleius *equeſtrem* inivit anno Urb. *Varronia-no* 749.

§. VI. Hoc anno nimirum *exitum* habuere *decem* illa *ſtipendia*, quæ ille pro *militia* cenſet, uti vidimus, *equeſtri*. Ea proinde anno ejuſdem Epochæ *Varroniana* 749. *cœperint* neceſſe eſt. Nec ſane pugnant quæ de hac eadem *militia* ſua alibi tradit ipſe [1] *Velleius*. *Initia ſtipendiorum* ſuorum fuiſſe dicit cum *Caius Cæſar Auguſti* nepos cum rege *Parthorum* in *Euphratis* ripa congrederetur. Erat annus ille *Varronianus*, ut videtur, 753. *Brevi*, [2] ut ait *Velleius*, *ſpatio* poſtquam innotuerant *Juliæ Auguſti* filiæ *Adulteria*, quæ *Auguſti* Conſulatu *ultimo* quem geſſit anno *Varroniano* 752. *emanaſſe* idem teſtis eſt [3] *Velleius*: Certe antequam *tribunitiæ Tiberii poteſtatis* primum *quinquennium* ad exitum perductum eſſet. Ait enim *Velleius Caium* [4] *Tiberio honorem omnem ut ſuperiori habuiſſe*. Atqui *heredibus* imperii *deſignatis* non potuit alia ratione *ſuperior* eſſe *Tiberius* quam *tribunitiæ poteſtatis*. Imo eam ipſam cauſam habuit in animo *Velleius*. Hac enim *tribunitiæ poteſtatis conſortione* [5] *æquatum* illum *Auguſto* fuiſſe dixerat. Hoc, inquam, nomine *civium poſt unum* (*& hoc*

1 *Vell.* L. II. c. 101. 2 *Vell.* ib. c. 100, 101. 3 *Vell.* L. II. c. 100. 4 *Vell.* ib. c. 101. 5 *Vell.* ib. c. 99.

quia volebat) *eminentiſſimum.* Hoc ipſo denique nomine *fulgorem Tiberii orientium juvenum initiis obſtitiſſe.* Proinde innuit, futurum *alioqui*, ut *alios*, præter *Auguſtum*, *ſuperiores* habuiſſet. Imprimis proculdubio illos, quos dixi, *Cæſares.* Imò illam ipſam ob cauſam *tribunitia poteſtate Tiberium* ornaverat *Auguſtus*, ut *ferociam Lucii* retunderet. Inde inter *cauſas* cur *Tiberius* ſeceſſerit, eam recenſet *Suetonius*, [1] quod *adultis jam Auguſti liberis, loco & quaſi poſſeſſione uſurpati à ſe ſecundi gradus ſponte ceſſiſſet.* Et cum ageret de reditu *Tiberius* ab exilio *Rhodiaco*, elapſo jam *poteſtatis tribunitiæ* quinquennio, illo potiſſimum eſt uſus argumento, jam ſe [2] *ſecurum* eſſe ab illa, quæ olim fuerat cum *Caio Lucioque*, æmulatione; jam *corroboratos* illos, & *ſecundum locum facile tutari.* Imo, ne *aliò honorem* illum *Tiberio* habitum à *Caio* referamus, monet ipſe *Velleius* [3], præfectos provinciarum *omnes, viſendi ejus* [in ſeceſſu] *gratia ad eum convenientes, ſemper privato* (*ſi illa majeſtas unquam privata fuit*) *faſces ſuos ſummiſiſſe, faſſoſque eſſe, otium ejus honoratius imperio ſuo.* Hoc itaque exemplo *Caius* etiam ipſi *Tiberio* faſces *ſummiſerit*, eumque pro *ſuperiore* habuerit. Itaque *Tiberium ſuperiorem* agnovit *Caius*, nondum elapſo *tribunitiæ poteſtatis* quinquennio, quod tamen anno 753. deſiiſſe alibi [4] probavimus. Proinde illius anni *finem* præceſſerit oportet expeditio illa *Caii Parthica.* Sic tamen *initia* illa *ſtipendiorum* ſuorum intellexit *Velleius*, ut poſſit interim veriſſimum eſſe quod dixi, *aliud* fuiſſe eorundem & *antiquius initium*, ab anno uſque 749. repetendum. Addit enim deinde *Velleius*: [5] *quem militiæ gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, & P. Silio auſpicatus in Thracia Macedoniaque, mox A-*

1 *Suet.* Tib. c. 10. 2 *Suet.* Tib. c. 11. 3 *Vell.* L. II. c. 59. 4 Præl. XIX. ad *Sp.* Adr. §. 13, 21, 22. 5 *Vell.* L. II. c. 101.

chaia

chaia Aſiaque, & omnibus ad Orientem viſis provinciis, & ore atque utroque maris Pontici latere, haud injucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium, recordatione perfruor. Hic certe *militiam* habet *aliam* initiis illis *ſtipendiorum* ſuorum ſub *Caio Cæſare* poſitis *antiquiorem*; & ſatis *laxam* illam, ut limitibus à nobis conſtitutis reſpondeat. *Plurium* enim *annorum* fuiſſe neceſſe eſt quæ ſub *pluribus* fuerat *Præfectis*, & in *pluribus* itidem *provinciis*. Itaque *initia ſtipendiorum* ita intellexit, ut puto, *Velleius*, non ut *primam* militiæ *originem*, ſed ut *mediam* ejus partem *priorem*, vocibus illis deſignarit. Nec ſane incredibile eſt in duo *quinquennia* diſtributa fuiſſe *decem* illa ad honores *ſenatorios* neceſſaria *ſtipendia*, quanquam neminem habeamus (quod quidem ſciam) veterum qui verbis id *expreſſis* teſtatus fuerit. Quod tamen, ſi verum fuerit; ſic *initia* ſtipendiorum *primo quinquennio*, *finis ultimo*, fuerint aſſignanda. Sic *annuos* militum *tribunatus* in media parte diviſos [1] *ſemeſtres* fecerant. Sic *tributorum redituumque* locationes *quinquennes* erant. Sic & *ſupremæ*, vel ſupremis *proximæ*, poteſtates, *cenſoriæ tribunitiæque*; erant etiam ipſæ per ſimilia diſtributæ *quinquennia*. Nihil ergo vetat quo minus ſimilia fuerint in *decennali* etiam *militia quinquennia*. Imo ita fuiſſe certum eſt, cum breviorem *decennali* militiam nullo unquam tempore ad honores *ſenatorios* neceſſariam legamus. Non his certe, de quibus agimus, temporibus *Auguſti*. Ita neceſſario procedent noſtra de *Velleii* anno *natali* ratiocinia. Niſi forte aut *togam Velleius prætextam* ultra annos *pubertatis* protraxerit, aut *tirocinium* à toga *pura* confeſtim non inierit. Erant, fateor, qui ita fecerint, ſed *rari* admodum, à *negotiis* atque à *militia* abhorrentes. A norma autem, exempliſque fre-

1 Præl. XII. ad *Sp.* Adrian. §. 6.

quentiſſimis longe omnium certiſſima eſt argumentatio. Eam autem alibi probavimus fuiſſe, ut anno *ætatis* XIV. togam *virilem* ſumſerint, & *militiam* inierint. Nec eſt quod *Velleium* à norma diſceſſiſſe ſuſpicemur, virum certe, ſi quis alius, ingenio ſatis *militari*. Satis illud apparet è *militia* quam ſecutus eſt, non *civili* ſed *caſtrenſi*. Satis inde, quod *militiæ* gratia provinciam *quæſtoriam* remiſerit. Satis inde denique quod præmiis *militaribus* in triumpho *Tiberii* fuerit ornatus.

Conveniunt *majorum* à *Velleio* memoratorum ætates.

§. VII. Conveniunt porro cum hac *Velleii ætate* illorum *tempora* qui *Velleium* ipſum aliquo *cognationis* gradu contigerint. Succeſſit *Velleius patri* ſuo in *Præfectura equitum* eo ipſo anno, quo *adoptatus* eſt *Tiberius*, *Varroniano* 757. Inde facile ſuſpicamur, adhuc *ætate militari* fuiſſe *patrem* ejus, quæ, his præſertim, de quibus agimus, temporibus anno concludi ſolebat LX. Eſto autem. Fuerit pater *Velleii* illo anno *ſexagenarius*, & *honeſta* proinde *miſſione* à *Tiberio* dimiſſus. Sic *natus* fuerit anno *urbis* 697. *Avum* porro ſuum dicit [1] *C. Velleium* tunc ſe *gladio transfixiſſe* cum fugeret à *Neapoli* pater *Tiberii Tiberius* & ipſe *Claudius Nero*. Incidit *fuga* illa in annum belli *Peruſini*, urbis ſcil. 714. vix bimo [2] *Tiberio* imperatore (qui natus fuerat anno *Varroniano* [3] 712. *Novemb.* XVI.) & paulo ante reditum *M. Antonii*. Certe ante ludos *Apollinares*, ut obſervavit Cl. [4] *Noriſius*. Illo ergo anno *junior* pater *Velleii* eſſe non potuit, ſi quidem ipſe *C. Velleii filius* fuerit, & è *gente* ipſe quoque *Velleia*. Proinde *media* fuerit ætate neceſſe eſt inter annum 43. & 60. Satis nimirum commode, cum annum ageret *filius*, pro noſtris rationibus, XXII. Subſcripſit præterea [5] *patruus*

1 *Vell.* L. II. c. 76. 2 *Vell.* L. II. c. 75. 94. 3 *Suet.* Tib. c. 5. 4 *Noriſ.* Cenot. *Piſ.* 5 *Vell.* L. II. c. 69.

Velleii

Velleii Capito in *C. Caſſium* anno æræ *Varronianæ* 711. quo *Julii* interfectoribus, aqua ignique damnatis interdictum eſt lege *Pedia*. Fieri quidem poteſt ut *patruus magnus Velleii* fuerit ille *Capito*, & vox adeo *magnus* omiſſa fuerit in *unico* illo, unde prodiit *Velleius*, MS. Nihil tamen pugnat quo minus *patruus Velleii* eſſe potuerit, modo *patre* ejuſdem fuerit aliquanto *major*. Patruus ille certe, cum fuerit, illo ipſo anno, jam *ſenatorius*, annum ætatis XXV. ſuperarit oportet. Nec *multo* majorem fuiſſe exinde veriſimile eſt, quod *ſenatorium* illum *tantummodo Velleius* appellarit ; non *Tribunitium*, aut *Ædilitium*, nedum *Prætorium* ſeu *Conſularem*. Superiori enim titulo aliquo fuiſſet inſigniendus ſi quidem ſuperiorem aliquem in ſenatu *gradum* fuiſſet conſecutus. Fieri etiam præterea potuit ut annos *militares* egreſſus, caſtra tamen ſecutus fuerit pater *Velleii*. In militibus *gregariis* frequentiſſimi erant, poſt *miſſiones*, *veterani* atque *evocati*. Nec deerant exempla in *militia* etiam *ſenatoria*. *Avo* præterea illi ſuo *Caio Velleio* cauſam eam fuiſſe docet *nepos Velleius*, cur fugæ comes *Tiberio* eſſe non poſſet, quod [1] *gravis jam ætate* eſſet & *corpore*. *Senectutem* ejus nimirum innuit, & quidem eam quæ inepta eſſet peregrinationibus, atque itineribus quantumvis neceſſariis, obeundis. *Minor* ille *ſeptuagenario* intelligi vix poteſt, potuit etiam longe eſſe *major*. Fuerit ergo cum periit, *ſeptuagenarius*. Ita natus fuerit anno *urbis* 644. ſic annum egerit ad minimum XIX. *initio* belli *Italici* anno urbis *Varroniano* 663. Cum autem [2] *Minatius Magius civitate* donaretur, duobus ejuſdem *filiis*, creatis *Prætoribus* ; jam certe *C.* ille *Velleius Velleii* noſtri *avus* tricenario *minor* eſſe vix potuit. Poſt *reditum* nimirum *Sullæ* (cum quo *Pompeios* oppugnaverat *Minatius Magius*) qui anno rediit 671. &

1 *Vell.* L. II. c. 76. 2 *Vell.* L. II. c. 16.

tamen

tamen dum *Prætores ſeni adhuc crearentur*, nimirum antea quam *Sulla* ipſe crearet *octonos*, quos ille *Dictator* creavit, anno ad minimum 672. Ita certe *Minatii Magii filiis prætoriis* par fuerit *avus Velleii* noſtri in gente *Velleia*. Concurretque ſtirps *Velleii* utraque pari *generationum* numero ab eo diſſita, tam in gente *Magia* quam *Velleia*. *Avos enim ſimiliter Velleii* fuiſſe neceſſe erat *Minatii Magii filios*, ſiquidem *atavus* ipſe fuerit *Minatius*. Addit *Velleius* de *atavo* ſuo *Minatio Magio Aſculanenſi nepotem* illum fuiſſe *Decii Magii Campanorum principis celeberrimi & fideliſſimi viri*. Illum nimirum intelligit *Decium Magium* cujus prædicat in *Romanos* fidem [1] *Livius*, cum *Capua* dederetur *Annibali*, poſt pugnam *Cannenſem*, anno nimirum urbis *Varroniano* 538. Nec illud incommode, ſi *juvenis* fuerit, cum dederetur *Capua*, *Decius* ; & *ſenex*, bello *Italico*, *Minatius*. *Ætas* certe *filiorum prætoria*, quæ illis reip. temporibus annorum erat XLI, *provectum* annis patrem *Minatium* oſtendit. Fieri poteſt ut ſtirpem *maternam*, non *paternam*, à *Magiis* illis duxerit *Velleius*. Imo *ita* fuiſſe certum eſſet ſi quidem *fratrem* ſuum *Magium Celerem Velleianum* [2] *Velleius* noſter appellarit. Sic enim manifeſtum eſſet è gente *Velleia* in gentem *Magiam* adoptatum fuiſſe illum *Velleii* noſtri *fratrem*. Sed *ingeniis*, non codici *MS.* debetur illa lectio. Atqui *& patriam Capuam* per *Minatium* illum *Magium* ſibi videtur aſſerere *Velleius*, *Campanum* ſcilicet *Deciique Magii Campanorum* principis *nepotem*. Res certe *Capuæ domeſticas* [3] agnoſcit. *Civis* erat certe, ut è *Livio* conſtat, *Decius* ille, *Capuanus*. Cum tamen *patriam* nemo *ſimpliciter* à *materna* ſtirpe cenſuerit. Et *civitatem* etiam *Romanam*, & *honores* familiæ *ſenatorios* ab eodem *Minatio Magio* vindicat, quem *vi-*

1 *Liv.* L. XXIII. c. 7. 10. 2 *Vell.* L. II. c. 115. 3 *Vell.* L. I. c. 7.

ritim

ritim dicit *civitate donatum*, *Prætoreſque* adeo *filios* ejus *duos* creatos, *cum ſeni adhuc* duntaxat *crearentur*. Non autem ſatis erat ad *civitatem* ſtirps tantummodo *materna*, nedum ad honores *ſenatorios*. Itaque *Velleium* noſtrum potius *Magianum* appellandum eſſe ſuſpicor quam *fratrem Velleii Magium Velleianum*. Eritque adeo *gentile* auctoris noſtri nomen *Magius*, *Velleius adſcititium*, ex *adoptione* in familiam *Velleiam*. Conveniunt tamen ita etiam *familiæ tempora* cum his, quos dedimus, *natalibus* ipſius *Velleii*.

§. VIII. Conveniunt deinque illorum etiam *tempora*, quos ſibi *coævos* agnoſcit *Velleius* [1]. *Maxime* (inquit) *noſtri ævi eminet princeps carminum Virgilius Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium Livius, Tibulluſque & Naſo, perfectiſſimi in forma operis ſui. Ævum*, ni fallor, *ſuum* à *ſuis* deducit, ad minimum, *natalibus*. Altius illud arceſſere non potuit. Loquitur autem de *coævis mortuis* quos ipſe poſtea jam adhuc *vivis* opponit. Illos ergo *coævos* cenſet qui poſt *natales* ſuos in *vivis* eſſe deſierant. *Virgilius* autem & *Tibullus* illo ipſo anno mortui ſunt 735. quem nos *natalem Velleio* jam fuiſſe probavimus. Unum eundemque annum utrique fatalem fuiſſe docet nos *Domitius Marſus*. Coſſ. illius anni *Lucretium Cinnam* & *Sentium Saturninum* refert *Euſebius* in *Chronico*, vel potius, ut videtur, *Hieronymus* è *Suetonii* libro de *Poetis*. *Lucretio* collegam alium adjungit *Donatus* in vita *Virgilii Cn. Plancium*. In *anno* tamen ambo conveniunt, in eo tantummodo, ut videtur, diſcrepantes, quod *Coſſ.* ambos *ordinarios* dederit *Hieronymus*, *ſuffectum* alterum à Kalendis *Septembribus Cn. Plancium Tiberius Donatus*. Recte etiam committit *Hieronymus* cum anno *Auguſti*, à *Julii*

Conveniunt *tempora* etiam *coævorum*.

1 *Vell.* L. II. c. 36.

nimirum *Cæſaris* cæde XXV. qui idem eſt cum eo quem diximus, urbis nimirum *Varroniano* 735. Itaque non eſt audiendus *Idatius*, qui *ſequentis* anni potius *coniſulibus mortem* tribuit poetæ clariſſimi. *Diem* etiam *Virgilii* emortualem X. Kal. *Octobris* tradit *Hieronymus*, *XI.* autem *Idatius*. Inde intelligimus, nec *poſt annum* illum, nec menſem *Octobrem*, *diemque* menſis, quicunque demum is fuerit, naſci noſtrum potuiſſe *Velleium*. Serius mortui ſunt *Livius* atque *Naſo*, IV. nimirum *Tiberii* anno, quo annum egit *Velleius*, pro calculis noſtris, XXXVI. Et ſerius *Virgilio Rabirius*, ut proinde nihil conferant illi ad ætatem *Velleii* accuratius conſtituendam. Quem tamen hic pro *coævo* habet *Velleius Livium*, ſitne jure merito in ea claſſe cenſendus, alibi *dubitat*. [1] *Hiſtoricos*, (inquit) *ut Livium priorum ætati adſtruas*, *præter Catonem*, *& quoſdam veteres & obſcuros*, *minus LXXX. annis circumdatum ævum tulit*. Inde, ni fallor, quod hoc in loco *mortem Livii* ob oculos habuerit, quæ ſane erat ſuis *natalibus*, ut vidimus, multo ſerior. Illic autem *ſcriptam hiſtoriam*, quam *abſolverat* quidem *Livius* poſt *Velleii natales*, & tamen ante annos ejuſdem *viriles*. *Finem Livius* hiſtoriæ ſuæ poſuerat in morte *Druſi*, anno nimirum *Varroniano* 745. Is annus erat *Velleio*, pro noſtra ſupputatione, ætatis X. quo nondum *togam* ſumſerat *Velleius virilem*, & ne per *leges* quidem ſumere *potuerat*. Recte ergo, pro noſtris etiam hypotheſibus, dubitare potuit, *hiſtoria Livii* fueritne *ſuæ*, an potius *priorum* (ut loquitur) *ætati* aſſignanda. Erat cur *ſuæ* ætati illam attribueret, quod *poſt ſuos* demum *natales* fuerit abſoluta. Erat præterea cur *priorum ætati* illam adſcriberet, non modo quod ante *togam Velleii puram* manum illi *Livius* ultimam poſuerit, ſed quod maximam ejus,

[1] *Vell.* L. I. c. 17.

cum

cum plurium fuerit annorum, partem ſcripſerit, ne quidem adhuc in rebus humanis exiſtente *Velleio.* Bellum quidem [1] *Actiacum*, & *Janum clauſum* in primo hiſtoriæ libro memorat *Livius.* Erat quidem prœlium *Actiacum Sept.* 2. anni *Varroniani* 723. *Janum* tamen *clauſum* ipſo anno 725. ponit *Dio.* Sed *nupera* admodum ejus erat *memoria* cum primam hiſtoriæ ſcribendæ manum admoveret. Nondum *ſecundo clauſus*, quod factum anno 729. poſt bellum *Cantabricum.* Imo *civile* bellum pæne ob *oculos.* Inde verba ejus illa in initio, quibus ait ſeſe [2] *feſtinare ad hæc nova, quibus jampridem prævalentis populi vires ſeipſæ conficiunt. Ego* (inquit) *contra hoc quoque laboris præmium petam, uti me à conſpectu malorum, quæ noſtra tot per annos vidit ætas, tantiſper certe dum priſca tota mente repeto, avertam.* Itaque anno 725. mox *ineunte* opus egregium aggreſſus eſt, quod anno demum 745. abſolverit. Et in *mediam* adeo ejus partem inciderit *Velleii*, pro noſtris rationibus, annus *natalis.* Accurate admodum. Ut recte poſſet dubitare *Velleius* cui *ætati* hiſtoriam illam concederet, *ſuæne*, an *priorum.*

§. IX. Conſtituto ergo *natali* noſtri Auctoris anno, jam reliqua ejus *tempora* ſimiliter, pro virili noſtrâ, diſponemus. Inprimis conſentaneum erat, ut anno urbis 749. & *togam* ſumſerit, & cum toga *militiæ tirocinium* inierit, *ætatis* nimirum anno XIV. *abſoluto*, XV. autem *inchoato.* *Equeſtrem* autem, de qua loquitur *Velleius*, *militiam* tribus potiſſimum gradibus diſtinxit *Claudius* [3], ut ſcilicet primo *cohortem*, *poſt cohortem alam*, *poſt alam tribunatum legionis daret.* Ordinis nimirum *equeſtris* adoleſcentes ſemper corporis ſui militibus gregariis *præfecti* erant. Præ-

Primus *Velleio* in militia *equeſtri* gradus præfectura *cohortis.*

1 *Liv.* L. I. c. 19. 2 *Liv.* L. I. Præf. 3 *Suet.* Claud. c. 25.

fecti nimirum *cohortibus* atque *alis*, ut erant *Tribuni* etiam *præfecti* in *legionibus*. Paulo aliter ille, ſub quo *Velleius* militavit, *Auguſtus*. Major erat, ſub illo, præfectus *alæ* tribuno *legionis*, ut facile colligitur è *Suetonio* [1]. Id quoque proprium habebant ſub *Auguſto ſenatorum liberi*, quod illis ([2] *quo celerius reipublicæ aſſueſcerent*) *protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe, permiſerit: militiamque auſpicantibus non tribunatum modo legionum, ſed & præfecturas alarum dederit.* Hi ergo militiam à *tribunatu* ſtatim auſpicabantur, ut nullæ proinde fuerint illis *cohortium præfecturæ*. Alia erat cauſa adoleſcentum *familiis* etiam *ſenatoriis* oriundorum, ſi tamen *patribus* non fuiſſent orti *ſenatoribus*. His, ut *lati clavi* ætas provectior erat, ita etiam *tribunatus* dilatos fuiſſe, vel ex hoc ipſo loco colligimus. Habere enim neſcio quid *ſenatorium* videbatur *proximus* ille militiæ *ſenatoriæ* gradus, in *equeſtri* militia, *tribunatus*. Inde factum, ni fallor, quod *latus clavus*, (qui *ſenatorum* erat, ut *anguſtus equitum*) *tribunatum* inituris concedi ſoleret, tanquam dignitatis *ſenatoriæ* Candidatis. In hac autem claſſe ſe ſignificat fuiſſe *Velleius*. Ait ſe [3] *tribunum militum* congreſſui *Caii* cum rege *Parthorum* interfuiſſe. Ait præterea, ipſum illum militiæ gradum ſe *ante* ſub patre *Vinicii* & *P. Silio* fuiſſe *auſpicatum*. Hæc denique agnoſcit fuiſſe *ſtipendiorum* ſuorum *initia*. Quis eſt quin facile inde colligat, ut *tirocinio* ſuo *proximus* fuerit *tribunatus*, novum tamen fuiſſe militiæ illius *gradum*, quem proinde olim à tirocinii *primo initio* non fuerat aſſecutus? Quis, inquam, eſt quin & illud videat, novum illud *tribunatus gradum* ſub *Vinicii* patre à *Velleio* fuiſſe ſuſceptum? Neſcio tamen an inde liceat colligere, nondum fuiſſe in *ſenatu patrem Vel-*

1 *Suet.* Aug. c. 38. 2 *Suet.* ib. 3 *Vell.* L. II. c. 101.

leii,

leii, cum aut *naſceretur* ipſe *Velleius*, aut toga *virili* ſuſcepta *militiam auſpicaretur*. Fieri vix potuit ut *ætate ſenatoria* non fuerit *pater Velleii*, cum *togam* ſuſciperet filius *virilem*, atque *tirocinium*. Nec vero *mortem* obſtitiſſe quo minus in *ſenatum* veniret, exinde conſtat quod *filius* ei in *præfectura* ſucceſſerit. Succeſſit enim ille *patri* [1] anno urbis 757. *exeunte*, cum mitteretur in *Germaniam Tiberius*, cum annum ageret ad minimum *ætatis* XXII. Multis ſane poſt togam *virilem tirociniumque* ejus annis. Nondum tamen conſtat num tulerit illam *Auguſtus* legem ante *Velleii tirocinium*. Ne quidem illud conſtat, fueritne *pater* Auctoris noſtri, in gente *Velleia*, *ſenatorius*.

§. X. Erit ergo operæ pretium explorare quæ *ætas* fuerit à militia una ad aliam tranſeundi à *lege* conſtituta. Inde enim *regulas* eliciemus in illorum temporum *chronologia* omni utiliſſimas. *Legem* certe fuiſſe ſub *Auguſto* indicant verba illa *Suetonii*. [2] *Quicquid autem ubique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit, definitis, pro gradu cujuſque & temporibus militiæ, & commodis miſſionum: ne aut ætate, aut inopia, poſt miſſionem ſolicitari ad res novas poſſent.* Ego *veteris novæque pubertatis* intervallo primam illam *equitum ſenatoriorum* militiam concluſam arbitror. Ita nimirum, ut *cohortibus* præfecti fuerint qui à *toga* ſumta mox militiam inierant uſque ad annum *ætatis* XVII. abſolutum, quo olim *toga* ſumi ſolebat; inde militiam aliam, ſeu *legionum* illa fuerit, ſeu *alarum*, inchoarint. Ut enim erant, infra *pubertatem*, puerorum *minorum majorumque* diſcrimina; ſic etiam fuiſſe veriſimile eſt in ætate *adoleſcentiæ* quæ à *toga* ſumta pertin-

Ab illa *cohortis* præfectura ad *tribunatum* ann. 752. promotus eſt *Velleius*.

1 *Vell.* L. II. c. 104. 2 *Suet.* Aug. c. 49.

git ad annos uſque *ſenatorios.* Ita nimirum, ut *prima* ætas illa fuerit quæ *propius* accedebat ad *pueritiam*; alia illa quæ cum *pueritia* minorem affinitatem habebat, majorem autem cum *adoleſcentia.* Hoc ſi conſilio *ætatem* illam diſtinxerit *Auguſtus*, conſentaneum erat, ut *veteres* olim *pueros* ad annum uſque *ætatis* XVII. cenſuerant, proinde à recepto poſtea *pubertatis* anno XIV. ad XVII. *pueris* affiniores quam *adoleſcentibus* jam quoque cenſerentur; inde jam *pubertatis* utroſque tam *veteres* quam *novos* limites egreſſi, *adoleſcentum* magis quam *puerorum*, cenſu venirent æſtimandi. Id ergo proprium habebant *ſenatorum filii* ut à *citimis* pueritiæ finibus *laticlavium* acciperent, tanquam *ſenatores deſignati*, & *virilia* inde munera omnia, nec *alia* etiam quam virilia, capeſſerent. *Ætatem* certe *plenæ barbæ*, quæ à *tertio* cœpit, teſte *Macrobio* [1], ſeptenario, anno nimirum XXI. *primus* in *tribunis* exigebat jam *Imperator Hadrianus.* Inde ſuſpicio eſt à *prima lanugine* olim cenſeri ſolitos, quæ non longe abit ab anno de quo diximus, *ætatis* XVII. *Trajanum* etiam ab anno XIV. *tribunum* alibi [2] obſervavimus. Propter *militiam* fortaſſe ante *pubertatem plenam* maturatam, & quia *ſenatoris* erat *filius.* Nec ſane *plenam* pubertatem ante annum *illum* cenſebant veteres, etiam illi qui *pueritiæ* finem aliqualem in anno XIV. agnoſcebant. *Græcos* annorum XIV. vocaſſe παῖδα, μελλέφηβον autem XV. dein XVI. ἔφηβον, tum XVII. ἐξέφηβον ait *Cenſorinus* 3. Cum tamen *veteres* illi *Græci* ab anno XVII. *completo* pubertatem arceſſerent *militarem.* Etiam apud *Romanos juniores*, quorum mores habemus in corpore *juris civilis* hodierno, *plena pubertas* non habetur ante annum *ætatis* 4 *XVIII. laben-*

1 *Macrob.* Somn. *Scip.* L. I. c. 6. 2 *Trai.* IV. ad *Spart.* Adrian. §. 5.
3 *Cenſorin.* c. 14. 4 Vid. *Lindenbrog.* ad *Cenſorin.* c. 7.

tem,

tem, ut exiſtimo. Non ea ſcilicet quæ ſatis eſſe cenſetur ad *adoptiones*, & nomen *patris* cum *decoro* ſuſtinendum. Annus ille quo *pater filium*, etiam *adoptitium*, præcedere debuerit, annum ad minimum *XVII. completum* ſupponit quo *filius* anno patris *XVIII. editus* potuerit à patre *generari*. Nec ſane anno *XIV. filii* eſſe poterant, cum ne *matrimonia* quidem ante ætatem illam in moribus fuerint *legitima*. Vim certe *generandi* à *prima lanugine* populariter æſtimabant. Inde *pueri* [1] olim *inveſtes* dicti, *adoleſcentes* autem *veſticipes*, à *lanuginis* hujus quaſi *veſtimento*, quarum ſane vocum uſus erat ad *pueritiam* illam *antiquiorem*, pro ſermonis etiam antiquioris uſu, potiſſimum referendus. Sic erat merito cur, *recepta* licet paſſim annorum *XIV. pubertate*, *antiquioris* tamen *ratio* haberetur aliqua, ſaltem in diſtinguendis *adoleſcentiæ militiis*. Huc enim fere ſpectabant omnes illæ *civium* in tabulas *cenſuales* publicas, pro *ætatum* ratione, deſcriptiones, ad uſus nimirum *militares*. Ita à *cohortis præfectura* ad ſuperiorem illum, quem appellat, *tribunatus* gradum, anno *ætatis XVII. abſoluto*, urbis labente *Varroniano* 752. aſcenderit *Velleius*. Sic illo ipſo anno, ſub *patre Vinicii*, vel potius fortaſſe *patruo* (*M.* enim *Vinicio* legebatur in MS. ſi *Burerio* credimus, cum *pater Vinicii*, ad quem ſcribit, *conſulis* conſul ipſe fuerit *P. Vinicius* anno *Varroniano* 755. ſed *aliam* MS. lectionem, quæque *priori* ſententiæ faveat, repræſentat *Rhenanus*) & *P. Silio militiam* illam fuerit [2] *auſpicatus*, in *viſendis*, ut videtur, *provinciis* poſitam, ut recte fortaſſe obſervavit *Cl. Heinſius*. Sic etiam commode interpretari poſſumus, quod dixerat *Velleius*, congreſſum illum *Caii* cum *Parthorum* rege ſub *ſtipendiorum* ſuorum *initia* contigiſſe. Nempe ut *ſtipendia* non *militiæ* ſuæ *ſimpliciter*, ſed *tribuna-*

1 *Feſt.* verb. *pubes* & verb. *veſticeps.* 2 *Vell.* L. II. c. 101.

tus,

tus, intellexerit; & recte *tribunatus* ſuperiori anno ſuſcepti *initiis* congreſſum illum aſſignaverit. *Prima* enim *initia* militiæ ſuæ non intellexiſſe, id vero tum è re ipſa, tum è verbis *Velleii* manifeſtum eſt. E *re* quidem *ipſa*, quod militiam nullam legamus *decennali* minorem: è *verbis* autem *Velleii*, quod *novum* ſibi fuiſſe innuat, nec à *militiæ* ſuæ *origine* ductum, honorem *tribunatus*. Procedet interim nihilominus de *ſtipendiorum initio* ac *fine* prior illa noſtra argumentatio, quod *decimi ſtipendii*, quo numero nullus erat minor, *initium* aliunde numerare quam ab anno à nobis aſſignato non potuerit, ſi quidem *exitum* illo anno habuerit quo ponitur ab ipſo *Velleio*.

Cum *tribunatu* accepit *Velleius* etiam *laticlavium*.

§. XI. Erant autem è *tribunis angu-ſticlavii* alii, alii *laticlavii*. Patrem ſuum *Suetonium Lenem* bello *Othoniano tribunum angu-ſticlavium* memorat filius [1] *Suetonius* hiſtoricus. *Minorem* hunc fuiſſe *tribunum*, & ex *labore* provenire ſolitum, teſtatur *Vegetius* [2]. Nempe ex *labore* propterea, quia non ex *natalibus*, qualis erat ille *tribunatus*, de quo agimus, familiarum *ſenatoriarum*. Erat itaque *minor* iſte *tribunatus* ordinis duntaxat *equeſtris*, cujus nimirum *ordinis* inſignia erant in *angu-ſticlavio*. Et *præmii* loco concedi ſolebat illarum familiarum militibus quarum nondum ullæ fuiſſent *imagines*. Nondum tamen illis *jus* erat petendi honores *ſenatorios*, niſi *laticlavium* præterea à principe impetraſſent. Sic *latum clavum Sexto* ſuo *Euritio* impetravit *Plinius* [3] junior, tum deinde primum quæſturæ honorem ſenatorium. Sic nullum erat *lati clavi* jus in ipſo hoc *minori tribunatu*. Aliter ſe res habebat in familiis *nobilibus*, & *imaginum* jure inſignitis. His *tribunatus* ipſe *laticlavius* erat. *Laticlavii* [4] mentio in *Suetonii Nerone*; *tri-*

1 *Suet.* Oth. c. 10. 2 *Veget.* L. II c. 7. 3 *Plin.* L. II. Ep. 9. 4 *Suet.* Nero. c. 26.

buni

buni [1] etiam *laticlavii*, in ejuſdem *Domitiano*. Nempe per militiam hanc, quam dixi, ad honores *ſenatorios* adſpirabant *ſenatoriarum* familiarum adoleſcentes, qui tamen nondum *ætatem* attigerant *ſenatoriam*. Sic illi nimirum ut non eſſent tamen antea in *ſenatum* adlegendi quam *ſtipendia* legitima abſolviſſent. Hoc nos docent [2] *Seneca* atque [3] *Epictetus*. Dedit tamen *latus clavus*, ut minus *ſenatum* ipſum, at *jus* tamen *petendi* honores *ſenatorios*. Itaque antea *latum clavum* induebant quam *admitterentur* in *ſenatum*, tunc ſcilicet, cum ipſum inirent *tribunatum*. Itaque *ſenatorum filii* (quos mox à toga *virili* ornatos *laticlavio* fuiſſe diximus) *tribunatus* deinde *legionum*, *alarumque præfecturas* capeſſebant, teſte *Suetonio* [4]. Ita locum in *horum* militia nullum habebat prior illa *tribunatu* præfectura *cohortium*. Reliqui familiarum *nobilium* adoleſcentes, quorum *patres* non fuiſſent in *ſenatu*, militiam ſuam *equeſtrem* à *cohortium præfecturis* auſpicabantur, nec *laticlaviam* proinde *veſtem* induebant ante *tribunatum*. Ita *Julium* illum *Calvaſtrum* (quem *tribunum laticlavium* appellat [5] *Suetonius*) *Dio* [6] *ait* κεχιλιαρχηκέναι ἐς βουλείας ἐλπίδα. *Et ſenatui prædeſtinatum* dicit princeps apud [7] *Caſſiodorum*, cui *laticlaviam dignitatem* ipſe contuliſſet. Itaque *ſpem* fecit *ſenatus* laticlavium *ſenatoribus deſignatis*, nondum tamen in *ſenatu* conſtitutis. Et hac ipſa *tribunatus* militia *laticlavium* acceperunt adoleſcentes nobiles *ſenatus candidati*. Sic intelligimus ut *laticlavium* illum à *Suetonio* in *Neronis* vita memoratum (quem *Julium Montanum* fuiſſe docent [8] *Tacitus* & [9] *Dio Xiphilinianus*) eundem βουλατῶ appellet idem ipſe

1 *Suet.* Dom. c. 10. 2 *Senec.* Ep. 47. 3 *Epictet.* ap. *Arrian.* 4 *Suet.* Aug. c. 38. 5 *Suet.* Dom. c. 10. 6 *Dio* L. LXVII. 7 *Caſſiod.* Var. 8 *Tacit.* Ann. XIII. 25. 9 *Dio Xiph.* in Neron.

[1] *Dio.* Habebant enim nonnulla *ſenatus jura ſenatores* illi etiam *deſignati*, ut certum eſt habuiſſe alios qui ad *conſulatum* aut *præturam*, alioſve honores *curules* atque *ſenatorios*, fuiſſent ſimiliter *deſignati*. Veriſimile eſt *locum* illis fuiſſe in *ſenatu* ſine jure *ſententiæ* vel *ſuffragii*. Sic enim olim aderant in ſenatu *pueri* [2] etiam *ſenatorii* in *toga* etiam *prætexta* ante tempora *Papirii Prætextati*. Aliter autem *laticlavium* accipiebant qui *merito* ſuo id conſequebantur, quam illi, quibus hoc ipſo nomine debebatur, quod *ſtirpe* eſſent oriundi *ſenatoria*. Præmium *meritorum* dedit per *codicillos* ipſe *princeps*. *Nobiles*, ubi *tribunatum* attigiſſent, *domi* etiam *laticlavium*, ſine *codicillis*, induebant, quod ſcilicet illis *tribunatus* ipſe *Laticlavii jus*, pro *legum* receptarum inſtituto, conferret. Hoc nos docet, ni fallor, alicubi *Plinius* [3] junior. Hac erat noſter in claſſe *Velleius*, qui proinde quo anno *tribunatum* accepit, eodem etiam & *laticlavium* acceperit.

Tribunatus Velleii *Caſtrenſis* qualis.

§. XII. Erat præterea *Velleio* in hoc *equeſtris militiæ tribunatu* ſuperior poſtea gradus. Prius enim quam cum *Tiberio* mitteretur in *Germaniam*, ait ſeſe *caſtrorum* [4] etiam *tribunatu* functum. Non certe hoc in loco, ut opinor, innuit priorem ſuum *tribunatum* non fuiſſe *Caſtrenſem*. Quaſi nimirum fuiſſent illo *Velleii* ævo, quæ poſtea erant receptiſſimæ, in *ſatellitio* principis militia alia *armata*, alia *non armata*, quod ſcilicet omnes domus *Auguſtæ ſatellites* communi nomine *milites* appellarentur. Sed vera erat, ut videtur, illis temporibus *decennis* illa *militia* quæ ad *ſenatum* neceſſaria erat. Veræ illæ *cohortium præfecturæ*, veri *legionum tribunatus*, *alarumque equeſtrium*. Itaque *caſtrorum* nomine intellexiſſe

1 *Dio* L. LXI. 2 *Gell.* Noct. Att. 3 *Plin.* Epiſt. 4 *Vell.* L. II. c. 104.

ſuſpicabar

ſuſpicabar *Velleium*, caſtra *prætoria* quæ ſolebant *caſtrorum* nomine ſimpliciter uſurpato deſignari. Solebant certe *milites gregales* à militia *legionum* ad militiam *prætorianorum* promoveri, habituri deinde & *ſtipendium* auctius, & *pauciores* ad honeſtam miſſionem *annos*, & poſt miſſionem honeſtius (ut videtur) *emeritum*. Id cum locum habuerit in militia militum *gregalium*; erat profecto conſentaneum ut locum ſimiliter habuerit in *tribunis*. Ita *prætorianorum* etiam *tribunatus* honeſtiores fuiſſe veriſimile eſt, & melioribus *ſtipendiorum* conditionibus. Ut proinde in honore ſuo poſuerit *Velleius* quod à tribunatu *legionariorum* ad *prætorianorum* tribunatum fuerit evectus. Nec erat certe à veterum ſermone alienum ut militia *prætoriana caſtrenſis* nomine proprio ſuo quodam jure deſignaretur. *Caſtra* illi *ſtativa* ad urbem habebant in via [1] *Nomentana*, *caſtra* vulgo ſimpliciter appellata. Poſtea deinde receptiſſimum erat ut Imperatoris mobile *ſatellitium*, & *caſtra* Latinè, & Græcè στρατόπεδον audiret. Non ab aliis certe *caſtris* quam his ipſis, de quibus agimus, *prætorianorum*. Sed nondum profecto *ulla* erant, cum locum illum obiret *Velleius*, *caſtra* illa *prætoriana*. *Satellitium* quidem principis inſtituerat [2] *Auguſtus*, ſed *vagum* & per multa loca diſperſum *municipiorum ipſiuſque urbis*, & *ſine caſtris*, teſte *Suetonio*. In *caſtra* poſtea coegit, *Sejani* conſilio, [3] *Tiberius*. De aliis ergo *caſtris*, ni fallor, non multum tamen à *Roma* diſtantibus, intelligendus eſt *Velleius*. *Caſtrorum* autem *tribunatus* ille propterea appellari potuit, quod & in *caſtrametationis* diſciplina verſatus fuerit, & quod ad *munera caſtrenſia* obeunda illum obligarit.

1 *Suet.* Ner. c. 48. 2 *Suet.* Aug. c. 49. *Dio* L. LV. ann. 758. 3 *Suet.* Tib. c. 37. *Tacit.* Ann IV. 2. *Vict.* de *Cæſ.* in Tiber.

Illum inivit *Velleius* an. 754. tenuitque ad an. 757.

§. XIII. Quo vero *tempore* honorem illum novum conſecutus noſter fuerit, de eo paucis diſquirendum erit. Illud certum medio alicui anno aſſignandum eſſe inter annum urbis *Varronianum* 753. quo *Caio* ſe in *Oriente* teſtatur adfuiſſe *Velleius*, & 757. quo *Tiberium* nuper *adoptatum* eſt comitatus in *Germaniam*. Priori anno *unicum* memorat *tribunatum*, & in eo quoque *ſtipendiorum* duntaxat *initia*, non taciturus proculdubio novam aliquam, ſiquam habuiſſet, honoris acceſſionem, vir (ut ex hoc ipſo opere conſtat) honorum ſtudioſiſſimus. Poſteriori autem anno ſe hoc *tribunatu caſtrorum* jam antea functum fuiſſe teſtatur. Si quidem *tribunatum caſtrorum prætorianorum*, pro exemplo *militum* poſtea *prætorianorum* dediſſet *Auguſtus*; ſic *duo* fuiſſent, ad minimum, anni in *legionario tribunatu* neceſſarii priuſquam poſſet ad *tribunatum prætorianorum* aſcendere. Sic anno 754. *caſtrorum* illum *tribunatum* adeptus fuiſſet. Atqui jam oſtendimus ita nullam fuiſſe his temporibus diſciplinam *prætorianorum*, ut ne quidem fuerint *caſtra prætoriana*. Et tamen illum ipſum eundem *annum* fuiſſe puto, quo *novum* illum *caſtrorum tribunatum Velleius* conſecutus fuerit; & *bina* adeo *ſtipendia* in priori *legionum tribunatu* ſatis fuiſſe ad ſecundum hunc *caſtrorum tribunatum*, ad eundem plane modum quo ſe res habebat in diſciplina militum *gregalium* atque *prætorianorum*. Eo ſane facit quod *duos* ille duntaxat numeret ſuos in *priori tribunatu* duces, patrem *Vinicii* vel patruum, & *P. Silium*, *ſingulos*, ut videtur, *annuos*. Certe *biennes* eſſe vix poterant. Sic enim illum tenuiſſent ad annum uſque 756. nec locum ullum reliquum feciſſent *tribunatui caſtrorum* explendo ante annum 757. quo *Tiberium Velleius* comitatus eſt in *Germaniam*. Sed

ſi

ſi *annuos* illos ſupponamus, ſic omnia ſatis accurate reſpondebunt. Sic enim ab *anno* 752. ad 753. ſub *patre Vinicii* meruerit *Velleius*. Ab *anno* autem 753. ad 754. ſub *P. Silio*. Sic quidem ille, ut *ſecundus* ejus ſub *Silio* annus antea cœperit quam *Caius Cæſar* cum *Partho* congrederetur. Nec enim à Kalendis *Januariis* iniri ſolebant munera *provincialia*. Sed *vere* ineunte, & *mari libero* itinera plerumque auſpicabantur. Tempus vero quo munere defungi oportebat, nec à *deſignatione* ſupputabant, & ne quidem ab itineris *initio*, ſed ab eo uſque *tempore*, imo *die*, quo in *provinciam* appellebant, ut è *Ciceronis* provincia *Cilicienſi* manifeſtum eſt. Sic annis civilibus *mediis incipere* ſolebant atque *deſinere* anni munerum publicorum militarium. Olim certe mitti in *provincias* ſolitos etiam *privatos* qui provincias *viſerent*, teſtem habemus apud [1] *Tacitum*, *Thraſeum Pætum*. Sic etiam ſub principibus, ut erant principibus ſui *Curioſi*, qui *Cæſaris* nomine *provincias Cæſaris* viſitabant; ita *populi provincias* privatos fuiſſe qui *populi nomine* viſitarent, eſt ſane veriſimillimum. Id quoque conſentaneum erat, ut aliis [2] *populi* magiſtratibus, ſic etiam his *provinciarum* viſitatoribus, tempus fuiſſe *annuum*. Nec ſane aliæ fuiſſe videntur quam *populi* provinciæ quas viſitavit cum ſuis ducibus *Velleius*. Erat certe *populi Macedonia*, his ſaltem *Auguſti* temporibus, quo etiam ordine cenſetur à [3] *Dione*. Erat, inquam, cum illa pariter *Achaia*, uſque ad tempora *Tiberii*, annumque æræ *Varronianæ* 768. Tum primum *Cæſari* traditas, & è [4] *Tacito* diſcimus & [5] *Suetonio*. Aſtipulatur etiam [6] *Dio*, tantummodo de *Achaia* alibi [7] dubius, num & illam *Tiberius*, una cum

1 *Tacit.* Ann. XV. 21. 2 *Dio* L. LIII. 3 *Dio* L. LIII. an. 726. 4 *Tacit.* Ann. I. 76. 5 *Suet.* Claud. c. 25. 6 *Dio* L. LX. 7 *Dio* L. LVII.

Macedonia, à *populi* jure ad ſe tranſtulerit. In eo certe dubius non eſt quin utramque *populo* aſſignarit *Auguſtus*, cum primam provinciarum diſtributionem faceret, anno nimirum urbis 726. diu ante hunc annum, de quo agimus, *Velleii*. Proinde *ambas* rurſus *populo* reddidit *Claudius*, *Dione* ibidem, ubi ſupra, teſte & *Suetonio*. *Aſiam* præterea à ſe peragratam teſtatur *Velleius*, *proconſularem* ſcilicet, quam vel exinde conſtat *populi* provinciam fuiſſe, cum *proconſules* illarum provinciarum peculiari quodam jure proprios faciat *Dio*, qui etiam illam in *populi* provinciis verbis recenſet diſertiſſimis. Aliam ille *provinciam* nullam nominat, excepta *Thracia*, quæ jam neutrius erat, ſed *Regulorum* populo *Romano* amicorum. Itaque qui *populi* provincias viſitarunt *Velleii* duces, *tempus* etiam adminiſtrationis habuerint oportet, pro *populi* more, *annuum*. Etiam *Orientis provincias* in *utroque maris Pontici latere* à *Velleio* luſtratas *populi* fuiſſe veriſimillimum eſt. *Bithyniam* certe & *Pontum finitimam populo* attributas teſtatur *Dio*. Et aliunde veriſimile eſt *prioris tribunatus* non magnam fuiſſe moram. *Prior* ille *tribunatus* certe ſub *ducibus* illis fuiſſe videtur quibus non *una* aliqua *provincia* credita fuerit, ſed *multæ* potius *viſendæ* atque *luſtrandæ*. Nec proinde ulla eſt neceſſitas cur illum *annorum* pluſquam *duorum* fuiſſe ſupponamus. Ita ſane loquitur *Velleius*, quaſi poſt illud *Caii* cum *Parthorum* rege colloquium, rebus deinde *aliis* ejuſdem, poſt provincias luſtratas, non interfuerit. *Conſulatum* ille anno ſequenti 754. inivit, cujus tamen nulla mentio in *Velleio*. Sic etiam de *Tiberii* [1] *reditu* qui anno rediit 755. quaſi *lætitiæ*, qua receptus eſt, *incredibilis* ipſe teſtis fuiſſet oculatus. Et quidem *Roma* illum miſſum fuiſſe conſtat cum *Tibe-*

1 *Vell.* L. II. c. 103.

rio

rio comes daretur in *Germaniam.* Nec ſane *provinciarum*, poſt *Caii* illud colloquium, mentionem ullam facit ante expeditionem *Germanicam.* Itaque niſi nos fallant noſtræ conjecturæ, *tribunatum* illum *Caſtrenſem* tenuerit ab anno 754. ad 757. Sic juſtum impenderit ſecundo militiæ gradui *quinquennium*, *duos* nimirum annos *tribunatui legionario*, *tres* autem reliquos *tribunatui caſtrorum.* Firmant præterea ſupra dicta, quæ alibi [1] de *Græcorum* diſciplina militari obſervavimus. Habebant illi leviorem quandam militiam in περιπόλοις. Et quidem ipſam, ut fuit prior ille, pro noſtris hypotheſibus, *Velleii tribunatus*, *biennem.* Imo eadem, qua nos etiam *Velleium* fuiſſe ſupponimus, *ætate.* Cœpit enim illa à receptæ apud *Græcos* pubertatis *fine*, anno nimirum *ætatis XVII.* tenuitque ad finem anni *XIX.* Iiſdem plane limitibus, quibus etiam nos *priorem* illum *Velleii* tribunatum concluſum fuiſſe exiſtimamus. Nec ſane abhorrebant ab illa *præſidiorum limitaneorum* apud *Græcos* περιπολείᾳ res etiam à *Velleio* in priori illo *tribunatu* geſtæ. *Provinciarum* enim *limitanearum* luſtratio quid aliud, quæſo, erat quam illa ipſa *præſidiorum limitaneorum* περιπολεία? Sic nempe accurate noſtris rationibus reſpondet hujus militiæ *tempus*, ſi quidem hic *Romani Græcos*, quod in pleriſque aliis ſolebant, fuerint imitati.

§. XIV. Digna porro quæ expendantur arbitror *Velleii* illa in hac cauſa verba: *Hoc* (inquit) *tempus me, functum ante tribunatu caſtrorum, Tiberii Cæſaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione miſſus cum eo præfectus equitum in Germaniam ſucceſſor officii patris mei, cæleſtiſſimorum ejus operum per annos continuos IX. præfectus aut*

Horum omnium honorum *tempora* à *legibus* conſtituta fuiſſe videntur.

[1] Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 11.

legatus,

legatus, ſpectator, & pro captu mediocritatis meæ adjutor, fui. Id innuit nimirum, ut puto, neceſſarium quendam fuiſſe in his honoribus nexum, & *tempus*, pro ſuperiori illa, cujus meminit *Suetonius*, *Auguſti* diſpoſitione, *legitimum*. Ita nimirum ut *tribunatu* functus dici non potuerit, niſi *tempus* tribunatui univerſo conſtitutum expleviſſet; ut, præter *tribunatum legionum*, alius ille *tribunatus caſtrorum* fuerit etiam neceſſarius; ut tribunatu *utroque* functus tum demum fuerit novæ illi *equitum præfecturæ* maturus, & per *legem* idoneus; ut denique hoc ipſo tempore *ſtipendia tribunatus* expleverit, ut jam *caſtrorum* illo *tribunatu* functus, *Tiberii* deinceps *miles* eſſe poſſet. Has enim ſibi gratulatur συντυχίας, & pro bono quaſi omine habere videtur ipſe mirus adulandi artifex, quod *temporum* ſuorum *legitimorum* rationes ita cum *Tiberii* expeditione *Germanica* concurrerint, ut integrum ei fuerit rerum à *Tiberio* in *Germania* geſtarum illo *novennio* omnium vel *teſtis* eſſe, vel *particeps*. Alioqui nulla fuiſſet illi neceſſitas honores *olim* à ſe geſtos commemorandi niſi quatenus viam ſtruebant ad ultimam illam, quam ſub *Tiberio* geſſit, militiam. Hic ergo, ſi *Velleii* mentem aſſequimur, ita *legitimi* fuerint illi adoleſcentum *ſenatoriorum* dum in ordine *equeſtri* eſſent, *honores*, & *honorum tempora, ſtipendiorumque* in honore unoquoque *numerus*. Sic erunt noſtræ illæ obſervationes, non in hiſtoria *Velleii* ſola, ſed in coæva illorum temporum *chronologia* univerſa, utiliſſimæ.

Tribunatus ille poſterior *caſtrenſis* opponebatur *beneficiario*. Præfectura *equitum* eadem quæ *alæ*.

§. XV. Erat enim certe *præfectura* illa *equitum* idem militiæ *gradus* cum eo quem *alæ præfecturam* dixerat *Suetonius*. Cum eo nimirum idem qui *tertius* erat in militia *equeſtri*, & cui *ſenatoriis* adoleſcentibus non alia lege locus erat,

niſi

niſi ante functi fuiſſent *tribunatu.* Pro *lege* ſcilicet *Auguſti*, ſub quo vixit militavitque *Velleius*, qui *tertium* locum *illi* præfecturæ dedit cui *ſecundum* poſtea à *Claudio* datum obſervavimus. In eam enim ſententiam addit præterea [1] *Suetonius*, *ne quis expers caſtrorum eſſet*, *binos plerumque laticlavios præpoſuit ſingulis alis.* Cum ait *laticlavios alis* fuiſſe præpoſitos, exinde facile colligitur, *tribunatu* fuiſſe defunctos, cum non antea *laticlavium* accipere ſolerent quam fuiſſent in *tribunatu.* Ait præterea factum hoc ab *Auguſto* eo conſilio, ne quis *expers caſtrorum* eſſet. Inde etiam & illud intelligimus quam accurate invicem reſponderint *alarum* illæ in *caſtris* præfecturæ, & *tribunatus* eas præcedens, ſimiliter & ipſe *caſtrorum.* Fierique adeo poteſt ut *prior* ille *tribunatus*, qui *caſtrorum* non fuit, *beneficiarius* duntaxat fuerit, cum *immunitate* à *muneribus caſtrenſibus.* Inde fortaſſe factum ut, præter *tribunatus* illos priores *beneficiarios*, neceſſarii fuerint præterea *tribunatus caſtrorum* quibus imbuerentur nobiles adoleſcentes diſciplina *munerum caſtrenſium.* Et ſuum tamen uterque *tribunatus* uſum habebat in diſciplina reipublicæ. Inſerviebat *tribunatus beneficiarius otio* illi quod *ſtudiis* forenſibus *Juris*, *Oratoriæ*, *Judiciorumque*, impendendum erat ab illius etiam ampliſſimi ordinis adoleſcentibus, ut *ſtipendia* interim ad locum in *ſenatu* capeſſendum neceſſaria nihilominus procederent. Ne tamen rerum *militarium* plane rudes ad clavum reipublicæ admoverentur, cautum eſt ne *ſolus* ille qui *muneribus* militiæ *vacaret* tribunatus ad locum in *ſenatu* ſufficeret, ſed alii accederent præterea *tribunatus* anni *veris* officii *tribunitii* & *caſtrenſis muneribus* impendendi. Et quidem *tribunatus* iſtiuſmodi *beneficiarii*, quique *munere*

1 *Suet.* Aug. c. 38.

vacaverit, mentio occurrit apud [1] *Ciceronem*, ne juniora addam *Velleio* teſtimonia. Nominabantque etiam in libera republica magnam *tribunorum* partem *Imperatores duceſque* exercituum. Inde *conſulum* legimus *beneficiarios*, nec illorum tantummodo, ſed præſidum etiam *provincialium*. Penes illos erat *tribunos* à ſe deſignatos à *muneribus* excuſare. Ita non *milites* duntaxat *gregales*, propter *præmia honeſtaſque miſſiones*, ſed *tribunos* etiam propter *munerum vacationes* habebant ſibi obnoxios, *veteranos*, *beneficiarios*, *evocatos*. Redibant enim ad militiam, duce revocante, miſſi olim *veterani*, nulla jam cogente *lege*, ſed veterum duntaxat *beneficiorum* gratitudine. Nec alia, ut puto, cauſa nominavit *Velleius* [2] ſuos in hoc tribunatu *duces*, patrem *Vinicii*, ad quem ſcribit, conſulis *Marcum* & *P. Silium* quam hac ipſa *gratitudinis*. Inde illa cum *Vinicio* conſule neceſſitudo. Inde & illa cum *A. Licinio* [3] *Nerva Siliano Publii*, ſub quo meruit, *Silii filio*, cujus *mentioni locum* ſe *quæſiſſe* fatetur ipſe, *juſtoque* tribuit *ſine mendacio candori*. Nam & *poſterorum* caritatem conciliabant iſtiuſmodi *deceſſorum beneficia*. Itaque *beneficiarium* ſuum illum fuiſſe *tribunatum* his, ni fallor, indiciis prodit ipſe *Velleius*. Optimeque ſane reſpondet *Græcæ Epheborum militiæ* domeſticæ, quæque *patriæ* fines egreſſa non fuerit, *tribunatus* ille de quo agimus, non *caſtrenſis*, ſed *beneficiarius*. Fecitque *otium* ſtudiis fori non minus ad rempublicam tractandam neceſſariis quam fuerint illa *militiæ*. Inde conſentaneum erat ut *vacationem* illam à *muneribus* tam *brevi* ſpatio concludendam non *permitterent* tantummodo, verumetiam in *legem* verterent. Supererant enim inter *Græcæ Romanæque pubertatis* fines *anni* aliquot *ſtudiis* hiſce tam utilibus etiam ipſi non in-

1 *Cic.* Ep. ad Q. fratr. 2 *Vell.* L. II. c. 101. 3 *Vell.* L. II. c. 116.

utiles.

utiles. Poteſt itaque hoc etiam modo intelligi *caſtrorum tribunatus*, rectiuſque quam de *tribunatu prætoriano*. Ne quidem hic nocebit rationibus noſtris, quas dedimus, *Chronologicis*. Illud certum, hoc *urbis* anno *Varroniano* 757. *finem* fuiſſe *tribunatus Velleii caſtrenſis* univerſi, *initium* autem *militiæ novæ* quam obierit ſub *Tiberio*. *Non* [1] *diu Tiberium poſt adoptionem in urbe* dicit *moratam* fuiſſe *patriam*, ſed *protinus in Germaniam miſiſſe*. Et ſe etiam teſtatur hoc ipſo tempore *Tiberii Cæſaris militem* fuiſſe factum, & *protinus ab adoptione miſſum cum eo præfectum equitum* fuiſſe in *Germaniam*. *Tiberii* adoptionem eo in loco, ni fallor, intelligit; non autem *ſuam Velleius*, ut aliquando ſuſpicatus ſum, è gente in qua natus fuerat, *Magia*. Non aliter potuit, ut oſtendimus, *per annos continuos IX. Tiberii ſpectator* fuiſſe aut *adjutor*, ſi *ſerior* ejus illa fuerit cum *Tiberio* militia. Potuit fortaſſe *triumpho Tiberii* ſpatium illud terminari, & de *cæpto novennio* duntaxat intelligi, cum certe ultra annum *urbis* 765. *triumphus* ille differendus non ſit. Illud certum, poſt *triumphum*, nunquam deinde in *Germaniam* rediiſſe *Tiberium*.

§. XVI. Manſit ergo *Velleius* in hoc *tertio* militiæ gradu *biennio*, uſque ad *equeſtris militiæ* finem. Anno autem urbis 759. expletis ſtipendiis, *Roma* adeunda erat ad petendam *quæſturam*. Redierat autem ſub finem anni 758. *finitis æſtivis*, in urbem *Tiberius*, & cum eo fortaſſe *Velleius*. Sed major imminebat ſub initium anni 759. belli moles, deficiente cum ſuis *Marcomannis Maroboduo*, & *Pannonia* quoque univerſa atque *Delmatia*. Manſit autem aliquantiſper poſt *Tiberium*, ut videtur, in urbe *Velleius quæſturæ* hujus anni *comitiis* candidatus.

Legati legionum non alii, illis temporibus, quam *tertii*, ad minimum, anni *ſenatores*.

[1] *Vell.* L. II. c. 104.

Deſignatus quæſtor partem exercitus ab urbe traditi ab Auguſto perduxit ad filium ejus, jam ſcilicet *antea* reverſum in *Germaniam*. Hunc *ſpecioſi miniſtri* locum appellat ipſe [1] *Velleius*. In eo ſe, *necdum ſenatorem, ſenatoribus æquatum* fuiſſe dicit, nec *infimi* in ſenatu ordinis illis, ſed *deſignatis* etiam *tribunis*. Nondum erat nimirum *ſenator*, qui nondum *quæſtor* erat, ſed ad *quæſturam* duntaxat *deſignatus*. Hoc tamen *miniſterium* ſuum ita *ſenatoribus* proprium fuiſſe innuit, ut ne quidem *quæſtoribus* credi antea ſoleret quam etiam ipſi ad ſuperiorem *tribunatus* in ſenatu gradum fuiſſent ad minimum *deſignati*. *Primum* nimirum in *ſenatu* annum *quæſtura* ipſa occupavit, *ſecundum provincia quæſtoria*. Ita factum ut non ante *tertium*, ex quo in *ſenatum* admiſſi fuiſſent, annum, *novum* illum, quem tantopere deprædicat *Velleius*, honorem capeſſere poſſent vel *ſenatores*. Tunc etiam ea lege, ut nullam paſſi fuiſſent in *tribunatu* ambiendo repulſam. Quæ vero erat illa in homine *ordinis* jam *equeſtris* tam *ſpecioſa* militia? Quod ſcilicet *exercitus partem* duxerit. Num igitur *cohortes alaſque*, quibus *equeſtres* præfectos fuiſſe diximus, pro *exercitus* proinde *partibus* non habendas eſſe cenſebimus? Erant illæ proculdubio, *remotiori* quodam *ſenſu*, exercitus partes. *Propiori* tamen ſenſu *legionum* potius *auxiliorumque* quam *exercitus* partes erant appellandæ, qua nimirum in uno cum *legionibus cenſu auxiliares* etiam veniebant intelligendi. Num ergo *legionem* fuiſſe cenſebimus quam ad *Tiberium* duxerit *Velleius*, *partem* nimirum *exercitus conſularis*, qui *duabus*, ad minimum, conſtare ſolebat *legionibus*? Hoc proculdubio voluit *Velleius*. Erat tamen, fateor, cur, id ne verum eſſet, aliquando dubitarem, quod proximo à

[1] *Vell.* L. II. c. 111.

quæſtura

quæſtura anno tum demum ſe *legatum ejuſdem* ad eundem *Tiberium* miſsum fuiſse teſtaretur. Innuens, ut exiſtimabam, nondum ſe, cum antea mitteretur in *Germaniam* fuiſse *legatum.* Quod ſi *legatus* nondum fuiſset, *legio* integra eſse vix potuit cujus *præfectus* alius fuiſset à *legato.* Sin *legionis pars* duntaxat fuerit *pars* illa *exercitus,* cui præfuit *Velleius,* ubinam quæſo *ſpecioſum* illud erit *miniſterium*? ubinam honor pluſquam *equeſtris,* & plane *ſenatorius*? ubinam dignitas *quæſtura* ipſa *ſuperior,* & *tribunatui plebis* par, ſaltem *deſignato*? An quod *legionis partem,* ad *Cæſarem* tamen, ducere nemini licuerit, præterquam *tribunitio ſenatori*? Habebant ſane illius rationem Veteres, *ad quem* mittendus eſset nuncius, in *nuncii* dignitate, quod multis probari poſset, ſi opus eſset, exemplis. Quid ſi etiam *legionem integram,* abſente *legato,* ducere licuerit *primæ cohortis tribuno*? Et tamen *primæ* cohortis *tribunus* nemo fieri poſset qui *tribunatu plebis ſenatorio* ad minimum *deſignato* non ante fuiſſet inſignitus? Sic omnia optime cohærerent. Præcedebat enim *prima cohors* alias & *numero* (*Vegetio* [1] teſte) militum, & *dignitate.* Et *milites* habuit ſelectiſſimos, & *numerum* eorum *duplo* fere, quam aliæ, majorem. Et *pignora* habuit omnium cariſſima, *Legionis Aquilam*, & *Principis imaginem.* Proinde conſentaneum eſse potuit, ut *tribunum* habuerit tam *ætate* reliquis, quam etiam *dignitate* celſiorem. Itaque cum aliis *cohortibus tribuni* ſufficerent *ætate* pariter atque *ordine* duntaxat *equeſtres*; in hoc *primæ cohortis tribuno* congruum eſse potuit, ut, præter *ordinem ampliſſimum, ætas* præterea eſset *ſenatoria.* Sic enim *reliquis tribunis* cum auctoritate præeſse potuit, tam *anguſticlaviis* quam *laticlaviis,* ſi & *ordine* anguſticlaviis, & la-

1 *Veget.* L. II. c. 6.

ticlaviis *ætate* fuiſſet ſuperior. Sic etiam locum *abſentis legati* ſupplere, ſi quid haberet in ſe eximium quo neceſsaria poſset in reliquos tribunos *auctoritas* conciliari. Quod ſi *ſenatorium* illum fuiſſe oporteret; inde præterea intelligeremus cur *tribunatus* ille *plebis*, qui hoc tempore *ſenatorius* erat, fuerit in *tribuno* illo, de quo agimus, *cohortis primæ*, neceſsarius. Exigebat hoc in primis *nomen* commune *tribuni*. Ea potiſſimum de cauſa quod *tribuni* illi *plebis* fuerint etiam ipſi à prima ſua origine *militares*. Exigebat præterea, quod *militaris* non eſſet primus in *ſenatu* gradus *quæſturæ*, nec *ædilitas curulis* quæ *parem* in *ſenatu* locum ſibi vendicabat cum *ſenatorio* illo *tribunatu plebis*, pro ordine ſaltem *legis annariæ*. Ut tamen non fuerit *quæſtura* officium ex profeſso *militare*, & alios ſæpe à quæſtoribus *legatos* haberent qui pluribus *legionibus* imperabant; urgente tamen neceſſitate ſatis erat vel *quæſtor* qui exercitui, abſente Imperatore, præeſſet. Sic legimus *Tremellium Scrofam Licinii Nervæ* prætoris *quæſtorem* in *Macedonia* (inquit [1] *Varro*) provincia relictum, qui præeſſet *exercitui*, dum *prætor* rediret. Fueritne ille *tribunus*, vel *deſignatus*, de eo nihil *Varro*. Imo *non* fuiſſe veriſimilius eſt. Nec enim ante *quæſturam provincialem*, qua jam inſignitus erat *Tremellius*, proximum quæſturæ honorem vel *petere* licuit in *Comitiis*. Sed opus non eſt ut eò confugiamus. Non opus eſt ut verba *Velleii* ita interpretemur, ut quia *poſtea* legatus miſsus fuerit, proinde antea legatus *non* fuerit. Nec ratio ulla veriſimilis eſt, cur vel *legatus abeſſet* legionis jam noviter conſcriptæ. Nec enim nominandus erat ad legationem (illa præſertim urgente neceſſitate) qui munere defungi non poſset. Imo *legatum* ſe fuiſſe ipſe nos

1 *Varr.* R. R. L. II c. 4.

poſtea

poſtea docet *Velleius* [1], cum *legatos* ait, *inter quos* ipſe fuerit, *partitis* fuiſſe *præfectos hibernis*. Erant enim, ut mox [2] oſtendemus, hiberna illa anni 759. cum *nondum* quæſturam ipſam obiiſſet. Hinc ergo intelligimus non aliis credi ſolitas, cum ſcriberet *Velleius*, legionum *legationes* quam *tribunis plebis* ad minimum *deſignatis*, vel *tertii* ſaltem *anni ſenatoribus*. Quæ certe obſervatio in re *Chronologica* horum temporum utiliſſima eſt.

§. XVII. Et quidem hoc anno 759. rebus pleriſque à *Tiberio* geſtis interfuit *Velleius*. Ab eo nimirum tempore quo *Germaniam* attigerat, cum *parte* illa *exercitus*, quæcunque demum fuerit, miſſi ab *Auguſto*. Hunc enim annum novi belli *Marcomannici* primum numerat. *Quas nos* [3] (inquit) *primo anno acies hoſtium vidimus?* &c. eò & illa ſpectant: *Felix eventu, forte conatu, prima æſtate belli Meſſalini opus mandandum eſt memoriæ*, &c. Hæc *Meſſalini* geſta, *ſubita* adhuc *rebellione*, fuiſſe tradit *Velleius*, huic etiam ipſi, in quo verſamur, anno 759. aſſignat *Dio* [4]. Sed vero *primus* ille annus non belli *Delmatici* primus, pro *Velleii* certe rationibus, intelligendus eſt. Non ſcilicet *triennii* primus, ut olim ſuſpicabamur, quo debellatum in *Illyrico* ſcribit [5] *Suetonius*. Fateor hoc ipſo anno fuiſſe belli illius *Delmatici* initium. Sed *triennii* initium inde arceſſendum eſt ex quo venit in *Pannoniam* ipſe *Tiberius*, cum hoc anno bellum illud per *legatos* tantummodo gereretur. Idque ſatis manifeſte innuunt verba *Suetonii*. Loquitur hic *Velleius* de *duplici* ſuo in *Germaniam* adventu, alio qui quæſturam *præceſſerit*, alio qui eandem fuerit *ſecutus*. Sic ille nimirum ut *primum* annum primamque æſtatem de

Anni 759. rebus geſtis pleriſque aderat *Velleius*.

1 *Vell.* L. II. c. 113. 2 §. 17, 18. 3 *Vell.* L. II. c. 111. ib. c. 112. 4 *Dio* L. LV. 5 *Suet.* Tiber. c. 16.

priori

priori ſuo *adventu* intellexerit. *Primus* ergo hic, de quo loquitur, annus *quæſturæ* erat ſuæ tantummodo *deſignatæ*, quo miſsus ab *Auguſto* poſt *comitia* (quibus *quæſtores* etiam *candidati* erant in ſequentem annum *deſignandi*) rebus deinde à *Tiberio*, poſt appulſum ſuum, geſtis aderat. *Medium* annum tenebant pro more *comitia*. Erant præterea *dies* aliquot neceſſarii itineri in *Germaniam*. Sic anno exeunte res geſtæ fuerint oportet quas *videre*, quibus *ipſe* poſſet intereſſe, *Velleius*.

Anno 760. *quæſtor, exeunte* tamen, cum *Tiberio*, *Velleius.*

§. XVIII. Sequebatur annus *quæſturæ Velleianæ*, urbis nimirum 760. Hujus maximam partem egit *Romæ*, vacans nimirum muneribus *officii*. Sic tamen ut tempore, quam poſſet per *leges*, minimo abeſſet à *Tiberio*. Certe ſuperioris anni 759. fine, ſe *legatis* illis accenſet *Velleius* [1] quos *hiemis initio Tiberius partitis præfecerit hibernis*. Itaque *hiemis* partem ſaltem aliquam in *caſtris* egit *Velleius*, dum alius ſuffici in locum ejus poſſet qui vicem ejus *abſentis* ſuppleret. Sed *hiberna Velleius æſtivis militaribus* opponit, quæ certe ipſe non ultra menſem *Decembrem* [2], cum eſſent diutiſſima, producit. Hoc autem anno ſolito *maturiora* fuiſſe veriſimile eſt. Inde enim ſuſpicionem captavit, ut videtur, *Auguſtus protracti* à *Tiberio* ultra neceſſitatem belli, quod in *hiberna* citius, quam neceſſe eſſet, ſeſe receperit. Meminit certe *Velleius hibernorum* quæ etiam in [3] *autumnum* inciderint. Sic apud illum certum eſt, cum de re præſertim *militari* loquitur, non *quartam* anni partem, quam proprie *hiemem* appellamus, *hibernorum* nomine denotari. Et *aſperrimæ hiemis initio* ipſa illa, de quibus agimus, *hiberna* tribuit ipſe *Velleius*. Sic potuit *hibernis* in *Germania* præfici *Velleius*, & tamen *Romæ*

1 *Vell.* L. II. c. 113. 2 *Vell.* L. II. c. 105. 3 *Vell.* L. II. c. 114.

anni

anni ſequentis *initio* adfuiſſe ad *quæſturam* in *urbe*, pro more, ineundam. Etiam *anni*, quo *quæſtor* erat, partem ſaltem aliquam cum *Tiberio* fuiſſe, nec *domi* modo, verumetiam *militiæ*, exinde colligimus, quod *per annos continuos IX. Tiberii* ſe ſeu *ſpectatorem*, ſeu etiam *adjutorem*, fuiſſe teſtetur. Anni illi *continui* eſſe non poterant niſi *ſingulorum* partem ſaltem cum *Tiberio* egerit. Nec *ſpectator* ille, aut *adjutor*, erat, præterquam rerum in *militia* geſtarum. Hanc enim certe *Tiberii militiam* illo in loco celebrat *Velleius*. Et propterea ſortem *quæſturæ provincialis* (quæ anni erat 761.) remiſit noſter hoc ipſo, ut videtur, fine ut *Tiberio* adularetur, *artis* (ut ex hoc ipſo libro conſtat) *adulatoriæ* peritiſſimus. Ne quam ſcilicet *periculi*, quo verſabatur ille, partem defugiſſe videretur. Sic redierit ad *Tiberium* ſub finem anni 760. quo ipſam *quæſturam* geſſerat, *poſt* tempus tamen *ſortiendis provinciis* conſtitutum. Inde enim liberior erat muneris adminiſtratio, partem nimirum muneris ſuſcipientibus magiſtratibus in annum ſequentem *deſignatis*. Ita *Cæſarem*, nondum finito *prætura* anno, in *provinciam* tamen conceſſiſſe alibi [1] probavimus. Tum demum legatum ſe noſter ab *Auguſto* rurſus ad *Tiberium* miſſum fuiſſe docet. Vel inde conſtat, quanquam anni 759. *hibernis* præfectus fuerit, non tamen ita illum in hibernis *detentum* eſſe quin *Romam* redierit ad *quæſturam* gerendam, quæ primo anno *urbana* fuit, non *provincialis*; imo ut in *ſenatum* adlegi poſſet, quem nemo alibi quam *Romæ* haberi ſolitum exiſtimat. Nec enim locum hic habebant *ſenatores* è principis *conſilio* quorum decreta *ſenatuſconſultorum* vim habebant. Non conſtat ullos è conſilii hujus ſententia in *ſenatum* adlectos, utcunque *jus* in *ſenatum* adlegendi pro jure

1 Append. ad Pagi. *Camden.* p. 725.

poteſtatis *cenſoriæ*, ipſe princeps habuerit. Et certe nondum *conſilium* illud *ſenatorium* aderat *Tiberio*, ſed *Auguſto* ſoli, cum *nondum* conderetur ſenatuſconſultum quo *Tiberium Velleius æquatum* dicit *Auguſto*.

Annus 760. *primus* belli triennis *Illyriciani* geſti à *Tiberio*.

§. XIX. Et quidem ab hoc ipſo *quæſturæ Velleianæ* anno urbis 760. *triennium* illud inchoandum eſt quod bello *Illyriciano* impenderit *Tiberius*, teſte *Suetonio*. Nec erit à noſtro conſilio alienum ut hoc verum fuiſſe probemus, cum & ab aliis nondum ſit (quod quidem ſciam) occupatum, & nonnulla inde pendeant utiliſſima in noſtra hac, de qua agimus, *Chronologia Velleiana*. Jam quidem antea conceſſimus *initium* tumultuum *Delmaticorum* in annum *ſuperiorem* 759. eſſe conferendum. Imo & *prælia* illius anni in *rebelles* habet *Dio*. Non tamen veniunt illa in cenſum *triennii* de bello à *Tiberio* ipſo geſto *Suetoniani*. *XV.* enim *Tiberii legiones* illo *triennio* memorat [1] *Suetonius*. *X.* tantummodo ſuperioris anni fine [2] *Velleius*. *VIII.* nimirum è præſidiis utriuſque *Germaniæ* ſuperioris inferioriſque, pro diſpoſitione *Auguſti*, numerant [3] *Tacitus* atque [4] *Dio*. His novæ aliæ duæ acceſſerant ex *Italia* nuper conſcriptæ, in quarum altera meruit *Velleius*. Reliquæ *V.* erant provinciarum, in quibus bellum gerebatur, ſingularum ſingulæ, duarum nempe *Mœſiarum*, duarumque ſimiliter *Pannoniarum*, cum legione illa [5] *ſemiplena* cujus meminit *Velleius* in ipſa etiam *Delmatia*. Imo illum *tranſmarinarum provinciarum* exercitum è *V. legionibus* fuiſſe conflatum teſtis ipſe [6] *Velleius* eſt. *Tranſmarinas provincias Italiæ* reſpectu intellexit, trans *mare* nimirum *Adriaticum*. Erat enim *A.* ille *Cæcina* alterius *Myſiæ* præfectus,

1 *Suet.* Tiber. c. 16. 2 *Vell.* L. II. c. 113. 3 *Tacit.* Ann. IV. 5. 4 *Dio* L. LV. ann. 758. 5 *Vell.* L. II. c. 112. 6 Ibid.

nec

nec longe *Silvanus Plautius*, ut è *Dione* diſcimus. Utcunque tamen exercitum *Tiberii* univerſum *X.* fuiſſe duntaxat *legionum* [1] docet *Velleius*, qui etiam illud addit, *paucis* tantummodo *diebus ad refovendas ex itinere ejus vires*, cum *Tiberio* fuiſſe *moratum*, mox *eò unde venerat* fuiſſe dimiſſum, in *partita* ſcilicet *hiberna*. Hæc nempe *fine* anni 759. unde ſatis conſtat nondum cœpiſſe bellum illud *trienne* quod cum *legionibus XV.* geſſerit *Tiberius*. Primus ergo *belli* annus is ipſe eſt quo *quæſturam* geſſit ipſe *Velleius*, *Varronianus* nimirum 760. Tunc ad *Tiberium Siſciæ hyemantem* conveniunt ex *hibernis* quæque ſuis XV. illæ quarum opera uſus eſt, in illo bello, legiones. Sed ſerius movit ex *hibernis Tiberius*, eo fortaſſe prætextu, quod *legiones* exſpectaret. Inde *cunctari* viſus *Auguſto*, bellumque, quam neceſſe eſſet, diutius protrahere. Hæc ſcilicet *utilia Tiberii* conſilia, quæ illum *ſpecioſis prætuliſſe* [2] dicit noſter adulator. Inde ſuſpectus *Auguſto* miſſuſque adeo *Germanicus* qui bellum una cum *Tiberio* adminiſtraret. Additi *Germanico* milites, non *ingenui* modo, ſed *liberti* etiam, cum alii, tum quotquot à *viris & mulieribus ſervos, ſex menſium annona, præter pretium, indicta, redemerat Auguſtus, ac manumiſerat.* Ita [3] *Dio*. Eodem illa referenda quo & noſtra illa *Velleii*: *Viri feminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militem.* Iidem nimirum illi milites quibus uſum *Auguſtum* teſtatur *Suetonius* [4], ad *præſidium coloniarum Illyricum contingentium.* Iidem, inquam, cum *cohortibus Libertinorum* quas in *Germania* & *Illyrico Auguſtum legiſſe* teſtatur [5] *Macrobius*. Atqui in his miſſis ab *Auguſto*, & ab *urbe*, copiis noſter meruit *Velleius*. Hinc facile colligimus, non jam

1 *Vell.* L. II. c. 113. 2 *Vell.* ibid. 3 *Dio* L. LV. 4 *Suet.* Aug. c. 25. 5 *Macrob.* Sat. L. I. c. 11.

Tiberii fuiſſe, ſed *Germanici, militem legatumque.* Inde factum ut *Tiberium* deinde *ſpectarit* potius quam *adjuverit.* Nec enim longe invicem diuve aberant *Tiberius* atque *Germanicus.* Inde *fratrem* ſuum *Magium* [1] *Celerem Tiberii adjutorem legatumque* deprædicat in bello *Delmatico.* De *ſe* nihil tale : non proculdubio taciturus, ſiqua ſua in *Tiberium,* in illo bello, merita fuiſſent. Et tamen bellum *Delmaticum* non antea aggreſſus eſt *Tiberius* quam *Pannonicum* abſolviſſet. Quo certe tempore *Velleio* ne quidem *quæſtura* obſtare potuit quo minus *Tiberium* comitaretur, ni jam mereret in exercitu *Germanici.* Hinc etiam *Germanici* [2] in bello *Delmatico experimenta virtutis* celebrat *Velleius.* Non certe quæſito, ut in aliis, adulandi loco, cum & mortuus jam eſſet *Germanicus,* nec *memoriæ* eſſet *Tiberio* admodum gratæ. Ne jam & illud addam, quod alibi [3] videatur in *Germanicum,* ni ſuſpecta loci lectio eſſet, iniquior. Sed vero teſtimonium illud *Tiberii* filio *adoptitio* dedit *Velleius,* quod teſtis eſſet rerum à *Germanico* geſtarum. Docet præterea *Dio* ipſo *quæſturæ* ſuæ anno miſſum eſſe *Germanicum.* Nempe pro lege principum, quibus concedi ſolebat ea legis *annariæ* indulgentia ut *quinquennio* citius *quæſturas,* quam alii, peterent, gererentque. Ita *quæſturam* anno *ætatis XX.* geſſerit *Germanicus,* quam *Velleius ætatis* anno *XXV. privatus* nimirum, nec ulla legis *indulgentia* ſolutus. Sed vero, ut *quæſturæ* anno expeditionem *Illyricianam* ſuſcepit *Germanicus* ; ſic nihil obſtabat quo minus illum *ſuæ* quoque *quæſturæ* anno comitatus fuerit ſimiliter *Velleius.* Ambo ſatis commode hoc idem fecerint, ſi poſt *Comitia, deſignatoſque* ſequentis anni *quæſtores,* profecti fuerint. Potuitque cauſa *ſeræ* profectionis eſſe *mora* illa *Tiberii,* quæ *ſuſpectum* illum

[1] *Vell.* L. II. c. 115. [2] *Vell.* L. II. c. 116. [3] *Vell.* L. II. c. 125.

Auguſto

Auguſto fecerat. *Sero* nimirum ex *hibernis* moverat *Tiberius*. Et tamen poſtea aliquot *dierum* iter neceſſarium erat ut de *æſtivis Tiberii* moneretur *Auguſtus*. Inde *moræ* aliæ neceſſariæ erant quibus & conſilium de *Germanico* mittendo ceperit *Auguſtus*, & *Germanicus* ipſe ſeſe *itineri* accinxerit. Sic *æſtate* jam *affecta*, & peractis ſequentis anni *comitiis*, moverit in *Pannoniam Germanicus*, comitemque ſatis commode habere potuit noſtrum è *quæſtura Velleium*. Nec ſane exigunt res hujus anni narratæ à *Dione* maturiorem *Germanici* profectionem. Poſtea quam *Germanicus* in *Pannoniam* appuliſſet, tum demum *confluxiſſe* dicit *exercitus*. Tum *Severum* è *Mœſia* venientem adorti ſunt rebelles victique. Poſtquam in unum conveniſſent, aliud præterea nihil à *Germanico* actum legimus, quam quod *Mazæos*, gentem *Delmaticam* pugna victam damnis affecerit.

§. XX. Hoc ergo anno *legatus principis* videtur fuiſſe *Velleius*. Et quidem *Senatorum* propriæ illæ videntur fuiſſe *legationes*. *Legatos* certe *provinciarum* vix alios legimus quam *Conſulares* aut *Prætorios*, excepto *Ægypti* præfecto qui *Equeſtris* eſſe ſolebat propter oracula *Sibyllina*, ne *faſces* haberet infauſto reipublicæ omine in *Ægyptum*, ut credebant, inferendos. Exceptis etiam, ſi quæ aliæ eſſent, ad *exemplum Ægypti*, in aliis quoque provinciis, *Ægyptiacæ præfecturæ*, quas tamen nullas, per hæc *Auguſti* tempora, ut puto, legimus. *Tribunitios* legatos aut *ædilitios* raro admodum, ſi forte unquam, memorant hiſtorici. Et tamen *provinciam* adminiſtravit *Otho* per *decem annos*, adhuc tantummodo *quæſtorius*, teſte [1] *Suetonio*. Et *plerumque* quidem ex *prætoriis*, nonnunquam tamen ex iis etiam qui *quæſturam*

Legati provinciarum omnes ſenatorii.

1 *Suet.* Oth. c. 3.

aliumve intermedium magiſtratum geſſiſſent delectos *provinciarum legatos* teſtatur [1] *Dio.* Potuit ergo *Velleius* hoc tempore *legatus* fuiſſe *quæſtorius.* Et quidem non *exercitus* ſolius, qui *plures* erant nonnunquam in eadem *provincia*, verumetiam *provinciæ*, ſi præſertim *unicæ legionis* fuiſſet *exercitus*, quales ſæpe erant in *minoribus provinciis.* Erant quidem *provinciæ Cæſaris* nonnunquam *duplices*, ut ſcilicet *alias* ſub ſe complexæ fuerint *provincias.* In illis *legatus Cæſaris* alios ſub *ſe* habuit legatos *ſingularum provinciarum.* Sic habuit *Plinius* junior *Pontum* & *Bithyniam*, quarum provinciarum *alteram*, in qua ipſe non aderat, per *legatum* adminiſtravit. Erant itaque *cujuſcunque generis* legati, vel propter *faſces*, *juſque gladii*, & *imperium* in *exercitus*, excepto *Ægypti* præfecto, aliiſque, ad illius exemplum, *præfectis Ægyptiacis*, ordinis omnes *ſenatorii.* Eo tamen diſcrimine, ut provinciis illis *majoribus* & *multiplicibus* non alii præfici ſolerent quam *conſulares*, aut *prætorii.* Erant enim hi *principis* ipſius *legati*, ejuſque vicem in *provincia* ſuſtinebant. Minores illi *ſimplicium provinciarum legionumve ſingularum* legati *majorum* potius *præfectorum* quam *principis legati* habebantur. Ut proinde ſufficerent *illis* legationibus obeundis *minorum* gentium *ſenatores*, etiam *tribunitii*, *ædilitii*, atque *quæſtorii.* Præcipue vero *quæſtorii* ; cum etiam in libera republica, præter rem *pecuniariam*, alia quoque *conſulum prætorumque* munia pro tempore *abſentium* obirent eorundem *quæſtores.* Imo variæ erant in una eademque provincia *prætoria*, illis quoque temporibus, provinciæ *quæſtoriæ.* Duas certe fuiſſe in *prætura Sicilienſi* docet [2] *Aſconius.* Inde factum ut jure *gladii* ornarentur etiam ſæpe *quæſtores.* Inde etiam ut *prætorum conſulumque* vicarii

1 *Dio* L. LIII. ann. 726. 2 *Aſcon.* in Verrin.

eſſent,

eſsent, etiam in *imperio.* Inde ut *minores* hi legatorum ordinariorum *legati*, vel *quæſtores* deinde eſſent, vel *quæſtorii.* In his *minorum* gentium *legatis* locum habuit *Velleius*, ſecundo hoc militiæ ſuæ gradu, non jam amplius *equeſtris*, ſed *ſenatoriæ.*

§. XXI. Addit porro *Velleius legatum* ſe *ejuſdem ad eundem* hoc anno fuiſse miſsum. Meminerat autem ſupra *duorum.* Dixerat enim ſe *traditi ab Auguſto exercitus partem ad filium ejus perduxiſſe.* Inde *duobus* verba illa modis intelligi poſsunt; vel nimirum ita, ut *Auguſti legatus* miſsus fuerit ad *Tiberium*; vel ut *Tiberii legatus* ad *eundem* imperatorem ſuum venerit *Tiberium.* Cur *Tiberii legatus* intelligatur ea ratio eſt, quod *Tiberii* ſeſe *militem* [1] agnoſcat. Imo *continuo* illo *novennio Tiberii* ſe vel *præfectum* fuiſse vel *legatum* innuit; inde ſe *ſpectatorem Tiberii* vel *adjutorem* fuiſse gloriatur. Ita *præfecturam* illam *legationemque Tiberii* fuiſse convenit, quibus nimirum in verba *Tiberii* ſacramentum militare ſuſceperit, illius *numini majeſtatique devotus.* Contra tamen facit, quod *miſsum* ſe fateatur ab *Auguſto.* Sic enim *Auguſti* fuiſse *legatus* intelligitur. Ita πεμπομένων nomine *legatos* deſignant, non *ſacræ* [2] modo *literæ*, verumetiam alii *coævi* illorum temporum ſcriptores. Id quoque facit, quod *Germanico* illum, non *Tiberio*, aſſignarit, uti vidimus, *Auguſtus.* Sed conciliari ambo illa fortaſse poſsunt, ſi non ita alterius legatus intelligatur ut alter penitus excludendus ſit. Principum enim *omnium* non modo erant in Numis *vultus*, verumetiam *imagines* in *vexillis.* Iiſdem *fidem exercituum* obſtrictam ex iiſdem diſcimus tam *Numis* quam *inſcriptionibus.* Imo principibus etiam *deſignatis.* Præcipue vero in *expeditione* agentibus. Maxime

Velleius Auguſti legatus, & tamen obnoxius *Tiberio.*

1 *Vell.* L. II. c. 104. 2 I *Pet.* II. 14.

vero

vero exercituum in provinciis bello præcipuo *finitimis*. *Plurium* certe *provinciarum* jus dedit, *pro* antiquo reipublicæ exemplo, *poteſtas* minorum etiam principum *proconſularis*. Imo *omnium*, tam *armatarum* quam *inermium* poteſtas illa tribunitia, qua jam certum eſt ornatum fuiſse *Tiberium*. Illum ergo pro *majore poteſtate* agnoſcere oportuit ipſum *Germanicum*, ut agnoverat *Caius* heres *Auguſti* deſignatus, propiorque quam fuerit ipſe *Tiberius*. Multo magis *Velleius* ipſi *Germanico* obnoxius. Præſertim nulla in contrarium *Auguſti* interceſſione, quam ſane nullam memorat *Velleius*. *Parem* undiquaque cum *Auguſto Tiberii poteſtatem* ante annum *Auguſti penultimum* ne quidem agnoſcit ipſe *Velleius*. Ita potuit *Velleius* ſimul *Auguſti legatus*, & tamen *miles* eſse *Tiberii*.

Legatio Velleii & præfectura quomodo invicem diſtinguendæ ſint.

§. XXII. Diſtinguit rurſus *Velleius* duplicem in ſua hac ſub *Tiberio* militia *ſenatoria* perſonam, *legati* aliam, aliam *præfecti*. Atque hæc officia ita invicem ſecernere videtur, ut in alio *ſpectator* fuerit, in alio *adjutor*, *Tiberii*. Sic etiam fortaſse, ut *præfecturæ ſpectandi*; *legationi adjuvandi*, munus aſſignet. Ita *præfectus* fuerit *abſentis Tiberii*; *legatus* autem *præſentis*, cum non *ſpectare* illum tantummodo, verumetiam *adjuvare* poſſet. *Præfici* autem ſolebant ab Imperatore *provinciis*; *præfici caſtris*, quacunque demum in regione, quacunque occaſione, *ſtativis*; præfici *hibernis*. Nec *hibernis* duntaxat *integris*, verumetiam *partibus*, *præfici* ſolebant *legati*. Id ſane in bello hoc *Germanico* à *Maroboduo* inſtaurato factum indicat *Velleius*: *legatos* [1] (inquit) *inter quos ipſi fuimus*, *partitis præfecit hibernis*. Itaque, qui in majori exercitu, cum legioni ſingulari præeſſet, ad nutum Imperatoris moturæ, *legatus* fuiſſet; is

1 *Vell.* L. II. c. 113.

idem

idem *præfectus* erat cum *ſeorſim* propriam fixamque haberet *ſtationem*. Nec tamen, cum *præfectus* fieret, *legati* nomen exinde exuebat. Satiſque erat ad nomen *præfecti*, pro ſententia *Velleii*, ut vel *hibernis præficeretur*. Longe tamen frequentior illa vocis ſignificatio eſt qua *provinciarum* cujuſcunque modi *præſides*, ſeu *populi* fuiſſent, ſeu *principis*, ſeu *conſulares*, ſeu *prætorii*, ſeu *armatæ* fuiſſent provinciæ, ſeu *inermes*, communi tamen *præfectorum* nomine cenſentur. Hos etiam *præpoſitos* appellat *Velleius*. Ita *præpoſitum Illyrico* [1] initio hujus, in quo verſamur, belli memorat *Valerium Meſſalinum*, & *præpoſitum Delmatiæ* [2] in bello *Delmatico Vibium Poſtumum*. Utrobique non *civiles*, ſed *militares præpoſitos* intelligit, qui etiam iidem, propriiſſimo vocis uſu *præfecti* appellandi erant, quod *cuſtodiis ſtationibuſque*, non *foris* ſolummodo *civilibus*, *præficerentur*. Etiam *præfectos caſtrorum* memorat *Velleius* [3], qui erant *ſingularum* legionum *ſinguli*. Sic *Pœnium Poſtumum præfectum caſtrorum ſecundæ legionis* legimus apud *Tacitum* [4]. Et è tribus *Varî legionibus duos caſtrorum præfectos* nominat *Velleius* [5] inſigni alterum *fortitudine*, alterum *timiditate*. Majores erant *tribunis*, ut è [6] *Suetonii* diſcimus *Veſpaſiano*. *Aquilis* [7] legionum ſignis *proximi*, ante *tribunos primoſque centurionum*. *Tribuni* illi, ni fallor, & ipſi *caſtrenſes* erant, *equeſtris* duntaxat *ordinis*, cum fuerint *præfecti ſenatorii*. Iidem *hibernorum præfecti*, quod ſcilicet *caſtris* præficerentur *hibernis*. Erant enim *hiberna caſtra ſtativa*. Legimus etiam in *Velleio* [8] plurium legionum *præfectum M. Lepidum*. Imo *provinciarum*. Is idem *præerat* qui præficiebatur à *principe*. Atqui *Syriæ*

1 *Vell.* L. II. c. 112. 2 *Vell.* L. II. c. 116. 3 *Vell.* L. II. c. 112. 119, 120. 4 *Tacit.* Ann XIV. 37. 5 *Vell.* L. II. c. 119. 6 *Suet.* Veſp c. 1. 7 *Tacit.* H. II. 89. 8 *Vell.* L. II. c. 114.

præfuiſſe *Varum* agnoſcit [1] *Velleius*. Idem eundem *Germaniæ* etiam *exercitui* [2] *præfuiſſe* teſtatur. Plane *provinciæ Syriæ*, *Germaniæque exercitui* à principe *præfectum*. Ita *provinciam* aliquam *minorem* habuerit forte *Velleius*, vel, ut videtur, in *Illyrico*, vel in *Germania*, bello certe *finitimam*. Et quidem, ſi quis *ordo* fuerit in his muneribus, *maturiorem* ego *legationem* fuiſſe crederem, ſeriorem *præfecturam*. Plura fidei peritiæque experimenta ediderit oportet cui fuerit *abſenti* credendum quam cui res eſſet ſub *oculis* Imperatoris agenda. Sed quia ſatis eſt ad mentem *Velleii præfectura* illa etiam *hibernorum*; proinde neſcio fueritne præterea *præfectus provinciæ*. Sed *ſpectatoris* nomen melius illi fortaſſe conveniet qui etiam dum res bellicæ gererentur *abfuerit*, quam illi qui in *hibernis* eſſet, dum ne quidem ipſe *Imperator* eſſet in *hoſtico*. Redeo jam ad ſequentes hujus, de quo agimus, belli *annos*.

Annus 761. 2us. erat belli *Pannonici*. Lacuna alia in *Velleio*.

§. XXIII. Sequitur ergo annus *urbis* 761. cujus *æſtivis* omnis *Pannonia* pacem petiverit, quod hujus anni Coſſ. *M. Furio Camillo*, *Sext. Nonio Quinctiliano* factum docet *Dio*. *Velleius* hodiernus ita habet quaſi *proximis* à *decem legionum* appulſu, quem anno 759. aſſignavimus, hoc contigerit. Mox enim illis *eo*, *unde venerant*, dimiſſis, *Tiberium* ipſum *hiemis initio Siſciam rediiſſe* teſtatur. Hæc noſter L. II. c. 113. Sequitur deinde digreſſio in laudem *Tiberii*, cujus in fine illa legimus: *Hiems emolumenta patrati belli contulit. Sed inſequenti æſtate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Delmatia manentibus, pacem petiit.* Hæc ille c. 114. quaſi nimirum *eadem* fuiſſet utrobique *hiems*, & *unico* proinde anno *Tiberium* tenuerit bellum *Pannoni-*

1 *Vell.* L. II. c. 117. 2 *Vell.* L. II. c. 118.

cum.

cum. Sed *plurium* fuiſſe *annorum* teſtem habemus diſertiſſimum *Dionem.* Nec certe pugnat, qua *ſanum* eum etiamnum habemus, ipſe *Velleius.* In hoc *trienni* bello *duplex* ipſe bellum agnoſcit, *Pannonicum prius,* quod proxime *Germanicum* exceperit, de quo c. 114. tum deinde *Delmaticum,* de quo c. 115. Et quidem ita invicem diſtinxit, ut *prioris* belli *non una* agnoſcat *æſtiva.* Hoc ſatis clare innuunt verba ejus illa : *ſolus ſemper equo vectus eſt: ſolus cum iis, quos invitaverat, majore parte æſtivarum expeditionum cœnavit ſedens.* Loquitur enim ibi certe de bello *Pannonico* qua *diverſum* erat tam à *Germanico* quam etiam à *Delmatico.* Non ergo *eadem* eſt, quæ *videtur* eadem, in utroque illo *Velleii* loco, *hiems.* Sed deerant in unico illo, unde prodiit *Velleius,* codice, anni 760. qui belli *Pannonici primus* erat, acta omnia, quæcunque ille in *compendiaria* hac *hiſtoria* prodiderat. Deerant præterea quæcunque ſcripſerat noſter de mittendo ab urbe *Germanico,* ſub quo tamen ipſum meruiſſe probavimus, cujuſque diſertiſſimam facit in ſequentibus mentionem. Vix ſane eſt ut *ſuum,* ut *ducis ſui* ab urbe adventum, prætermiſerit *Velleius.* Ego lacunæ *locum* fuiſſe ſuſpicor ante verba modo prolata : *hiems emolumenta patrati belli contulit.* Ita nimirum ut anni 760. *hiems* illa fuerit, qui quidem annus belli *Pannonici primus* erat, idemque quo ad *Tiberium* ab *Auguſto* miſſus eſt *Germanicus.* Tantum abeſt ut adventum *Germanici* ſui credam tacuiſſe *Velleium,* ut mentionem *Agrippæ* in *Auguſti* indignationem incidentis, *Germanici* potius quam *Tiberii* gratia injectam exiſtimem. *Agrippam* enim eidem expeditioni deſtinaverat *Auguſtus,* nec alia de cauſa miſſum *Germanicum* teſtatur *Dio,* quam quod *Agrippa* jam antea *Auguſti* gratia exciderat. Sic viam ſtraverit caſus *Agrippæ* antea

narratus ad consilium mittendi postea *Germanici.*

Locus *Velleii* de hujus anni *hibernis* explicatur.

§. XXIV. De hujus anni 761. *hibernis* ita *Velleius* : *Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cujus omnibus copiis à Cæsare M. Lepidus præfectus est, vir nominis ac fortunæ Æmiliorum proximus.* Sic enim legit, idque, ut puto, recte *Cl. Heinsius.* Sed quomodo cum *omnibus copiis Lepidus*, si *Cæsar ad alteram belli Delmatici molem animum* interea *atque arma contulerit*, etiam antea quam illi *Lepidus* conjungeretur? Hæc tamen ipse asserit *Velleius.* Imo ubinam interea *Tiberius* ipse atque *Germanicus*, si *copiis omnibus* præfuerit *Lepidus*? Num & illi *sine copiis*? *Romam* fateor interea venit, *Dione* teste, *Tiberius.* Venit etiam (quanquam id silente *Dione*) *Germanicus.* Aderat certe *Tiberius* cum lex *Papia Poppæa* rogaretur de *maritandis ordinibus*, iis *Coss.* rogata quorum nomen tulit, quos anni sequentis 762. *suffectos* fuisse idem agnoscit *Dio. Sæpe revocatum*, non *semper*, *continuo* hoc *triennio Tiberium* dicit *perseverasse* [1] *Suetonius.* Et *præmissum* (*Roma* scilicet, ubi erat *Tiberius*) noster [2] etiam testatur *Germanicum.* Non *solum* utique, sed cum *exercitu*, eodem scilicet cui postea aderat *Tiberius.* Addit [3] *Velleius initio æstatis*, anni nimirum 762. *educto hibernis exercitu Lepidum ad Tiberium Imperatorem tetendisse.* Hinc etiam intelligimus *alium* fuisse *Tiberii* & *Germanici*, alium *Lepidi*, exercitum; nec adeo exercitui *universo* præfectum *Lepidum.* [4] *Dio* illa omnia, quam *Velleius* ipse, distinctius. Ait ille *tres* in partes *Tiberii* copias universas (legiones nimirum *XV.* quibus bellum hoc ab eo gestum prodit *Suetonius*) fuisse divisas. Harum unam *Silano* assignatam, aliam *Lepido*, cum re-

1 *Suet.* Tib. c. 16. 2 *Vell.* L. II. c. 116. 3 *Vell.* L. II. c. 115. 4. *Dio* L. LVI.

liqua

liqua *Tiberium* ipſum cum *Germanico* ſeſe adverſus *Batonem* contuliſſe, nempe in *Delmatiam.* Sic *tertiæ* duntaxat exercitus univerſi *parti* præfuerit *Lepidus*, quæ tamen ipſa ſeorſim *juſtum* confecerit, & *conſularem* exercitum, *plurium* nempe *legionum.* Ita conciliari poterit cum *Dione Velleius*, ut *copias omnes* exercitus *Lepidiani legiones omnes* intellexerit; idque ſibi voluerit *Velleius*, non jam *ſingulis* exercitus illius *legionibus*, ut anno ſuperiori, *hiberna partita* fuiſſe aſſignata, ſub ſuis ſingularum *legatis*, ſed ut *una* fuerint & *communia* omnibus *hiberna* ſub legatorum *omnium* duce *Lepido.* Cum enim *partitis hibernis* præficerentur *legati*, id ſane innuit fuiſſe *legatos partitorum hibernorum* duces ſummos, quod fieri non potuit ſi plures fuiſſent in *iiſdem* hibernis *legiones*, & *plures* adeo *legati*, ſub uno *hibernorum præfecto* qui potuerit *legatis* ipſis imperare.

Ea *hiberna* quomodo diſtributa fuerint.

§. XXV. Porro *tripartitam* illam exercitus diſtributionem ita fuiſſe exiſtimo. Aliam *Silano* creditam teſtatur *Dio.* Atqui *Silanus* ille idem fuiſſe videtur cum *conſule* anni 760. quem *A. Licinium Nervam* etiam ibi appellant codices hodierni *Dioniani.* Rectius illum *A. Licinium Nervam Silianum P. Silii filium* noſter vocat *Velleius* [1]. Quod ſcilicet è gente *Silia* in *Liciniam* fuiſſet adoptatus, à *Silio* illo, ſub quo *tirocinium* egerat *Velleius*, oriundus. Illum certe *ducem* [2] agnoſcit ipſe *Velleius*, qui addit præterea *præreptum immature, & fructu ampliſſimæ principis amicitiæ & conſummatione evectæ in altiſſimum paternumque faſtigium imaginis defectum.* Hinc colligimus ſub *finem* anni 761. *hibernis* à *Tiberio* in *Mœſia* fortaſſe fuiſſe præfectum; anno autem 762. cum adverſarios ſuos domuiſſet, fatis conceſſiſſe. Certe

1 *Vell.* L. II. c. 116. 2 *Vell.* ibid.

ante *triumphum Tiberii. Ornamenta* enim *triumphalia* cum *Tiberii triumpho* decernenda pro *conſummatione evectæ in altiſſimum paternumque faſtigium imaginis* habuit, ut puto, *Velleius.* Cum enim jam *conſul* fuiſſet ut fuerat pater *Silius*, hoc tamen deerat ad *altiſſimum paternumque faſtigium*, ut eſſet *triumphalis*, & *triumphalem* haberet in gentis ſuæ atriis *imaginem.* Illum certe junxit *Sejano Velleius*, quem obſervaverat, in hoc eodem bello, *materia adipiſcendi triumphalia* ſimiliter fuiſſe *defectum.* Secunda exercitus pars quæ cum *Tiberio* erat & *Germanico*, in *Delmatia* hiberna habuit, (ubi belli reliquiæ profligandæ erant) *Tiberio* & *Germanico* ex *Italia* reverſuris opportuniſſima. Tertia ergo exercitus pars, quæ cum *Lepido* erat, *hiberna* habuit in ipſa ſuperioris belli ſede *Pannonia.* Illam proinde *ſolam* memorat *Velleius*, quod *ſola* fuerit relicta ibi ubi paulo antea totus fuerat exercitus. Proinde etiam, ni fallor, quod ibi egerit ipſe *Velleius.* Manſiſſe certe in illius anni cum *Lepido* hibernis, exinde ſuſpicamur, quod, cum ad alteram belli *Delmatici* molem *Tiberius animum atque arma conferret*, in ea regione *adjutorem legatumque* ei fuiſſe fratrem *Velleii Magium Celerem Velleius* ipſe nos doceat. Innuit interea ſe cum *Tiberio* non fuiſſe cum hoc proprium fratris ſui invidendumque decus agnoſcit. Atqui in *Delmatiam* conceſſerat *Tiberius* fine anni 761. hiberna *Magio* cum ſua legione ibidem aſſignaturus. Rediit deinde *Romam*, poſt Coſſ. quidem ſequentis anni 762. *ordinarios*, ut jam oſtendimus. Sic tamen, ut *matura* nihilominus *æſtiva* in *Delmatia* habuerit, & *maturum* etiam *æſtivorum* finem. Illius enim *æſtatis initio Lepidus educto hibernis exercitu ad Tiberium* (inquit *Velleius* [1]) *imperatorem tendebat.* Itaque jam antea

1 *Vell.* L. II. c. 115.

aderat

aderat in *Delmatia Tiberius.* Addit *Velleius* illum *magna cum clade hoſtium obſiſtentium, exciſis agris, exuſtis ædificiis, cæſis viris, lætum victoria prædaque onuſtum, ad Cæſarem perveniſſe.* Nec *difficilem Lepidi victoriam* fuiſſe teſtatur etiam *Dio.* Inde nullæ ejus res geſtæ memorantur conjuncti cum *Tiberio.* Illa, ut videtur, cauſa, quod bellum *Delmaticum* jam antea abſolverat *Tiberius* quam *Lepido* conjungeretur. *Æſtate* autem illa *maximi belli conſummatos effectus* docet *Velleius.* Nec ultra *æſtivorum* fines *receptiſſimos* protractam *æſtatem* innuit. Sic vere fuerit *Velleius,* qui cum *Lepido* venerat, belli hujus patrati jam *ſpectator,* potius quam *adjutor.* Convenit porro quod ait *Velleius Delmatas,* non jam *ductu* ſed *manibus atque armis ipſius Cæſaris fuiſſe pacatos. Manus Cæſaris* & *arma* opponit ejuſdem *ductui.* Quod nempe *ductui Tiberii* illæ quoque tribuendæ eſſent *victoriæ* quas *Lepidus* non *ſuis,* ſed *Cæſaris* fuiſſet conſecutus *auſpiciis.* Ut ergo *Tiberii* nullæ erant in rebus à *Lepido* geſtis, præterquam *ductus,* operæ; ſic viceverſa ſignificat *Velleius* duci ſuo *Lepido,* & *ſibi* adeo ipſi, nullum fuiſſe miniſterium in bello *Delmatico,* quod *ſuis manibus* atque *armis* confecerat jam antea ipſe *Tiberius.*

§. XXVI. Proximus à *Quæſtura* in *ſenatu* honor *Velleio* vel *Ædilitas* fuerit oportet, vel *Tribunatus plebis.* Nec enim antea *Prætoram* ambire licuit quam horum magiſtratuum *alterum* geſſiſſent, ut alibi [1] oſtendimus è *Mæcenatis* oratione *Dioniana.* Itaque, cum *prætorem* ſe poſtea *deſignatum* doceat ipſe *Velleius,* nec legis aliquam *indulgentiam* conceſſam legamus, quæ *rara* admodum erat in *privatis*: facile inde intelligimus vel *ædilem* illum fuiſſe antea, vel certe *tribunum.* Unius enim ejuſdemque *anni* erat uterque ille magiſtratus. *Velleius poſtea Tribunus plebis.*

1 Præl. XII. ad *Spart.* Adr. §. 1, 2.

Sic

Sic tamen ut nemo *unus* utrumque geſserit, ſed ſatis eſſet eorum vel *unus* ad ambiendam deinde tempore legitimo *præturam*. Itaque alterum à *Velleio* noſtro geſtum fuiſſe veriſimillimum eſt. Utrum geſſerit, id fateor incertum eſſe. Eo tamen magis propendeo ut *tribunus* potius fuerit quàm *ædilis*. *Decem* enim erant *tribuni*, cum *duo* fuerint duntaxat *ædiles*. Nec enim alia quam *Curulis Ædilitas* locum habere potuit in honoribus *ſenatoriis*. Ita *paucitas* ædilium id fecerit oportet, ut quia *rarior*, proinde *difficilior*, fuerit *ædilitas*. Et quidem *tribunum* ſe potius quam *ædilem* fuiſſe innuit, ni fallor, ipſe *Velleius*. Jam ſupra obſervavimus illum, cum *partem exercitus ad Tiberium ab urbe perduceret*, in eo ſe non *quæſtoribus* modo *ſenatoriis*, ſed ſuperioribus in ſenatu quæſtura *tribunis*, *æquatum* agnoviſſe. Quod *tribunos* potius *plebis* quam *ædiles* hac occaſione memorarit, id alio referre non poſſum quam quod *tribunatum* ipſe potius geſſerit poſtea quam *ædilitatem*. Jura enim alioqui utriuſque cum in *unum annum* conferrentur, eadem omnia fuiſſe veriſimillimum eſt. Ut proinde *eoſdem* tam *domi* quam *militiæ* honores, tam in *caſtris*, quam etiam in *comitiis*, petere illi licuerit qui *ædilitate* functus fuerat, quam etiam illi qui *tribunatu*. Sed nemo *unus* utrumque illum magiſtratum obiit, ut diximus. Nec opus erat ut *alterius*, quam quem ipſe tempore legitimo obierit, mentionem faceret *Velleius*. Nec deniqne obſtabat *tribunatus* ille, etiam in *urbe* geſtus, quo minus *continuum novennium* in militia *Tiberii* exegerit. Magis certe erat affinis *tribunatus* ille *plebis tribunatui*, unde ortum habuit, *militari*, quam *ædilitas*, cujus *civile* erat munus, nec ullo modo *militare*.

Et quidem anno ut videtur, 766.

§. XXVII. Qui tamen ne id quidem verbis apertis ſignificavit, fueritne *tribunus*

nus plebis, non eſt proinde quod ab eo *annum* exſpectemus quo *tribunatum* geſſerit. Is ergo erit aliunde per ratiocinia explorandus. Itaque in primis certum eſt, qui *quæſturam* obiit anno *Varroniano* 760. proinde *tribunatum* ante annum ejuſdem epochæ 762. ne quidem potuiſſe capeſſere. *Annus* enim ad minimum unus *quæſturæ*, quam remiſit, *provinciali* neceſſarius erat, ut proinde ne *tempus* quidem ſuppeteret ante *annum* illum, quem dixi, per *leges annales* maturum atque legitimum. Illud præterea certum, qui *prætor* eodem, quo obiit *Auguſtus*, anno *deſignatus* eſt, illum *poſt* annum *Auguſti* penultimum, æræ nimirum *Varronianæ* 766. *tribunatu* fungi ne quidem potuiſſe. Ita *medio* illo ſpatio inter annum 762. & 766. annus quærendus erit quo *tribunus* noſter fuerit *Velleius*. Ego annum nullum aptiorem illo reperio qui fuit hujus intervalli *poſtremus*. Jam enim alibi [1] oſtendimus, & *annuum* fuiſſe illum *tribunatum*, & quidem *Romæ annuum*. Ita nimirum, ut nec alibi obiri potuerit præterquam *Romæ*; nec *pernoctare* illi extra *urbem* licuerit quicunque in illo fuiſset magiſtratu. Nec tamen *integro anno* à *Tiberio* abeſſe potuit qui *Tiberio* per annos *continuos IX.* adfuit, vel *ſpectator* ejus nimirum vel *adjutor*, ab anno nimirum, ut probavimus, 757. Faciunt illa, ut nec in annum aliquem *anteriorem* conferri *tribunatus* ille potuerit, nec tamen ſit ultra illum differendus.

§. XXVIII. Cum clades illa legionum *Varianarum* contingeret, tum bellum, de quo modo egimus, *Delmaticum* à *Tiberio* confectum docuit *Velleius* [2], & poſt *Velleium* alii [3], anno nimirum *Varroniano* 762. Proximo [4] anno 763. denuo in *Germa-*

Tribunatum inivit *Dec.* X. 765. depoſiturus *Decemb.* itidem X. anni 766.

1 Præl. XII. ad *Spart.* Adr. §. 6. 2 *Vell.* L. II. c. 117. 3 *Suet.* Tib. c. 16. *Dio* L. LVI. an. 762. 4 *Suet.* Tib. c. 18.

niam irrupiſſe docet *Suetonius.* Inde poſt *biennium* [1] in urbem rediit, eodem teſte *Suetonio.* Tum demum [2] *jampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum,* ex *Pannoniis Delmatiſque triumphum* egiſſe noſter itidem docuit *Velleius.* His ergo annis annum *integrum Romæ* noſter adeſſe non potuit, ſi quidem *continuum* cum *Tiberio* egerit *novennium.* [3] *Triumphantem Tiberium Velleius* ipſe cum *fratre* ſuo *Magio* comitatus eſt, *inter præcipuos præcipuiſque donis adornatos viros.* Dona intelligit *militaria,* coronas, haſtas, vexilla, armillas, &c. Dare enim hæc ſolebant *militibus* bene meritis *Imperatores.* Utque *dona* illa *militibus* ornamento erant; ſic vice verſa *triumphum* ipſius *Imperatoris* ornabant *donis* iſtiuſmodi *ornati milites,* eo nimirum illuſtriorem futurum quo plura apparerent in pompa *dona,* & donis inſigniti *milites.* Et ſane *fratrem* [4] ſuum *Magium Celerem adjutorem Tiberii* in bello *Delmatico* celebrat, uti vidimus, ipſe *Velleius,* & *Tiberii* ipſius *patriſque Auguſti magnifica* de illo *teſtimonia.* Imo *honores* etiam, quibus *triumphans* eum *Tiberius* donaverit, *ampliſſimos.* Nec *ſua* quoque tacuit, qua licuit per modeſtiam, merita, dum & ſe quoque *militem* [5] profiteretur *Tiberii,* legatumque pariter atque *adjutorem.* Imo *militis* nomine *adjutoriſque* hoc ipſum, ni fallor, intellexit, quod *victoriam* ejus *adjuverit,* militumque in *triumphi* apparatu inſignium unus fuerit. Referebantur enim ad invicem, pro illius ævi ſermone, *militis* nomen atque *Imperatoris.* Ergo *Romæ* aderat in *triumpho Tiberii,* non *Tiberius* duntaxat ipſe, verum etiam *Velleius,* anno nimirum *Varroniano* 765. Cum enim decerneretur triumphus Imperatori, id quoque decerni ſolebat ut *deportaretur* bene meritus in patriam exer-

1 *Suet.* Tib. c. 20. 2 *Vell.* L. II. c. 121. 3 *Vell.* ibid. 4 *Vell.* L. II. c. 115. 5 *Vell.* L. II. c. 104.

citus.

citus. Tam ſcilicet ut *teſtes* adeſſent rerum geſtarum, quam etiam ut *triumphum ornarent* imperatoris tot militum etiam *privatorum* decora. Atqui nulli adhuc *Velleii*, in hoc *triumpho*, memorantur honores alii quam *militares*. Et tamen *Senatoriis* etiam honoribus egregia in militia facinora munerari ſolitos principes multis oſtendere poſsem, ſi opus eſset, exemplis. Sed nihil attinebant ad triumphi pompam honores militum *ſenatorii*, ut proinde eſsent à *Velleio*, hoc in loco, memorandi. Nec aderat fortaſse *comitiorum* tempus quo *deſignandi* erant ad futuri anni magiſtratus à *populo*, etiam *principis* (qui appellabantur) *candidati*, cum triumpharet *Tiberius*. Sic potuit *Velleius* inire *tribunatum* die *tribunatus* ineundi legitimo [1] *Decembr.* X. anni, quo triumphavit *Tiberius*, *Varroniani* 765. depoſiturus ſequentis *Decembris* die itidem X. anni *Varroniani* 766. Idem ſi *Decembri* anni 766. *tribunatum* iniiſset eundem *Decembri* anni 767. depoſiturus, nec potuit, nondum elapſo *tribunatu*, ab *Auguſto* ad *præturam deſignari*, nec *præturam* ipſam anno 768. gerere, *proximo* nimirum *anno* ab elapſo *tribunatu*. Convenit præterea militia *Velleii* ſub *Tiberio novennis*. Cœpit enim annus 9. hoc ipſo anno 765. poſt *Jun. XXVII.* natalem *adoptionis Tiberii* ab *Auguſto*, & tamen ante *comitia* menſe *Auguſto*, aut paulo forte ſerius, habenda. Nec aberat etiam anno 766. *Roma Tiberius*. Potuitque adeo *Velleius* magiſtratum illum tum quoque tenere, idque *Romæ*, & per *annum* illum fere univerſum, nec interim à *Tiberii* ſatellitio diſcedere. Nulla enim erant hoc anno moleſta *bella* quæ obſtarent quo minus *Romæ* verſaretur etiam ipſe *Tiberius*.

§. XXIX. A *prætura* quam tenuit anno, pro rationibus noſtris, 768. alium

Librum quem habemus cur anno

1 Vid. Præl. XII. ad *Spart.* Adr. §. 7.

783. scripserit *Velleius.* *Velleii* honorem nullum legimus, ne quidem *provinciam prætoriam*, nedum *consulatum*. Sed ne quidem aliud ullum vitæ negotium. *Studiis* ille, an *deliciis Tiberii* vitiisque *Capreensibus* annos secutos impenderit, hodie non constat. Fieri potest ut *utrisque*. Erat *Neroni* socius in *deliciis Petronius*, scriptor etiam ipse elegantissimus. Non certe *Velleio* displicuit simile *Scntii Saturnini* ingenium, quem ait, *ubi* [1] *negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abusum; ita tamen ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres.* Nec ullum memorat scriptum suum *antea* editum, in *otio* illo elucubratum. Ingenii sui has primitias, in gratiam *Vinicii* consulis emisit ipso ejus *consulatu*, annoque adeo *Varroniano* 783. Mos enim erat illis temporibus præcipua quæque amicorum patronorumque gaudia *muneribus* offerendis gratulari. Quæ autem alii *donis*, ea *scriptis* celebrabant *Poetæ* atque *Oratores*. Hinc illa de *genethliacis epithalamiisque Dionysii Halicarnassæi* aliorumque *Sophistarum* præcepta. Hinc & *scripta* utroque sermonis genere, tam *metrici* quam etiam *soluti*. Præcipue vero mos ille receptus est in celebrandis *consulatibus*. *Consulatum* suum *Cicero* tam *Græce* quam *Latine*, tam *carmine* quam *oratione* etiam *prosaica*, curavit posteris commendandum. Idque enixissimis precibus urget contenditque epistolis ad *Lucceium* celeberrimum sui temporis Historicum. Sic *consulatus Domitiani* celebrant *Statius* atque *Martialis*. Sic etiam *Honorii Claudianus*. Sic etiam *Stilichonis* privati hominis idem *Claudianus*. Illud etiam artificium receptum quo insigniores facerent amicorum patronorumve *consulatus*, si pro *epochis* illos *historicis* haberent, seu nimirum *historias* suas ab illo *arcesserent*, seu ad illum us-

1 Vell. L. II. c. 105.

que

que *deducerent.* Divorum fratrum *Marci* nimirum *Antonini*, atque *Lucii conſulatum* multis hiſtoricis exordium hiſtoriarum fuiſſe obſervavit auctor vitæ quam vulgo *Capitolino* tribuunt, nos *Spartiano* aſſeruimus. Frequentiora tamen exempla ſunt eorum qui hiſtoriarum *fines* in illis ponerent *conſulatibus* quorum memoriam apud poſteros celebrem eſſe vellent. Sic hiſtoriam ſuam ad *XVII. Theodoſii conſulatum* deducit *Sozomenus.* Sic *Stilichonis conſulatu* ſuam claudit hiſtoriam *Sulpicius Severus.* Sic *Conſtantii* & *Juliani conſulatu* ſuam *Aurelius Victor* editus à *Schotto.* Sic *Dio* ſuam *conſulatu ſuo* quem cum *Alexandro* geſſit Imperatore. Sic alii multi plane pro exemplo *Velleii* noſtri *Vinicii* ſui *conſulatu* hiſtoriam ſuam terminantis. Hinc & [1] *modus* ille *ſcripturæ* à *Velleio* ſibi præſcriptus, brevis nimirum & ſummarius. Hinc [2] *notitia illa in artum contracta* in utraque hujus operis parte obſervata. Hinc [3] *formam* illam *operis propoſiti* agnoſcit *in præcipiti* ſitam *feſtinatione, quæ ſe rotæ pronive gurgitis ac verticis modo nuſquam pateretur conſiſtere, pene magis neceſſaria prætereundo quam ſupervacua amplectendo.* Alibi opus illud ſuum non *juſtum*, [4] ſed *reciſum* fuiſſe teſtatur. Alibi ſe *memoria profeſſionis*, [5] ne in infinitum evagaretur, reprimit. Alibi [6] *promiſſæ brevitatis fidem* agnoſcit, & *tranſcurſum hunc*, qua nempe *juſto operi* opponebatur, appellat. Juſtam nimirum ille rerum earundem hiſtoriam ſæpe pollicetur: *ſua* nimirum *juſta* [7] *volumina*: *juſtum* [8] *opus.* Hæc tamen ille per *otium.* Jam *properandum* erat ne antea *conſulatus* exiret quo hiſtoria erat ipſa terminanda. Et quidem ſervant *breviariorum* plerunque formam *hiſtoriæ* decorandis *conſulatibus* conſcri-

1 *Vell.* L. II. c. 52. 2 *Vell.* L. I. c. 14. 3 *Vell.* L. I. c. 16. L. II. c. 96. 4 *Vell.* L. II. c. 89. 5 *Vell.* L. II. c. 89. 96. 6 *Vell.* L. II. c. 55. 99. 7 *Vell.* L. II. c. 48. 114, 115. 8 *Vell.* L. II. c. 99. 103.

ptæ. Tale illud erat *Sulpicii Severi*, tale *Q. Julii Hilarionis*, tale *Aurelii Victoris Schottiani*. Ita cœperit hanc hiſtoriam *Velleius* poſt medium anni 782. quo *deſignatus* eſt ad ſequentis anni conſulatum *Vinicius*. Et *finem* impoſuerit antequam *faſces* deponerent anni 783. *conſules ordinarii*. Aliter ſera fuiſſet *conſulatus* jam ad *exitum* perducti gratulatio. Id ne contingeret, placuit *Velleio* ratio illa ſcribendi *properata* atque *compendiaria*.

Mors *Velleii* anno 784.

§. XXX. Sic annum *Velleii natalem* dedimus. Neſcio an *emortualem* etiam deſignare poſſimus. Conabimur tamen. Fateor eſſe hoc ſine *teſtibus* difficillimum. Id quoque fateor, deeſſe nobis, qui in re *hiſtorica* eſſent audiendi, *teſtes*. Mortem *ſuam* conſignare *ipſe* non potuit. Nec ſuppetunt *alii* poſt illum qui conſignarint. *Veterum* nemo eſt, excepto *Priſciano*, qui vel mentionem *Velleii* noſtri fecerit. Sed nec ille quicquam prodidit quo *hiſtoria* ejus locupletanda ſit. Nihil ergo reſtat, unde *mortis tempus* elicere poſſimus, præter *ratiocinia*. Et tamen valde mihi veriſimile videri fateor, inter illos quibus *Sejani amicitia* nocuit, noſtrum quoque periiſſe *Velleium*. Satis ipſe teſtatum fecit in hoc ipſo libro *Velleius* quo fuerit animo in *Sejanum*. Nec opus erat ad eum convincendum alio *teſtimonio*, cum palam extaret, ſcriptiſque conſignatum eſſet, *amicitiæ* illius, tam recenti memoria monumentum. Id quoque certum eſt, manifeſtiſſimiſque tam *Dionis* quam *Taciti* teſtimoniis exploratum, ſatis fuiſſe ad *pœnam* ipſam illam *Sejani amicitiam*. Eodem ſpectabat, ſuſpectumque *Velleium* merito fortaſſe faciebat, quod non *oblatis*, ſed *quæſitis*, uteretur *Sejani* laudandi occaſionibus, etiam nullo ſuppetente *laudis* argumento. Ait *Sejanum* [1] *in Germania, Illyricoque, & mox in Africa, non* quidem *me-*

1 *Vell.* L. II. c. 116.

rito,

rito, ſed *materia* tamen *adipiſcendi triumphalia* fuiſſe *defectum*. Ubi deerat laudandorum facinorum vel *materia*, quæ, quæſo, eſſe potuit *laudis* ſolida *ratio*? Quis hoc in loco non agnoſcat *indolem* laudandi *Sejani avidam*, & quibuſvis laudis arripiendis vel *prætextibus* intentam? Nec illud modo. Scripſit noſtra illa *Velleius tempore* etiam *ſuſpecto*. Certe poſt mortem *Liviæ* cujus ipſe meminit, quam anni ſuperioris 782. initio aſſignat [1] *Tacitus*. Inde enim, ut ex utroque conſtat, tam *Tacito* quam *Dione*, conſilia inivit de imperio occupando *Sejanus*. Tandem expergefactus *Tiberius* machinatur & ipſe de eo opprimendo. Primo tamen *conſulem*, ſecum in *annum*, quo periit, *ſequentem* deſtinat, *curarumque ſuarum participem* nominat. Ita *Dio*. Fecerat autem hæc antea *Tiberius* quam ſcriberet *Velleius*. Hinc ille *Tiberium* defendit [2] *exemplis eminentium virorum, qui magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam ſuam fuiſſent uſi, Scipionum præcipue* (*Africanorum* ſcilicet) *qui duos Lælios per omnia ſibi æquaverant*. Plane hic apparet, quod poſt epiſtolam illam *Tiberii* obſervavit *Dio*, omnes deinde *Tiberio Sejanum*, non jam in *conſulatu* tantummodo, ſed in *ſumma rerum adminiſtranda* pro *collega* habuiſſe. Addit *Velleius* exemplum *Auguſti* qui primo *M. Agrippam*, tum deinde *Statilium Taurum* ſimiliter adſciverit. *Quibus* (inquit) *novitas familiæ haud obſtitit, quo minus ad multiplices conſulatus triumphoſque, & complura eniterentur ſacerdotia*. Hinc ſane conſtat jam etiam *novitatem Sejano*, à libere ſentientibus, cum ſcriberet *Velleius*, objectam. Quæ certe objici antea vix potuit quam progreſſus magnos feciſſet, & in conjuratione *Sejanus*, & in eo viciſſim reprimendo *Tiberius*. Adhuc tamen illum [3] *juvandis principis oneribus prolatum* aſſerit *Velleius*. Imo *ſingularem*

1 *Tacit.* Ann. V. 1. 2 *Vell.* L. II. c. 127. 3 *Vell.* L. II. c. 128.

(1 inquit)

(1 inquit) *principalium onerum adjutorem in omnia habuit atque habet.* Cum ait, *habuit atque habet*, non certe *nuper* illum pro *Tiberii adjutore* habitum apparet. Itaque *poſt* conatus *Tiberii* contrarios, favebat tamen aliquantiſper *Sejano Velleius*, & pro more ſuo & ingenio, adulabatur. Quis itaque miretur ſi hoc ægre tulerit *Tiberius*? ſi *ſæviendi* anſam inde acceperit princeps ultra modum *ſuſpicax*, & natura ſua *ſæviſſimus*? Certe noſtrum inde *Velleium* nullæ deinceps memorant hiſtoriæ, cum tamen fuerit, quo ampliores obiiſſet honores, quo magis etiam per ſcripta inclaruiſſet, eo potiori jure memorandus. Sed nec ullum ſupereſt *ſcripti* illius *accuratioris*, quod illum toties promiſiſſe vidimus, veſtigium. Niſi forte *genuinum* exiſtimemus *fragmentum* illud *Lazii*, quod eruditis ſuſpectum eſt. Illud vero mirum, cur *Livium* de bello *Germanico* continuaret *Aufidius Baſſus*, ſi *medius* fuiſſet belli *Germanici* poſt *Livium Velleius*, ſcriptor αὐτόπτης atque elegantiſſimus. Eſt autem hæc hiſtoria *Sejani* tam in *Tacito* quam etiam in *Dione* mutilatiſſima. Proinde mirandum non eſt ſi nullus ibi compareat *Velleius*, cum & alia quoque utrobique nomina perierint eorum qui tamen cum *Sejano* ceciderint. Sic vivere deſierit *Velleius* anno urbis *Varroniano* 784. *Chriſti*, pro æra recepta 31. *ætatis* ſuæ, vel 49. ad *finem* exeunte, vel 50. fortaſſe *cæpto*. Certe poſt *Sejanum* ipſum, qui tamen periit poſtquam *conſulatum* ſuum *ordinarium* exuiſſet. Docet enim *Dio pœnitentia correptum* fuiſſe *Sejanum* quod non in *conſulatu* ſuo aliquid conatus eſſet. Et *Trionem* certe atque *Regulum* Coſſ. habent, cum *cædes* fierent, uterque, tam *Dio*, quam etiam *Tacitus*. Qui tamen *conſules ſuffecti proximi* fuiſſe videntur poſt *ordinarios*.

1 *Vell.* L. II. c. 127.

VITÆ

VITÆ VELLEIANÆ,

Rerumque ad illam ſpectantium

SYNOPSIS *Chronologica.*

	Æræ Urb. *Varron.*	Vic. *Vell.* ann.	Ær. *Chriſt.*
Decii Magii inſignis in *Romanos* fides, cum *Capua* proderetur *Hannibali*. Is *Minatii Magii* avus erat, *Velleii*, ex *paternâ*, ut videtur, ſtirpe, tritavus. §. 7. *Capuanus*. ib. Hinc *patria Velleii*, pro ſtirpe *Magiâ*, *Capua*.	538.		
Minatius Magius Aſculanenſis Decii Magii nepos, *Velleii* atavus, *viritim Civitate Romanâ donatus*, & *duo* ejus filii *Prætores* creati, cum Prætores *ſeni* duntaxat crearentur. §. 7. Sic *patria* Velleii *Aſculum*.	671.		
Capito Velleii *patruus*, vir *Ordinis Senatorii*, *Agrippæ* ſubſcripſit in *C. Caſſium*. §. 7. Certe poſt legem *Pediam*, quâ *damnatus* eſt *Caſſius*, à *Pedio* Conſule *Auguſti* collega, menſe *Sextili* latam.	711.		
Avus Velleii *C. Velleius Neapoli* ſe *gladio transfigit*, cum *patrem* Tiberii Imperatoris *Tiberium Claudium Neronem* fugientem comitari non poſſet, *gravis jam ætate & corpore*. Poſt Bellum *Peruſinum*, & tamen ante ludos *Apollinares*. §. 7. Hinc *Patria* Velleii, pro ſtirpe *Velleiâ*, *Neapolis*.	714.		
NATUS *VELLEIUS*. §. 8. *Medio* certè tempore inter ann. Urb. *Varron*. 725. quo *cœpit* Hiſtoriam *Livius*, & ann. 745. quo *ultimam* ei manum impoſuit. Certe ante *Sept*. 22. quo *mortuus* eſt *Virgilius*. §. 8.	735.	1	
Togam induit Velleius *virilem*. Inde *tirocinium* ejus in *Militia Equeſtri*, cujus *decem* numeranda *ſtipendia*. §. 5. 6. *Primus* hujus Militiæ *gradus* hoc anno à *Velleio* ſuſceptus erat *Præfecturâ cohortis*. §. 9.	749.	14/15	
Ad *ſecundum* Equeſtris Militiæ *gradum*, poſt *Pubertatem plenam*, aſcendit *Velleius*, *Tribunatum* ſcilicet. Sub *patruo Vinicii*, ad quem ſcribit, Conſulis, *M. Vinicio*. §. 10. Sumſit, cum *Tribunatu*, etiam	752.	17/18	

 latiicla-

laticlavium. §. 11. *Tribunatus* ille prior *Beneficiarius* erat. §. 15.

18/19 753. Adeſt *Velleius* cum *Caio* Cæſar cum Rege *Parthorum* in *Euphratis* ripa congrederetur. Sub *P. Silio. Stipendiorum* ſuorum *initiis.* §. 6. 9. 10.

1. 19/20 754. Incipit Bellum *Germanicum* ſub avo *Vinicii* [*Præfecti*, ut videtur, hoc tempore *Germaniæ*] *triennio* ante Expeditionem *Tiberii*, cui *Velleius* interfuit, *Germanicam. Vell.* L. II. c. 104. Ad *tertium* Militiæ Equeſtris *gradum* evectus *Velleius*, *Tribunatum* ſcilicet *Caſtrorum.* §. 13.

4. 22/23 757. *Tiberius* ab *Auguſto* adoptatus *Jun.* XXVII. *Mox* illum ſecutus in *Germaniam Velleius* continuo *novennio* illi aderat. §. 1. 15. Præfectus *Germaniæ Sentius Saturninus*, legatus Auguſti. *Vell.* L. II. c. 105. *Bis* enim ab eo cum *Tiberio Germani* Pacem petere coacti ſunt. *Dio* L. LV. Hujus nimirum anni *Æſtivis* & ſequentis. *Quartus* inde incipit *Velleio* Militiæ *gradus* (qui idem *tertius* eſt, ſi *Tribunatum duplicem* pro gradu *unico* habeamus) *Alæ* nimirum *Equeſtris* Præfectura. §. 15.

5. 23/24 758. Acta hujus anni. §. 2. Adhuc *Præfectus Germaniæ Saturninus*, coactique ab eo *Germani* ad Pacem *ſecundam.*

6. 24/25 759. Deſunt in *Velleio* Acta hujus anni omnia. Adhuc *Præfectus Germaniæ Saturninus. Tertius* hic annus Belli *Germanici*, quo ſeorſim actum cum *Maroboduo.* Deficiunt *Delmatæ* & *Pannonii*, ſub *Præfecto Illyrici Valerio Meſſalino.* Legionem ea occaſione *nuper* conſcriptam ad *Tiberium* ducit *Velleius* jam *Quæſtor deſignatus.* Agrippa Poſthumus *abdicatus.* §. 1. 3. 4. *Legatus Velleius* præfectus hujus anni *hibernis.* §. 16. 18. Primus ann. Belli *Marcomannici*, non *Delmatici.* §. 17.

7. 25/26 760. *Tiberio* de *mora* ſuſpecto mittitur, ſocius Belli cum eo gerendi, *Germanicus.* §. 4. *Primus* annus *triennii*, quo *Illyricum* debellavit *Tiberius.* §. 19. *Velleius* anni *initio Romæ* ad *Quæſturam* ineundam, ſine erat in Pannoniâ cum *Tiberio*, remiſſo nempe anno *Quæſturæ Provincialis.* Poſt tempus nimirum *ſortitionis.* §. 18. Ex *Quæſtura* eam Expeditionem ſuſcepit *Germanicus*, ſub quo meruit *Velleius*, *Tiberii* non jam *adjutor*, ſed *ſpectator* tantummodo. §. 19. Cum *Tiberio* frater *Velleii Magius Celer.* ib. Deſunt in *Velleio* anni hujus *Acta* pleraque. Hujus anni

hiems

hiems illa erat, cujus meminit *Velleius* L. II. c. 114. ab ea hieme *alia* cujus meminerat c. 113. §. 23.

Annus Belli *Pannonici* ſecundus, quo Bellum illud confecit *Tiberius*. §. 23. Hujus anni *hibernis* præfectus *M. Lepidus*. §. 24. 25. | 761. | 26/27 | 8.

Annus Belli *Illyriciani tertius*, quo, poſt *Pannonicum*, *Delmaticum* Bellum aggreſſus eſt, abſolvitque *Tiberius*. §. 23. Et quidem *maturis*, nec admodum affectis, *Æſtivis*. §. 26. Hoc eodem anno cæſæ ſunt *Vari* Legiones. §. 28. | 762. | 27/28 | 9.

Proximo anno à clade *Vari* novam rurſus impreſſionem in *Germaniam* fecit *Tiberius*. §. 28. | 763. | 28/29 | 10.

Secundus annus *biennii Suetoniani*. Secunda nimirum novi hujus Belli *Germanici* Æſtiva *militaria*. Nempe ad *Autumnum*, teſte *Dione*. Poſtea *Romam* rediiſſe teſtatur *Dio* tam *Tiberium* quam *Germanicum*. Ita nimirum tempeſtivè ut ſequentis anni *Conſulatum*, quem geſſit *toto* (inquit *Dio*) *anno*, *Romæ* inierit *Germanicus*. §. 28. | 764. | 29/30 | 11.

Triumphat *Tiberius*, ſequunturque illum triumphantem *donis* militaribus inſigniti tam *Velleius*, quam frater *Velleii Magius Celer*. §. 28. Exit hoc anno *continuum* illud, quod in *Tiberii* ſatellitio egit *Velleius*, *novennium*. §. 1. 28. Tantummodo *cæptum* hujus anni *Dec.* X. *Tribunatum Plebis* inivit *Velleius*. §. 28. Hujus victoriæ nomine *Tiberius* IMP. VII. quem titulum cum T. P. XIII. committunt *Numi*. Ea autem *Tribunitia Poteſtas Junii* ad minimum die XXVII. cœpit anni 764. deſiitque eodem ejuſdem menſis die anni 765. Tunc ergo Bellum abſolverat unde titulum illum *Imperatorium* reportavit. Sed *Tribunitia* illa *Poteſtate* ad *exitum* vergente. *Vnicum* enim refert Cl. *Mediobarbus* numum qui *Tribunitiam* illam *Poteſtatem* cum titulo illo *Imperatorio* commiſerit. *Quadrigas* autem *triumphales*, quæ huc referri poſſint, in unico obſervavit idem vir Cl. numo *Arſchotano*, in quo cum prædicto titulo *Imperatorio* VII. & *Tribunitia Poteſtate* XIII. committuntur. Inde diſcimus *affectam* illam fuiſſe *Tribunitiam Poteſtatem* cum *triumpharet Tiberius*. Sic ante *Jun.* XXVII. IMP. VII. *acclamatus* fuerit ab exercitu *Tiberius*. Sic tamen ut *Romam* vix redierit *triumpharitque*, niſi anno illo, quem dixi, 765. *exeunte*. Vix ſane eſt quin eodem referamus titulum *Auguſti Imperatorium* XX. qui tamen cum | 765. | 30/31 | 12.

			laticlavium. §. 11. *Tribunatus* ille prior *Beneficiarius* erat. §. 15.
	18/19	753.	Adeſt *Velleius* cum *Caio* Cæſar cum Rege *Parthorum* in *Euphratis* ripa congrederetur. Sub *P. Silio. Stipendiorum* ſuorum *initiis.* §. 6. 9. 10.
1.	19/20	754.	Incipit Bellum *Germanicum* ſub avo *Vinicii*[*Præfecti*, ut videtur, hoc tempore *Germaniæ*] *triennio* ante Expeditionem *Tiberii*, cui *Velleius* interfuit, *Germanicam. Vell.* L. II. c. 104. Ad *tertium* Militiæ Equeſtris *gradum* evectus *Velleius*, *Tribunatum* ſcilicet *Caſtrorum.* §. 13.
4.	22/23	757.	*Tiberius* ab *Auguſto* adoptatus *Jun.*XXVII. *Mox* illum ſecutus in *Germaniam Velleius* continuo *novennio* illi aderat. §. 1. 15. Præfectus *Germaniæ Sentius Saturninus*, legatus Auguſti. *Vell.* L. II. c. 105. *Bis* enim ab eo cum *Tiberio Germani* Pacem petere coacti ſunt. *Dio* L. LV. Hujus nimirum anni *Æſtivis* & ſequentis. *Quartus* inde incipit *Velleio* Militiæ *gradus* (qui idem *tertius* eſt, ſi *Tribunatum duplicem* pro gradu *unico* habeamus) *Alæ* nimirum *Equeſtris* Præfectura. §. 15.
5.	23/24	758.	Acta hujus anni. §. 2. Adhuc *Præfectus Germaniæ Saturninus*, coactique ab eo *Germani* ad Pacem *ſecundam.*
6.	24/25	759.	Deſunt in *Velleio* Acta hujus anni omnia. Adhuc *Præfectus Germaniæ Saturninus. Tertius* hic annus Belli *Germanici*, quo ſeorſim actum cum *Maroboduo.* Deficiunt *Delmatæ* & *Pannonii*, ſub *Præfecto Illyrici Valerio Meſſalino.* Legionem ea occaſione *nuper* conſcriptam ad *Tiberium* ducit *Velleius* jam *Quæſtor deſignatus.* Agrippa Poſthumus *abdicatus.* §. 1. 3. 4. *Legatus Velleius* præfectus hujus anni *hibernis.* §. 16. 18. Primus ann. Belli *Marcomannici*, non *Delmatici.* §. 17.
7.	25/26	760.	*Tiberio* de *mora* ſuſpecto mittitur, ſocius Belli cum eo gerendi, *Germanicus.* §. 4. *Primus* annus *triennii*, quo *Illyricum* debellavit *Tiberius.* §. 19. *Velleius* anni *initio Romæ* ad *Quæſturam* ineundam, fine erat in Pannoniâ cum *Tiberio*, remiſſo nempe anno *Quæſturæ Provincialis.* Poſt tempus nimirum *ſortitionis.* §. 18. Ex *Quæſtura* eam Expeditionem ſuſcepit *Germanicus*, ſub quo meruit *Velleius*, *Tiberii* non jam *adjutor*, ſed *ſpectator* tantummodo. §. 19. Cum *Tiberio* frater *Velleii Magius Celer.* ib. Deſunt in *Velleio* anni hujus *Acta* pleraque. Hujus anni

hiems

hiems illa erat, cujus meminit *Velleius* L. II. c. 114. ab ea hieme *alia* cujus meminerat c. 113. §. 23.

Annus Belli *Pannonici* ſecundus, quo Bellum illud confecit *Tiberius*. §. 23. Hujus anni *hibernis* præfectus *M. Lepidus*. §. 24. 25. | 761. | 26/27 | 8.

Annus Belli *Illyriciani tertius*, quo, poſt *Pannonicum*, *Delmaticum* Bellum aggreſſus eſt, abſolvitque *Tiberius*. §. 23. Et quidem *maturis*, nec admodum affectis, *Æſtivis*. §. 26. Hoc eodem anno cæſæ ſunt *Vari* Legiones. §. 28. | 762. | 27/28 | 9.

Proximo anno à clade *Vari* novam rurſus impreſſionem in *Germaniam* fecit *Tiberius*. §. 28. | 763. | 28/29 | 10.

Secundus annus *biennii Suetoniani*. Secunda nimirum novi hujus Belli *Germanici* Æſtiva *militaria*. Nempe ad *Autumnum*, teſte *Dione*. Poſtea *Romam* rediiſſe teſtatur *Dio* tam *Tiberium* quam *Germanicum*. Ita nimirum tempeſtivè ut ſequentis anni *Conſulatum*, quem geſſit *toto* (inquit *Dio*) *anno*, *Romæ* inierit *Germanicus*. §. 28. | 764. | 29/30 | 11.

Triumphat *Tiberius*, ſequunturque illum triumphantem *donis* militaribus inſigniti tam *Velleius*, quam frater *Velleii Magius Celer*. §. 28. Exit hoc anno *continuum* illud, quod in *Tiberii* ſatellitio egit *Velleius*, *novennium*. §. 1. 28. Tantummodo *cæptum* hujus anni *Dec.* X. *Tribunatum Plebis* inivit *Velleius*. §. 28. Hujus victoriæ nomine *Tiberius* IMP. VII. quem titulum cum T. P. XIII. committunt *Numi*. Ea autem *Tribunitia Poteſtas Junii* ad minimum die XXVII. cœpit anni 764. deſiitque eodem ejuſdem menſis die anni 765. Tunc ergo Bellum abſolverat unde titulum illum *Imperatorium* reportavit. Sed *Tribunitia* illa *Poteſtate* ad *exitum* vergente. *Vnicum* enim refert Cl. *Mediobarbus* numum qui *Tribunitiam* illam *Poteſtatem* cum titulo illo *Imperatorio* commiſerit. *Quadrigas* autem *triumphales*, quæ huc referri poſſint, in unico obſervavit idem vir Cl. numo *Arſchotano*, in quo cum prædicto titulo *Imperatorio* VII. & *Tribunitia Poteſtate* XIII. committuntur. Inde diſcimus *affectam* illam fuiſſe *Tribunitiam Poteſtatem* cum *triumpharet Tiberius*. Sic ante *Jun.* XXVII. IMP. VII. *acclamatus* fuerit ab exercitu *Tiberius*. Sic tamen ut *Romam* vix redierit *triumpharitque*, niſi anno illo, quem dixi, 765. *exeunte*. Vix ſane eſt quin eodem referamus titulum *Auguſti Imperatorium* XX. qui tamen cum | 765. | 30/31 | 12.

			Potestate Tribunitia ejus XXXIV. committitur, quæ etiam ipsa anno 765. defierit. Addi illa possunt illis quæ supra diximus ad designandum *novennis Velleii* sub *Tiberio militiæ finem.*
13.	31/32	766.	Hoc anno *Tribunatum Plebis* gessit *Velleius* usque ad *Dec.* X. §. 26. 27. 28.
14.	32/33	767.	*Velleius Prætor designatus*, cum fratre *Magio Celere*, ab *Augusto* commendatus, & *Tiberio. Vell.* II. 114. Nondum scil. *Comitia Prætoria*, cum moreretur *Augustus*, *August.* XIX. Imo *tum primum* Comitia Tribuum *nulla*, jure eorum ad *Patres* translato. *Tacit.* Ann. I. 15. Imperante scilicet *Tiberio.*
15.	33/34	768.	*Velleius* cum fratre *Prætores*, tam *Augusti* quam etiam *Tiberii Candidati.* §. 29.
30.	48/49	783.	Scribit *Velleius* suam hanc Historiam *compendiariam* in gratiam *Consulatus Vinicii*, §. 29.
31.	49/50	784.	Cæsus *Velleius*, ut videtur, propter amicitiam *Sejani*, post *Coss. Ordinarios.* §. 30.

ANNALES

ANNALES QUINTILIANEI:

SEU

VITA

M. FABII QUINTILIANI

Per *Annales* diſpoſita.

I. M. *FABIUM*, de quo agimus, *Quintilianum* Ego ſub *Claudio natum* fuiſſe nullus dubito, nec longe ab Imperii illius *initio*. De *Domitio* enim *Afro* Præceptore ſuo ſic ipſe meminit, ut ſe alio loco, cum illum audiret, (a) *Juvenem* fuiſſe ſignificet, alio autem (b) *Adoleſcentulum*. Hinc facile colligimus, *cœptam* fuiſſe duntaxat illam *Adoleſcentuli juventutem*. Nuperam ſcilicet à toga *virili*, quæ anno demum *ætatis* XV. (c) labente erat, pro *Romanarum* Legum diſciplina, ſumenda. *Ætatem* enim jam *puberem* quidem, ſed togæ *prætextæ* proximam deſignat vox illa utraque, tam *Juventutis* quam etiam *Adoleſcentiæ*. Ita *Nero Germanici* filius, *Caligulæ* frater natu maximus, *Juventam ingreſſus* (d) fuiſſe dicitur, quo die *forum* ingreſſus eſt, & *pu-*

Quintilianus, cum *Domitium Afrum* audiret *ſenem*, ipſe *Juvenis* erat, & *Adoleſcentulus*.

(a) *Quint.* Inſt. L. X. c. 1. p. 460. (b) *Quint.* Inſt. L. V. c. 7. p. 267.
(c) Vid. Præl. V. & X. ad *Sp.* Adrian. (d) *Tacit.* Ann. III. 29.

ber habebatur, pro cenſu *Romano*. Sic etiam *Nero* alter, qui poſtea *Auguſtus* erat, toga *virili* ſumta, licet *maturata*, (*e*) *Princeps Juventutis* appellatus eſt. Quo etiam eodem exemplo, non *juniores* tantummodo *Nerone Principes Juventutis* (*f*) cognominati ſunt, ſed *antiquiores* etiam *Caius* & *Lucius Auguſti* nepotes, & per Adoptionem filii, cum ſcilicet togam *Puerilem* prætextam exuerent. Sic etiam *Puero* nomen *Adoleſcentis* opponit *Cicero* (*g*) ut plane innuat *Pueritiæ* proximam fuiſſe illorum etiam temporum *Adoleſcentiam*. Nec ſane alia *ætas* erat, quæ & *Rhetores* audire ſolebat in *Schola*, & *Oratores* in *foro* etiam *Senatorios*, qualis erat *Quintiliani* Præceptor ille *Domitius*, ab hac ipſa *Pueritiæ* proxima *Juventute* atque *Adoleſcentia*. Sic enim *ætatem*, quæ *Rhetoribus* formanda tradi ſolebat, *Quintilianus* ipſe deſcribit: *Nam & adulti* (inquit) (*h*) *fere Pueri ad hos Præceptores transferuntur, & apud eos Juvenes etiam facti perſeverant.* Proinde cavet ne permiſti invicem ſederent *Pueri* (*i*) *Adoleſcentibus*. Iidem ergo cum *Juvenibus* illi illius *Adoleſcentes*, *Pueriſque* ambo ætate *proximi*. Cum *adultos fere Pueros* fuiſſe dicit qui à *Grammaticis* ad *Rhetoras* transferrentur, id una innuit, & *minores* fuiſſe, & tamen *proximos*, nec adeo *multo* minores illos, annis *Adoleſcentiæ*. X. certe ætatis annum egit ipſius *Quintiliani filius*, quem deflet, *major*, quem tamen nondum *Rhetoricis* ſtudiis inſtituerat. Hos enim Libros propterea ſcripſit, ut, ſi ſe (*k*) *fata intercepiſſent*, *Præceptore tamen Patre uteretur*. Nondum ergo *Præceptore patre* uſus *decennis* tamen puer, & qui ſpem cultus optimam pollicebatur. *Majores* ergo *Pueros* fuiſſe arbitror qui *Rhetoribus* inſtituen-

(*e*) *Tacit.* Ann. XII. 41. (*f*) Præl. XVIII. ad *Sp.* Adrian. §. 10. (*g*) *Cicer.* ad *Attic.* (*h*) *Quint.* Inſt. L. II. c. 2. p. 63. (*i*) *Quint.* ib. p. 64. (*k*) *Quint.* Inſt. L. VI. Præfat. p. 261.

di

di tradebantur. Pro ea nimirum *majorum minorumque Puerorum* diſtinctione quæ recepta eſt in cenſu diſciplinaque *Romanorum.* Ea autem *Pueritia* à (*l*) X. cœpit, ni fallor, ætatis anno; ſed eo tamen penitus *expleto. Majoribus* certe *Pueris* accerſitus eſt *duodecennis Tiberius* (*m*). Sed cum *adultos fere* dicat *Quintilianus, adoleſcentes* autem ſub *Rhetorum* diſciplina *perſeveraſſe*; non *multo* ſane anno XIV. minores fuiſſe docet, & à *majoris* etiam *Pueritiæ* citimis limitibus paulo remotiores. Itaque, quo propius *Adoleſcentiæ* limites attingebat *Pueritia* illa à *Rhetoribus* inſtituenda; eo profecto ulterius in *Adoleſcentiam* ipſam incurriſſe neceſſe erat eandem illam inſtitutionem. Sed vero eadem *ætate* qua in *Schola Rhetoras*, in foro *Oratores* etiam *Senatorios* audiebat idem ille ſeu *Juvenis*, ſeu *Adoleſcens.* Sic enim Auctor Dialogi de Oratoribus: (*n*) *Juvenis ille, de quo loquimur, Oratorum diſcipulus, fori auditor, ſectator Judiciorum, eruditus & aſſuefactus alienis experimentis, cui cottidie audienti notæ Leges, non novi Judicum vultus, frequens in oculis conſuetudo concionum, ſæpe cognitæ Populi aures* &c. Nec illud modo. *Fabulas* (*o*) etiam *M. Apri* & *Julii Secundi, & diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis excipiebat* Auctor ipſe Dialogi. *Oratorum* ſcilicet *Senatoriorum*, qui Juventutem *publice* inſtituendam non ſuſceperant. *Domeſticam* enim diſciplinam ne quidem illi dedignabantur, qui *Scholas* tamen *publicas* aſpernabantur, ſeque indignas judicabant. Ita *Hirtium* & *Dolabellam*, non autem *Panſam*, ut vult (*p*) *Suetonius, diſcipulos* & *grandes prætextatos* agnoſcit (*q*) *Cicero* jam *Senator.* Cum *grandes prætextatos* appellat, *ætatem*

(*l*) Præl. XVIII. ad *Sp.* Adrian. §. 9. (*m*) Ibid. (*n*) De Orat. c. 34. (*o*) Ibid. c. 2. (*p*) *Suet.* de clar. Rhetorib. c. 1. (*q*) *Cicer.* L. IX. Fam. ad *Pat.* Ep.

una

una ſignificat fuiſſe *prætextatam* qua *Oratorum diſcipuli* domeſticis inſtitutionibus intereſſe ſolebant. Propterea enim pro *Prætextatis* illos habuit, quod idem facerent quod facere ſolebant non alii quam *Prætextati Prætextatiſque* ætate *proximi*. Fuitque *admodum* (*r*) *juvenis* Auctor Dialogi de Oratoribus, cum illos, quos dixi, *Oratores Senatorios* domi etiam audiret. *Juvenes* jam atque *Adoleſcentes* in hac cauſa eoſdem fuiſſe probavimus. Cur itaque dubitemus, qui *admodum Juvenis* erat, illum eundem fuiſſe cum *Adoleſcentulo* ? Et ſane accepta *virili* toga in *forum* deduci ſolebant *Adoleſcentes*. Ita licuit ab ea uſque ætate *Oratores* etiam in *foro* audire *Senatorios*. Proinde hac ipſa *ætate* qua *Rhetorum* Scholas frequentavit *Quintilianus*, *forum* etiam & Judicia *publica* adiit, & *domeſtica* Oratorum *Senatoriorum* colloquia, ita nimirum celeberrimorum tunc temporis Oratorum erudiendus experimentis. Horum autem Oratorum *Senatoriorum* præſtantiſſimum agnoſcit hunc *Domitium Afrum* non uno in loco *Quintilianus*. Nec modo *forenſibus* ejus *Orationibus* uſus eſt, verumetiam *domeſticis colloquiis*. Libros illius duos de Oratoris officio (*ſ*) *in audiendis teſtibus* non *perlegerat* tantummodo, verumetiam *maximam eorum partem ex ipſo cognoverat* : illis proculdubio colloquiis. Is enim non *Senator* ſolum verumetiam *Conſularem* (*t*) in Senatu *gradum* aſſecutus fuerat jam olim Imperante *Caligula*. Ita *Rhetor* eſſe non potuit, nec *Scholæ* adeo *publicæ* vacare. Hæc ergo *prima* illa *Pueritiæque* proxima *ætate* noſter *Quintilianus*.

Ætas illa *Juvenis* atque *Adoleſcentuli* ab anno XIV. pertingebat ad

II. Videamus porro quouſque extendenda ſit ætas illa *Juvenis* atque *Adoleſcentuli*. Ego illam ad annum uſque ætatis XVII. pertigiſſe puto, ſupre-

(*r*) De Orat. c. 1. (*ſ*) *Quint.* Inſt. L. V. c. 7. p. 207. (*t*) *Dio* L. LIX.

mum

mum nempe *veteris Pueritiæ* limitem; ut proinde nondum *Adoleſcens* ille, ſed *Adoleſcentulus* fuerit appellandus. Ab anno certe XVIII. *Judices* (*u*) erant, quibus id licuit, pro jure *cenſus* atque *natalium*. Et novum ab eodem illo anno XVII. *militiæ* gradum deductum obſervavimus in *Annalibus* noſtris *Velleianis* (*x*). Pro ſuo etiam vitæ ſtudio, munere *virili congruo* quiſque erat occupandus. *Deduci* enim ſolebant in *forum*, cum *togam* ſumerent, ut diximus, virilem. Primo nimirum ut *Judiciis publicis* intereſſent, *Orationibuſque* celeberrimorum ſui temporis Oratorum, ad annum illum, quem dixi, XVII. Tum deinde *licuit* (quibus ea eſſet ſui fiducia) ut cauſas ipſi publicas etiam perorarent. Eo certe *ipſo* ætatis anno *Aphobum* tutorem accuſavit (*y*) *Demoſthenes*. Sic etiam *Romanis* licuiſſe veriſimillimum eſt, *Græcæ* profecto diſciplinæ, in *Græca* præſertim arte, æmulis. Non longe inde diſcedunt veterum celeberrimorum exempla quorum ullam retinemus hodieque memoriam. Anno ætatis XIX. cauſam egit *Quintiliani* diſcipulus (*z*) *Plinius* junior, his ipſis proximus, de quibus agimus, temporibus. (*a*) *Nono decimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, uno & viceſimo Cæſar Dolabellam, altero & viceſimo Aſinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium, iis Orationibus inſecuti ſunt, quas hodieque cum admiratione legimus*, inquit Auctor Dialogi de Oratoribus. Sic etiam *Calvum, Cæſarem, Pollionem*, multum ante *Quæſtoriam omnes ætatem* (quæ annorum erat, ut alibi (*b*) oſtendimus, XXV.) *graviſſima judicia ſuſcepiſſe* obſervavit ipſe (*c*) *Quintilianus*. Paulo ſerius

annum XVII. *expletum* ſcilicet.

(*u*) Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 12. (*x*) Ann. *Vell.* §. 10. (*y*) *Dem.* in *Aphob.* (*z*) *Plin.* L. V. Ep. 8. (*a*) Dial. de Or. c. 34. (*b*) Præl. X. ad *Sp.* Adr. §. 8. (*c*) *Quinct.* Inſt. L. XII. c. 6. p. 554.

primam cauſam egit (*d*) *Cicero*, anno nimirum ætatis XXVI. Sed *prætextatos* (*e*) egiſſe quoſdam, non quidem ipſe meminerat, ſed *traditum* tamen (à majoribus nimirum) teſtatur *Quintilianus*. Ea ætate erat *Auguſtus*, *duodecim* ſcilicet annos natus, cum *aviam pro Roſtris laudaret*, non (*f*) *Quintiliano* duntaxat teſte, verumetiam (*g*) *Suetonio*. Ne alibi funebrem illum ſermonem, quam in *foro*, ubi erant *Roſtra*, fuiſſe ſuſpicemur. *Biennio* videlicet ante *togam*, ut alibi (*h*) oſtendimus, *virilem*; non autem *quadriennio*, ut videtur velle (*i*) *Suetonius*. Quanquam autem in *loco publico*, non *Populi* tamen, ſed gentis *Octaviæ* privata, erant illa ſolennia. Morem alioqui receptum in eo violatum exinde conſtat, quod ante *togam virilem* ne quidem ſolerent in *forum* deduci. Tantum aberat ut in foro publiciſque *adultorum* cœtibus licuerit concionari. Eadem enim erat, illis temporibus, *Puerorum impuberum* ſub *Pædagogis* agentium fere diſciplina, atque *fœminarum*. Vetat, uti vidimus, *Quintilianus* ipſe ne, vel in *Scholis* Rhetorum, *permiſti* ſederent *Pueri* cum *Adoleſcentibus*. Quanto magis cavendum erat ne palam in promiſcuis *virorum* conventibus verſarentur? In *fœminis* certe inhoneſtum hoc fuiſſe, pro moribus antiquis, oſtendit apud *Livium* (*k*) *Cato Cenſorius*. Ideo *tutores* utriſque aſſignati, tam *Pueris* quam *Mulieribus*, qui eorum Perſonas in *publico* ſuſtinerent. Mox tamen à *virili toga*, *fori* aditu patefacto, ne quidem ita licuit in *foro concionari*. Vidimus quidem exempla concionantium annum, quem dixi, XVII. non multo ſuperantium. Qui hoc anno non *expleto* hoc auſus fuerit, nondum vidimus. Suppeditat tamen,

(*d*) *Quint.* ib. & *Gell.* Noct. Att. (*e*) *Quint.* ib. (*f*) *Quint.* ib (*g*) *Suet.* Aug. c. 8. (*h*) Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 1. (*i*) *Suet.* ib. (*k*) *Liv.* L. XXXIV. c. 2, 3, 4.

ni

ni fallor, *Valerius Maximus* (*l*). *M.* ille *Cottam* dicit, cum à *Capitolio* deſcenderet, quod *toga virili* ſumta factum, *Cn. Carbonem* Patris accuſatorem ipſum accuſaſſe. Hoc ille *primo* quoque, quo per *Leges* licuit, tempore factum innuit, paulo poſt tumultus junioris *Gracchi* quibus Pater fuerat accuſatus. Hoc tamen tempore obtinuit, ni fallor, *Pueritia* illa *Servii Tullii* vetuſtior, non ante annum ætatis XVII. abſolvenda. Paulo antea obtinuiſſe probare poſſemus, ſi id ageremus. Eſt autem admodum incertum *initium* Pueritiæ *junioris* anno XIV. terminandæ. Hoc tantum ſcimus fuiſſe *Imperatoribus* antiquius. Quod ſi recte *Pueritiam* illam *Cottæ* de *veteri Pueritiæ* meta intellexerimus; ita duo in noſtram ſententiam apprime facientia lucrabimur. Primo mox ab anno XVII. abſoluto licuiſſe *concionari*; ſecundo tum *primum* licuiſſe, cum nihil ſit cur dubitemus *primam* quamque illius Accuſationis occaſionem legitimam à *M. Cotta* vindictæ avido fuiſſe captatam. Eſtque ſane hæc ætas *media* inter ætatem *Auguſti* aliorumque à *Quintiliano* memoratorum, quam probat ipſe maxime in ſuo Oratoriæ Candidato. Vult enim ille, ut neque (*m*) *præpropere diſtringeretur immatura frons, & quicquid eſſet illud acerbum proferretur: Nec rurſus differendum eſſet tirocinium in ſenectutem.* Ætas porro illa, cujus *annos* definire noluit, *Juvenilis* tamen erat, & *virium tenerarum.* Sic enim poſtea: *Cæterum illum quem juvenem, teneriſque adhuc viribus nitentem, in forum deduximus, incipere à quam maxime facili ac favorabili cauſa velim, ut catuli ferarum molliori præda ſaginantur.* Sed *conſilium* erat *Quintiliani*, ne primo ſtatim, quo licuit, tempore in *foro* cauſas orarent *Adoleſcentes.* Non tamen negat *Jus* fuiſſe

(*l*) *Valer. Maxim.* L. V. c. 34. (*m*) *Quint.* Inſt. L. XII. c. 6. p. 554.

illis agendi ſi vellent auderentque, hac ipſa, de qua loquimur, *ætate*. Inde conſentaneum erat, ut illa ipſa *ætate* qua *Jus* erat agendi, ſatis *inſtructus* eſſet ad uſum *fori*, à ſtudiis *Oratoriæ*, *Adoleſcens* quem hic formandum ſuſceperat. Inde rurſus, ut eadem etiam plerunque ætate *finis* eſſet *temporis* in artis *Oratoriæ* ſtudio, pro illius *Seculi* Scholarumque *Rhetoricarum* methodo, ponendi.

Hæc erat *Adoleſcentia imberbis*; cœpit autem *Adoleſcentia barbatula* ab anno XVIII. *expleto*, pertigitque ad annum *primæ barbæ* ponendæ, *Ætatis* nimirum XXI.

III. *Olim* certe licentiam fuiſſe, mox à toga *virili*, in *foro* agendi, vel ex illo *M. Cottæ* colligitur exemplo. Fuitque hæc ipſa, de qua loquimur, *ætas* par veterum, ut dixi, *Pueritiæ*. Et ſane congruum erat, ut cum *togæ prætextæ* annos contraxiſſent, in ſumenda *toga virili*; nonnulla tamen *Puerilis* diſciplinæ veſtigia obſervarentur, dum veteris etiam cenſus *Pueritiam* exuiſſent. Et ne quidem illud incongruum ut, habita *Puerilis* verecundiæ ratione, à concionibus publicis aliquantiſper abſtinerent. Nequit autem fateor hujus *ætatis* menſura è *Juventutis* nomine colligi quo uſus eſt *Quintilianus*. Ex alia tamen illius voce recte, ni fallor, elicitur. Eſt enim *Adoleſcentulus* ille qui *admodum Adoleſcens* aliis appellatur; qui *prima* eſſet *Adoleſcentia*, quæ à (*n*) *Cicerone* memoratur atque (*o*) *Suetonio*; qui ita *Adoleſcens* eſſet ut nondum tamen *finem* feciſſet *adoleſcendi*, ut ægre nomen ipſum tueretur *Adoleſcentis*, *Adoleſcentulus* proinde rectius quam *Adoleſcens* appellandus. Recte nimirum quadrant hæc omnia in *mediam* illam *ætatem* inter *novam veteremque* Pueritiam. Hæc enim, *novo* cenſu *Adoleſcentia* habebatur, *veteri Pueritia* tantummodo, nondum *Adoleſcentia*. Ita dubia fuerit hujus ætatis vel *A-*

(*n*) *Cicer.* (*o*) *Suet. Oth. c. 2. Domitian. c. 1.*

doleſcentia

doleſcentia. Nec alia ſane *ætas* eſſe potuit qua *flagris* à patre objurgatus eſt *Otho*, diſciplina plane *Puerili*, vel illius ſaltem *ætatis* quæ *Rhetorum* Scholas frequentabat, tam *Puerorum* quam etiam *Juvenum* ſeu *Adoleſcentum.* Ita *ferula objurgari* apud eundem legimus (*p*) *Suetonium. Ferulam* autem in Scholis agentium diſcipulorum fuiſſe conſtat è (*q*) *Juvenali.* Nec aliter de Pueris Poeta alius:

(*r*) *ſolea puer objurgabere rubra.*

In eo tantum diſcrimen, quod *ſolea Pueri*, *ferula Juvenes objurgarentur.* Nec alia certe *prima Adoleſcentia Domitiani*, quam committit cum ejuſdem *Pubertate Suetonius.* Hoc certum *ætatem* illam *Domitiani*, & ſub *Nerone* fuiſſe, & turpibus *amoribus* idoneam, qualis illa fuerit oportet de qua agimus. *Pubertatemque* ab anno ætatis XIV. arceſſit (*ſ*) *Feſtus.* De hac ætate ita (*t*) *Cenſorinus*: *De tertia autem ætate Adoleſcentulorum tres gradus* (inquit) *eſſe factos in Græcia, priuſquam ad viros perveniatur, quod vocent annorum quatuordecim* παῖδα ; μελλέφηβον *autem quindecim* ; *dein ſedecim* ἔφηβον ; *tum ſeptemdecim* ἐξέφηβον. Plane *Adoleſcentuli* ſunt, ut videmus, quorum gradus hoſce recenſet, pro *Græcorum* mente, *Cenſorinus.* Ita *imberbem* (*u*) *Adoleſcentulum* patrem *Clodii* Adoptivum appellat *Cicero*, quem, rotundo uſus numero, *minorem annis viginti* fuiſſe dicit. Erat ergo *Adoleſcentuli* ætas *imberbis*, quæ hoc ipſo nomine dubia erat, eſſetne potius *Pueritiæ* accenſenda. A *barbæ* enim illa *veſte inveſtes* dicti *Pueri*, & *veſticipes Adoleſcentes.* Nonius: *inveſtes dicuntur impuberes, quibus prop-*

(*p*) *Suet.* Calig. c. 10. (*q*) *Juven.* Sat. I. v. 15. (*r*) *Perſ.* Sat. V. v. 169. (*ſ*) *Feſt.* voc. *pubes.* (*t*) *Cenſorin.* de die nat. c. 14. (*u*) *Cicer.* pro dom. ſua, c. 13. 14.

ter teneram ætatem nulla pars corporis pilat. Ita *Pueros barbatis* (*x*) opponit *Juvenalis*, *prima* nempe *barba* veſtitis, ſeu *prima* potius *lanugine*. Ab illis enim *barbæ pilis* finis plerunque cenſebatur *Pueritiæ*. Sic (*y*) *Iſidorus* : *Puer à puritate vocatus, quia purus eſt, & necdum lanuginem floremque genarum habens.* Et *barbam veſtis* nomine intellexit verbis illis (*z*) *Virgilius* :

Aurea Cæſaries ollis, atque aurea veſtis.

Facere tamen ad *Pueritiæ* finem initiumque *Adoleſcentiæ* cenſebantur alii quoque ſub axillis *pili*. Tunc *Hirquitalli* dicti *Pueri* veteribus Latinis, τραγίζειν Græcis, ſeu à libidine, ut vult (*a*) *Feſtus*, *hircina*; ſeu à *fœtore* corporis *hircino*, unde *hircum olere* apud (*b*) *Horatium*, & *gens Centurionum hircoſa* (*c*) *Perſio* ; ſeu denique à *voce* craſſiore *hircina*, ut voluit (*d*) *Ariſtoteles*, & poſt illum *Cenſorinus*. *In alis cubare hircum* illum teſtatur (*e*) *Horatius*, *ſub alarum valle caprum* (*f*) *Catullus*. Cum *barba* etiam *prima* committit (*g*) *Martialis*. Sic enim ille :

Inde tragos, celereſque pili, mirandaque matri Barba.

Erant quidem ex his *ætatis ſignis* nonnulla hujus, de qua agimus, *Adoleſcentiæ* fine paulo maturiora. Gloſſæ veteres : *Irquis*, τραγιῶν πῶς ἀρχὼ ἡλώσας. Sic enim *Græca* rectè, uti puto, emendavit (*h*) *Scaliger*.

(*x*) *Juven.* Sat. XIII. v. 55. (*y*) *Iſidor.* L. XI. c. 11. (*z*) *Virg.* Æn. VIII. (*a*) *Feſt.* Hirquitall. & Irquit. (*b*) *Hor.* Serm. L. I. Sat. II. (*c*) *Perſ.* Sat. III. v. 77. (*d*) *Ariſtot.* Hiſt. An. L. VII. (*e*) *Horat.* Epod. XII. (*f*) *Catull.* Carm. 7. (*g*) *Martialis* L. XI. Ep. 23. (*h*) *Scalig.* ad *Feſt.* voc. *Hirquitalli.*

Ita

Ita *initio Pubertatis* convenerit *hircinus* ille ſeu *corporis fœtor*, ſeu *vocis ſonus*. Et ſane *vocis* craſſiorem illum ſonum *ſecundæ* annorum *hebdomadi* exeunti, vel *tertiæ* incipienti aſſignat (*k*) *Cenſorinus*. Nec aliter *Ariſtoteles* qui poſt annos illum ponit *bis ſeptenos*. Sed *barbæ* tamen nota *Adoleſcentiam* noſtram, pro recepto vulgi ſermone, deſignavit accurate. *Primam* nimirum intelligimus barbæ *lanuginem* ; quæ *Imberbem* illam *Adoleſcentuli* adoleſcentiam proxime excipiebat. *Primam* certe *barbam*, & quidem *gravem* illam, cum demeteretur, ut loquitur (*l*) *Juvenalis*, anno tamen radebant (*m*) *ætatis* XXI. Ita nempe *gravem* ut *pyxide* aurea conditam *Jovi Capitolino* conſecraret (*n*) *Nero* Imperator. Proinde *annorum* aliquot antequam ſummitteretur, *barbam* fuiſſe conſentaneum eſt. Prima *Adoleſcentiæ barbatæ* lanugo ab anno cenſebatur *ætatis* XVIII. eoque, ut videtur, *expleto*. Hoc nos docet (*o*) *Juvenalis*, cum *barbatum* ſuum, quem *Puero* opponit, quatuor duntaxat *annis* Puero majorem agnoſcit, & *prima* tantummodo *lanugine* veſtitum. Ita *prima lanugo* in annum XVIII. *expletum* convenerit, cum etiam *Pueritia* in anno XIV. ſimiliter *expleto* terminata fuerit. Inde *barbatuli* (*p*) *Juvenes* appellabantur ad illum uſque annum, ut videtur, quo barbam primam *radebant*, ætatis ſcilicet XXI. Hanc *pubertati plenæ* ætatem conſtituunt (*q*) *Juriſconſulti*, uſque à temporibus *Hadriani*. Nec id immerito, etiam pro ſententia veterum. Docet enim nos (*r*) *Cicero annum* fuiſſe *unum olim* (à *toga* ſcilicet *virili*, finitaque annorum certe XVII. quæ fuerat olim recepta, *Pubertate*) *ad cohibendum brachium toga conſtitu-*

(*k*) *Cenſorin.* c. 14. (*l*) *Juv.* Sat. L. v. 29. (*m*) *Macrob.* in Somn. (*n*) *Suet.* Ner. c. 12. *Dio* Xiphilin. (*o*) *Juv.* Sat. XIII. v. 56. 57, 58, 59. (*p*) *Cic.* ad *Att.* l. 16. (*q*) *Dig.* L. I. tit. 7. l. 40. 1. L. XXXIV. tit. 1. (*r*) *Cicer.* Orat. pro M. Cœlio.

tum,

tum, & ut exercitatione ludoque campeſtri uterentur. Eademque (inquit) *erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio, ac militaris.* Hinc ergo intelligimus, cur raras admodum habeamus virorum facundorum ante annum XIX. Actiones. Necdum enim licuit, per diſciplinam modeſtiæ Juvenilis, *brachium* extra *togam* exerere, quod tamen his ipſis temporibus ad Pronunciationem neceſſarium fuiſſe, ex ipſo ſatis conſtat (*f*) *Quintiliano.* Leges ille dicit, in Pronunciatione, *manibus* utriſque etiam de *toga* componenda, à *togæ* illa *cohibitione* alieniſſimas. Ita ante annum XVIII. exactum cauſas Orator agere commode non potuit. Et tamen anno XVII. abſoluto finem fuiſſe conſtat *Adoleſcentiæ imberbis*, illius ſcilicet quæ *Puerorum* ſocia erat in *Scholarum* Rhetoricarum diſciplina. Hæc certe *Adoleſcentia* erat propriiſſime ita appellata. Inde *exoleti* audiebant impudici, non certe ultra corporis *hircinum* fœtorem & primam *barbæ* lanuginem, injuriis illis opportuni & idonei. *Flore* nimirum illo, quem veteres appellabant, *ætatis* marceſcente, deinceps *adoleſcendi* finem feciſſe cenſebantur. *Exoletus qui adoleſcere*, id eſt, *creſcere deſiit*, inquit *Feſtus. Florem* enim illum *Adoleſcentiæ* tribuunt veteres. *Hieronymus* in *Gloſſario* indito: *Adoleſcentia flos ætatis.* Nec aliter *Cicero* in *Topicis.* Et *florem ætatis contaminatum* Cæſari exprobravit (*t*) *Cicero.* Et *conſtupratum Adoleſcentulum* memorat (*u*) *Suetonius.* Inde intelligimus *Adoleſcentulorum*, de quibus agimus, hanc fuiſſe *Adoleſcentiam.* Fateor equidem *Plinium*, qui cum primam cauſam ageret, annum agebat (*x*) XIX. à ſe tamen haberi pro (*y*) *Adoleſcentulo.* Recte id nimirum, ſi *priorem Adoleſcentiæ* univerſæ

(*f*) *Quint.* Inſt. L. XI. c. 3. (*t*) *Suet.* Cæſ. c. 49. (*u*) *Suet.* Vitell. c. 12. (*x*) *Plin.* L. V. Ep. 8. (*y*) *Plin.* L. I. Ep. 18.

partem

partem in animo habebat. *Adoleſcentiam* enim (z) *Varro* ab anno Ætatis XV. ad annum deducit XXX. Sed receptior erat alia *Adoleſcentiæ* æſtimatio à *Solonis* notiſſima Elegia deducta, quæ *ætates* per annorum *hebdomadas* partiebatur, & ab anno proinde ætatis XIV. *expleto Adoleſcentiam* cenſebat ad annum XXVIII. ſimiliter *expletum*. Ita è *Romanis* etiam (a) *Cenſorinus*, & prædictum S. *Hieronymi* Gloſſarium Balliolenſe: *Adoleſcentia tertia ætas hominis quæ duabus conſtat ebdomadibus propter intellectum & actionem.* Utrovis modo in dimidiam partem *Adoleſcentiæ priorem* incidebat ætas illa *Plinii Adoleſcentuli*, quæ ratio illi eſſe potuit cur ita loqueretur. Sed & alia quoque ratio fortaſſe erat, ſi de *barbata* illi ſermo eſſet *Adoleſcentia*. Certe *barbatulos* illos potius quam *barbatos* cenſebant dum *primam barbam* poſuiſſent anno, quo dixi, XXI. *Forma* utique eadem, qua etiam *Adoleſcentulos*, diminuta. Interim nihil obſtat quo minus vox *Adoleſcentuli* ſimpliciter accepta, *imberbem* potius *Adoleſcentiam* denotet quam *barbatam*. Hi certe erant *Adoleſcentuli* quos *totos dies apud Rhetoras deſidere* cauſati ſunt (b) *Cenſores*. Hoc erat noſter in numero *Quintilianus*. Eſt tamen alia nonnunquam laxior vocis ſignificatio. In Satyrico (c) *Petroniano Giton annorum circa XVIII. criſpus tamen, mollis, formoſus & Puer, appellatur*. Alibi tamen idem *Giton* cum (d) *ſeptenni* puellula comparatur. Fieri ergo poteſt, ut pro XVIII. ſit potius, legendum XIV. Sed nec alibi deſunt laxioris uſus exempla: *Auguſtum* vicennem *Puerum* tamen appellat (e) *Brutus*. *Criſpinum* etiam (f) ſedecennem (g) *Puerum* aliquo-

(z) Ap. *Cenſor.* c. 14. (a) *Cenſorin.* ib. (b) ap. *Suet.* de Rhet. c. 1. (c) *Petron.* Edit. nuperæ p. 163. (d) Ibid. p. 44. (e) ap. *Cicer.* ad *Brut.* Ep. 16. (f) *Stat.* L. V. Sylv. 2. v. 12. (g) Ib. v. 8. 27. 51. 82.

ties ſimiliter indigitat *Papinius Statius*. Immo *vicennem Puerum* memorat coævus noſtro (*h*) *Martialis*. Sed alia vocis certe ratio eſt cum *affectu* aliquo ſeu *contemtus*, ſeu etiam *blanditiarum*, adhibetur. Tunc enim proclive eſt ut *plus* æquo deprimatur, pro modo quo res æſtimare ſolent homines illis *affectibus* præpediti. Alia tamen longe illa qua pro *ætatis temporiſque* nota uſurpatur. Tum enim certe vel *receptam* illam *Pueritiam* deſignabit, vel rem, de qua agitur, deſignandam prorſus erit inutilis. Hoc autem ſenſu vocem illam intellexit noſter *Quintilianus*.

Quintilianus Adoleſcentulus, cum moreretur *Domitius Afer*, an. viz. Ær. *ch.* LIX.

IV. Itaque cum ſuam ille *Adoleſcentuli* ætatem cum *Domitii Afri* committit *ſenectute*, *extremam* illam proculdubio *ſenectutem* intellexit, quæque *mortem Domitii* proxime præceſſerit. Audivit enim illum ad *mortem* uſque etiam *deficientem*, ſeque (cum *deficeret*) *vidiſſe* teſtatur, cum ne quidem *deficiens Domitius* à *foro* tamen abſtinuerit. Sed vero *Domitii mortem* anno demum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LIX. exeunti aſſignat (*i*) *Tacitus*. Ita duo lucrabimur: nec *ante* annum Æræ *Chriſtianæ* XLII. nec *poſt* annum XLV. *naſci* noſtrum potuiſſe *Quintilianum*. Si *antea* natus fuiſſet, non potuit appellari, cum *Domitius* moreretur, *Adoleſcentulus*, qui, ſi annum XVII. exceſſiſſet, primum illum veteris *Adoleſcentiæ*, & cum *Pueritia veteri* communem, gradum ſuperaverat. Erat enim, ab illo deinceps anno, *juſtus* jam *Adoleſcens*, pro utroque, tam *antiquiorum* quam *juniorum*, cenſu; non autem amplius *Adoleſcentulus*. Sin *poſt* annum XLV. natus fuiſſet; jam *Puer* fuiſſet ſolummodo vivo *Domitio*, & ne quidem ullo ſenſu *Juvenis* aut *Adoleſcentulus*.

(*h*) *Mart.* L. VII. Ep. 13. (*i*) *Tacit.* Ann. L. XIV. c. 19.

V. Sic

V. Sic tamen inter duos hoſce annos *Quintiliani* natalem Ego conſtituendum exiſtimo, ut ad *priorem* annum XLII. ſit propius admovendus. Erat enim, uti vidimus, non jam amplius, cum *Domitium* audiret, *Romano* cenſu *Puer*, ſed *Adoleſcentulus*. Itaque *togam* jam mutaverat, & pro *Puerili prætexta virilem* atque *puram* induerat; quam tamen non ipſo, qui XIV. ætatis annum claudebat, *Natali*, ſed alio aliquo, qui in annum XV. incurrebat, *feſto* ut plurimum induere ſolebant. Id enim ſatagebant, & pro virilitatis honore ſummo habebant, ut quam poſſent maxima amicorum pompa atque apparatu in *forum deducerentur*. *Togam* ita dedit *Quinti* fratris filio *Quinto* die feſto *Liberalium* (*k*) *Cicero*. Sic *Conſulatus* duos ea ipſa de cauſa ſuſcepit (*l*) *Auguſtus* ut nepotes *Caium Luciumq;* Conſulari *apparatu* in *forum deduceret*. Erant enim diebus *feſtis* non *veſtium* duntaxat ſplendidior ornatus, ſed major etiam amicorum, in *Urbe*, frequentia. Inde XV. ætatis anno *togam* frequentius tribuunt Auctores, quod eo jam *labente*, & magna etiam ex parte ſæpe *elapſo*, indui ſoleret. Hoc nos alibi (*m*) exemplis horum ſuperiorumque atque inferiorum temporum oſtendimus. Itaque annus ætatis XV. fuerit neceſſe eſt cum primum *Domitium* audiret *Quintilianus*. Nec tamen *moram* ejus in *Domitio* audiendo *brevem* fuiſſe veriſimile eſt. Alioqui luxiſſet, ſignificaſſet certe, illam tantæ ſpei fruſtrationem. Aliter vix potuit toties & tam grato animo memoriam ejus injicere, ſi brevior fuiſſet illius cum viro tanto conſuetudo. Illum certe *Domitium* cum *Julio Africano* cenſet eorum (*n*) *quos viderit Oratorum longe præſtantiſſi-*

Et quidem illa *Adoleſcentuli* ætate fere *expleta*. Natus proinde ſub *finem* anni Ær. Ch. XLII.

(*k*) *Cicer.* ad *Attic.* L. V. Ep. 20. (*l*) *Suet.* Aug. c. 26. (*m*) Præl. V. ad *Sp.* Adrian. (*n*) *Quinct.* L. X. Inſt. c. 1. p. 464.

mos. Illum, inquam, (*o*) *Domitium longe omnium ſummum Oratorem.* Nec tamen unquam dolet ereptum ſibi, quam vellet, maturius, quo adeo moleſte fuiſſet carituru. Accedit præterea, quod *defecerit* in fine, in rei Oratoriæ exiſtimatione, *Domitius. Vidi* (inquit (*p*) noſter) *Ego longe omnium, quos mihi cognoſcere contigit, ſummum Oratorem Domitium Afrum valde ſenem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat Auctoritate perdentem, cum agente illo, quem Principem fuiſſe quondam fori non erat dubium; alii (quod indignum videbatur) riderent, alii erubeſcerent.* Hæc certe cum fierent, vix credi poteſt, tum *primum* ſeſe *Quintilianum* ad *Domitium* contuliſſe, cum hæc paſſim recepta eſſet de *Domitio* opinio. *Vigentem* potius *florentemque Domitium* ſectatus eſt, cum ea demum mutatio ut contigerit, *obſervarit* ipſe *Quintilianus.* Proinde aliquot, ante *Domitii* exceſſum, *annis.* Nec enim ſubito obſervari ſolent tantæ illæ mutationes, cum ſoleat minores defectus obſcurare fama jam olim acquiſita, paſſimque peritiorum judicio recepta atque celebrata. Accedit denique & aliud *diutinæ* in *Domitii* diſciplina *moræ* argumentum, quod *duorum* à *Domitio* ſcriptorum de *Teſtimoniis* librorum pleraque ſibi *ex ipſo cognita* (*q*) teſtetur ipſe *Quintilianus.* Erat enim illud celebrioribus Præceptoribus in more ut *dictata* eorum *ſcriptis* exciperent diſcipuli. Sic *libros duos,* (*r*) ante haſce *Inſtitutiones,* de hac eadem Arte Oratoria ſcriptis mandaverant, ſeque inconſulto, ediderant ipſius *Quintiliani* diſcipuli, priorem *Pueri,* poſteriorem *Juvenes.* Hos enim fuiſſe in Scholis *Rhetorum* diſcipulorum *ordines* jam antea è *Quintiliano* ipſo obſervavimus. Sic *fabulas* Oratorum

(*o*) *Quint.* L. XII. c. 11. p. 576. (*p*) Ubi ſupra. (*q*) *Quint.* L. V. Inſt. c. 7. p. 211. (*r*) *Quint.* L. I. Inſtit. Procem.

Sena-

Senatoriorum & diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis penitus excepit (*f*) Auctor Dialogi de *Oratoribus*, eadem ipſe qua *Quintilianus*, (cum *Domitium* audiret,) ætate, *admodum juvenis*. Eadem etiam cum *majoribus* illis *Quintiliani diſcipulis*. Sed vero *Pueris* vix potuit, pro *Romana* diſciplina, libera eſſe cum *Oratoribus Senatoriis* converſatio. Ægre illis *foras* prodire conceſſum eſt, niſi *Patre* comite aut *Pædagogo*. Togam plane *virilem* ſumſerit oportet qui *domos Oratorum* frequentarit. Qui ergo XV. ætatis annum *cœperat* cum ſe *Domitio Afro* traderet imbuendum, fieri certe vix poteſt quin annum ætatis XVI. in ejuſdem diſciplina conſummaverit. Cum tamen *Adoleſcentulus* in ejus Schola perſeveraverit, proinde annum XVII. ætatis, cum obiret *Domitius*, nondum *expletum* fuiſſe veriſimillimum eſt. Itaque anni XLII. fine natum *Quintilianum* fuiſſe crediderim. Nec ſane *longe* me à *vero* ejus *Natali* aberrare puto.

Ceſſutianus Capito damnatus anno Ær. *Chr.* 57 *Adoleſcente Quintiliano.*

VI. Obſtat certe, ne multo ſerius differri potuerit, nota quoque aliæ Ætatis ſuæ à (*t*) *Quintiliano* ipſo memorata. *Egregie* (inquit) *nobis Adoleſcentibus, dixiſſe accuſator Coſſutiani Capitonis videbatur, Græce quidem, ſed in hunc ſenſum, Erubeſcit Cæſarem timere.* Bis quidem, fateor, è *Tacito* conſtat, periclitatum fuiſſe *Coſſutianum* illum *Capitonem*. Utrobique de lege *Cincia*, qua cautum *ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve acciperet*. Primo ſub (*u*) *Claudio*, anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XLVII. Tum deinde ſub (*x*) *Nerone*, anno ejuſdem Æræ LVII. Sed *poſteriorem* illam Accuſationem intellexit certe *Quintilianus*. Priori enim vice non erat *nominatim* delatus

(*f*) Dialog. c. 1, 2. (*t*) *Quint.* Inſt. L. VI. c. 1. p. 266. (*u*) *Tacit.* Ann. L. XI. c. 6. (*x*) Id. Ann. L. XIII. c. 33.

Coſſutianus. Sed cum id ageretur ut lege repetundarum tenerentur qui præmia accepiſſent Advocati, cauſam ſuam agi ſenſerunt *Coſſutianus* ille & *Suilius, nec judicium* (inquit *Tacitus*) *quippe in manifeſtos, ſed pœnam ſtatui videbant.* Inde *Cæſarem circumſiſtentes ante acta deprecati ſunt.* Nulla hic prorſus erat *delatio,* nullus *Accuſator*; ſed *pœnæ* duntaxat, etiam *nemine deferente,* metus. Atqui ſub *Nerone accuſatus* eſt is idem *Coſſutianus* à *Cilicibus,* quaſi *idem jus audaciæ apud illum in Provincia ratum eſſet, quod in Urbe exercuerat.* Hic *pervicaci accuſatione conflictatus, poſtremo defenſionem omiſit, ac lege repetundarum damnatus eſt.* Hic locum habuit *lingua* etiam, quam in *Coſſutiani Capitonis* accuſatore obſervaverat *Quintilianus* noſter, *Græca.* Erat enim ea *Cilicum.* Ita hic *annum* tenemus, qui in prædictam illam inciderit *Quintiliani Adoleſcentiam.* Id quoque tenemus, *poſt* annum XLIII. ne quidem naſci potuiſſe. Nec enim ita anno LVII. togæ *virilis* annos potuit impleviſſe, ut *togam* ſumeret. Imo *initio* anni LVII. *accuſationem* illam *Coſſutiani* fuiſſe veriſimillimum eſt, ſi quidem anni ſuperioris *fine* diſceſſerit è Provincia ipſe *Coſſutianus.* Sic enim ſolebant qui in longinquas miſſi eſſent Provincias, ut ſero in Provincias appellebant, (poſt *mare liberum,* menſemque *Martium* aut *Aprilem*, aut aliquando ſerius *Roma* profecti) ita *ſero,* nec prius quam ad *exitum* annus ſpectaret, *Romam* redire. A die enim *appulſus* in *Provinciam* numerandi erant anni quibus Provinciis præficiebantur, ut è *Ciceronis* Provincia conſtat *Cilicienſi,* multiſque ejus hoc de Argumento ſcriptis Epiſtolis. Sic, niſi anno XLIII. *ineunte* natus fuiſſet *Quintilianus*, non potuit anno LVII. itidem *togam* ſumſiſſe, quæ anno XV. *affecto* ſumi ſolebat, atque *Adoleſcentibus* accenſeri. Melius

omnia

omnia reſpondebunt, ſi anno XLII. *exeunte* natus fuerit, & tamen ante *menſem*, menſiſve *diem* quo *Domitius Afer*, poſt multos tamen inde annos, extinctus fuerit.

Auditus etiam à *Quintiliano Servilius Nonianus* eodem, quo *Domitius*, extinctus anno *Domini* LIX.

VII. Faciet præterea ad eandem temporis notam Orator alius, eodem quo *Domitius* anno, eodemque teſte *Tacito*, extinctus. *Servilium* illum appellat *Tacitus*, ſi tamen idem ille *Servilius* cum *Servilio Noniano* quem ab Oratoria celebrat, non noſter modo (*y*) *Fabius*, ſed Auctor etiam (*z*) Dialogi de *Oratoribus*. *Servilium* certe *Nonianum* à ſe *auditum* teſtatur ipſe *Quintilianus*. Et cum *auditum* agnoſcit, id ſimul, ni fallor, innuit, tum illum in *foro* celebrem fuiſſe, cum *ſtudiis* operam daret *Quintilianus*, nondum *ipſe foro* initiatus, adhuc nimirum *Diſcipulus*, nondum *Patronus*; adhuc eo Diſcipulatus *gradu*, ut *foro intereſſe* liceret, quod non *Pueris*, ſed *Adoleſcentulis*, conceſſum jam oſtendimus. Et de illo ſane loquitur *Servilio Noniano* Auctor Dialogi, quaſi nondum eſſet amplius in vivis VI. illo *Veſpaſiani* anno quo *Dialogus* fuiſſe ſupponitur. Sic etiam ut *Aufidio Baſſo* poſtponat, pro *temporis*, ni fallor, quo ſunt *extincti*, ordine. Hunc ipſum *Aufidium Baſſum* memorat (*a*) *Seneca*, jam *ſenio degravatum*, *quaſſum*, *ætati obluctantem*, *mortiſque in confinio* poſitum. Talem nimirum illum, ut poſt illam mentionem diu ſupereſſe non potuerit. Hæc anno, ut videtur, *proximo* ante incendium *Lugdunenſe* (*b*) *Seneca*. Sequitur enim *mentio veris*, alterius, ni fallor, *anni*. Tum *illo anno*, ſi *temporis* ordinem in *Epiſtolis* diſponendis obſervaverit, conflagratio illa ſequitur urbis (*c*) *Lugdunenſis*, quam anno coloniæ tribuit

(*y*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 462. (*z*) Dialog. c. 23. (*a*) *Senec.* Ep. 30. (*b*) *Senec.* Ep. 67. (*c*) *Senec.* Ep. 91.

centeſimo.

centeſimo. Deduxit *coloniam* illam *L. Munatius Plancus* anno urbis *Varroniano* 711. teſte *Dione.* Ita arſerit anno ejuſdem Epochæ 811. qui idem eſt Æræ noſtræ *Chriſtianæ* 58. Ita deceſſerit *Aufidius* anno Epochæ *Chriſtianæ* 57. Recte ante *Servilium Nonianum*, qui, pro *Taciti* rationibus, eodem anno obiit quo *Domitius*, *Chriſti* nimirum LIX. Ne dubitemus eundem eſſe *Servilium* illum *Nonianum* ab Auctore *Dialogi* memoratum cum *Taciti Servilio.*

Conveniunt notæ *Pueritiæ* ejus, qua quidem nobis apparent.

VIII. Conveniunt porro fines *Pueritiæ* ſuæ à *Quintiliano* ipſo deſignati, qua quidem nobis explorati ſunt. *Nobis* (*d*) (inquit) *Pueris inſignes pro Voluſeno Catulo Domitii Afri, Criſpi Paſſieni, Decimi Lælii, orationes ferebantur.* Nec ſane potuit *Criſpi Paſſieni* oratio aliqua in aliam aliquam, pro noſtris rationibus, *ætatem Quintiliani*, quam *Puerilem*, incidere. Erat enim *Criſpus* ille *Paſſienus* Orator *Agrippinæ* conjux, & *Neronis*, poſtea Imperatoris, proinde *vitricus*, fraude *Agrippinæ* conjugis occiſus. Nupſit *Agrippina Claudio* patruo anno Æræ *Chriſtianæ* XLIX. teſte (*e*) *Tacito*, ipſis Kalendis *Januariis*, ut nos docet (*f*) *Suetonius.* Imo anno ſuperiori XLVIII. de illo matrimonio actum diſcimus è *Tacito.* Nec enim antea quam ſui matrimonii *certa* eſſet *Agrippina*, illud etiam à *Claudio* impetravit ut filia *Claudii Octavia* jam antea *L. Silano* deſponſa *Neroni* ſuo uxor daretur. Inde *Silanus* à *Vitellio* Cenſore Prætura Senatuque motus, atque abdicare coactus, quam quidem abdicationem IV. Kalendas *Januarias* tribuit *Suetonius.* Hinc ſane conſtat jam illo anno XLVIII. *mortuum* fuiſſe *Paſſienum*, quem certe *Claudio* Im-

(*d*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 452. (*e*) *Tacit.* Ann. L. XII. c. 7. (*f*) *Suet.* Claud. c. 29.

perium

perium adepto mortuum, tam è *Seneca* diſcimus quam etiam è *Tacito* & *Suetonio*. *Paſſieni* de *Claudio* dictum à (*g*) *Seneca* in teſtimonium adducitur: *Malo divi Auguſti judicium, malo Claudii beneficium.* Hoc certe *ante Claudii Imperium*, quo penes *Claudium beneficia* erant, non potuit dicere *Paſſienus*. Scribit præterea ad illum de *exilio* ſuo Epigramma (*h*) *Seneca*, exul nimirum ipſe ſub *Claudio* opera *Meſſalinæ*. Dictum ejuſdem de *Caligula* refert etiam (*i*) *Tacitus*, *neque meliorem unquam ſervum, neque deteriorem dominum fuiſſe.* Hoc etiam certe extincto *Caligula*, atque Imperante *Claudio*. *Suetonii* verba ſunt in hanc ſententiam diſertiſſima. Sic enim ille de *Nerone*: *Verum* (*k*) *Claudio Imperium adepto, non ſolum paternas opes recuperavit, ſed & Criſpi Paſſieni vitrici ſui hereditate ditatus eſt.* Male ergo mors ejus ſub *Caligula* refertur in *Chronico Euſebiano*. Sed multa ſunt iſtiuſmodi in *Chronico* illo ab *Hieronymo* plerunque quoad res *Romanas* interpolato male diſpoſita. Illud tamen certum, ante *Claudii* Imperium, ne quidem potuiſſe *Paſſieno* nubere *Agrippinam*. Deceſſit maritus ejus prior *Domitius Neronis* Imperatoris pater (*l*) *Nerone* ipſo *trimulo*. Natus eſt *Nero Decemb.* XV. anni quo obiit *Tiberius*, Æræ *Chriſtianæ* XXXVII. Ita *Patrem* amiſerit anno ejuſdem Æræ XL. Tum à fratre *Cajo Agrippina*, *Jovem* ſe fingente, cum aliis ſororibus, vitiata eſt, tandemque relegata; nec antea, quam *Claudius* imperaret, reducta, boniſque reſtituta. Hoc ſane intervallo *nupſiſſe* illam incredibile eſt, ſeu cum à fratre ſtupraretur, (quod anno demum eodem quo mortuus fuerat maritus XL. factum conſtat è

(*g*) *Senec.* de Benef. L. I. c. 15. (*h*) Epigr. VI. ante conſ. ad *Helviam*. (*i*) *Tacit.* Ann. L. VI. c. 20. (*k*) *Suet.* Neron. c. 6. (*l*) *Suet.* Neron. ib.

(*m*) *Dione*,) ſeu cum ageret in *exilio*. Itaque inter annum XLI. & XLVIII. neceſſe eſt contigiſſe illud *Agrippinæ* cum *Paſſieno* matrimonium. Ita potuerit *Paſſienus*, *Quintiliano puero*, utramque habere conjugem, tam ſcilicet primo *Domitiam*, quam poſtea *Agrippinam*. Idque ſane fuiſſe videtur, *Quintiliano* ipſo teſte, veriſimillimum. Sic enim ille de *Junio Baſſo* : (*n*) *Nobis* (inquit) *pueris Junius Baſſus*, *homo imprimis dicax*, *Aſinus albus vocabatur*. Ita plane appellatus propter illam ipſam *dicacitatem*, ut oſtendit (*o*) *Turnebus*. Illius dicam in *Paſſieni Domitiam* recenſet, non multis interpoſitis, idem (*p*) *Quintilianus*. Ea ſi cauſa fuerit cur ita cognominaretur *Junius Baſſus*; ſic in *pueritiam Quintiliani* convenerit *Domitia* quoque illa *Paſſieni*. Certe cum primum inclareſceret illo *dicacitatis* nomine *Junius Baſſus*, tum *novum* nactus eſt *Aſini albi* cognomentum. Id quoque, *Quintiliano* ipſo, ut vidimus, teſte certum eſt, in ſuam *Pueritiam* incidiſſe *Junii Baſſi* illam, *ſcurrilitatis* nomine, claritatem. Id denique certum eſt, provectiori *Quintiliani* ætati convenire minime potuiſſe jocum illum in *Paſſieni* priorem uxorem *Domitiam*, cum ne quidem ultra *Pueritiam* illius pertigerit mors ipſa *Paſſieni*. Potuit ergo *Pueritia Quintiliani* antiquior eſſe dicta illa in *Domitiam*, non potuit eſſe ſerior. Sed nec multo eſſe potuit *antiquior*. Vixit enim *Baſſus* ille nupera, etiam cum *Inſtitutiones* illas ſcriberet *Quintilianus*, memoria. Certe poſt *Caſſium Severum* & *Domitium Afrum*, ne vetuſtiores fuiſſe ſuſpicemur quibus nupera illa memoria opponitur. Ita nec *multo* ante *Quintiliani Pueritiam*, pro noſtra Chronologia diſpoſitam, jocari illa potuit *Baſſus* in *Domitiam Paſ-*

(*m*) *Dio* L. LIX. (*n*) *Quint.* L. VI. Inſt. c. 3. p. 286. (*o*) *Turneb.* Adverſ. XXVIII. 35. (*p*) *Quint.* ib. p. 288.

ſieni.

ſieni. Imo ſatis illa omnia commode conciliari invicem poſſunt pro noſtris hypotheſibus. Erat enim *Quintilianus* anno Æræ *Chriſtianæ* XLVIII. quo *Paſſienum* obiiſſe ſuſpicamur, ad minimum *ſexennis.* Quo certe ſpatio uxorem utramque, tam *Domitiam* quam *Agrippinam*, habere potuit *Paſſienus.* Nec *diu* illum poſt nuptias *Agrippinæ* vixiſſe veriſimile eſt. Filium enim illa *Neronem* in ſpem Imperii, per fas & nefas, augendum cenſuit, quem etiam hereditate vitrici *Paſſieni* locupletatum teſtis eſt *Suetonius.* Heredem tamen ille non *Neronem* ſcripſerat, ſed ipſam *Agrippinam*, ſi tamen nos vera doceat vetus *Juvenalis* (*q*) Scholiaſtes. Itaque & propter *hereditatem* (quam illi *copioſam* fuiſſe exinde conſtat quod *funere* ſit elatus *publico*) illi nupſit *Agrippina*, in filium transferendam; & propter illam ipſam *hereditatem* illum viſa eſt è medio ſuſtuliſſe. Proinde prima quaque, ut videtur, ſceleris occaſione. Fieri poteſt ut *pacta* fuerit, cum *Paſſieno* nuberet, de Teſtamenti hereditate, pro eodem exemplo, quo *Claudio* nubens pacta eſt *Neroni* ſuo uxorem *Octaviam*; tum deinde illum ſuſtulerit ne *mutaret* Teſtamentum. *Moram* illa quam *breviſſimam*, ſi vera fuerint, exigebant; & ne *falſa* videantur ſuadent *mores* fœminæ ſceleratiſſimæ alioqui notiſſimi. Denique nec illud obſervatu indignum eſt quod ait: *Nobis pueris inſignes pro Voluſeno Catulo Orationes ferebantur.* Non ait *auditas* à ſe *puero* illas Orationes, cui, per *ætatem puerilem*, ne quidem patuit in *forum*, ubi habebantur, aditus. Ne quidem *lectas* à ſe *puero* fuiſſe innuit. Tantum ait, *ferebantur*, ut doceret, non quidem ſibi, aut coævis *Pueris* innotuiſſe, ſed *majoribus* rei Oratoriæ ſtudioſis. Plane *puritiam* deſignavit qualem noſtræ ferunt rationes, ita ab *Ora-*

(*q*) Schol. in Juv. Sat. IV. v. 81.

toribus in *foro* audiendis remotam, ut ne quidem *legendis* in *Schola* par fuerit Oratorum illuſtrium *Orationibus*.

Galbam Quintilianus in Provinciam *Hiſpaniam* comitatus eſt.

IX. Sed vero poſt *Domitium Afrum* & *Servilium Nonianum* alios ſuos Præceptores nullos memorat *Quintilianus*. Proinde merito eſt quod ſuſpicemur, non diu poſtea ab illo Scholas Rhetorum fuiſſe frequentatas. Et quidem illa *Adoleſcentiæ* ætate à ſtudiis *Rhetorices* ad *uſum* ſe conferre ſolebant *Adoleſcentes*, ab anno, ut vidimus, *ætatis* circiter XIX. *labente* ſcilicet, expleto autem XVIII. qui annus erat *cohibendo intra togam brachio* poſt *primam Adoleſcentiam* legitimus. Tunc enim *prima lanugo*, & *prima*, proprieque ita dicta, *virilitas*. Tunc *prima* illis à *Pueris*, quos *quatuor annis* præcedebant, reverentia, ut par *ſenectæ* fuerit aliquatenus, (*r*) *Juvenale* teſte, vel *prima* illa *lanugo*. Et quidem opportune accidit, ut ipſo illo ætatis *Quintiliani*, pro noſtris calculis, anno; *ſecundo* autem à morte *Domitii*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LXI. in *Hiſpaniam* mitteretur à *Nerone Galba*. *Octennio* enim Provinciam illam tenuiſſe, teſtes habemus diſertos (*ſ*) *Suetonium* & (*t*) *Plutarchum*. Rediit autem *Romam Galba* eo ipſo anno, quo *Nero* interfectus eſt, LXVIII. ſed *exeunte*. Ita *incipere* Octennium illud anno alio non potuit quam illo quem nos numeramus Æræ noſtræ receptæ LXI. Hoc ergo anno, cum in Provinciam *Hiſpaniam* proficiſceretur *Galba*, noſtrum etiam comitem accepit, ni fallor, *Quintilianum*. Scio nullum eſſe, qui id *diſerte* teſtetur, Hiſtoricum. Et tamen ita rem habuiſſe ſuſpicor. Erat enim certe *Galba Quintiliani* Patronus, ut exinde conſtat quod rever-

(*r*) *Juv.* Sat. XIII. v. 58, 59. (*ſ*) *Suet.* Galb. c. 9. (*t*) *Plutarch.* Galb.

ſus

ſus è Provincia *Quintilianum* ſecum *Romam* duxerit, teſte, ut videbimus, *Hieronymo*. Fuerat ergo in *Hiſpania*, cum *Galba* illi præeſſet, *Quintilianus*. Imo *Hiſpanum* illum, & quidem *Calagurritanum*, agnoſcit (*u*) *Auſonius*. Ea ratio eſſe potuit cur primam artis Oratoriæ profeſſionem facere vellet in *patria*, & libenter illam *Galbæ* in Provinciam ituri invitationem amplecteretur. Convenit præterea, uti dixi, *ætas Quintiliani* XIX. annorum, eadem nimirum illa qua & *L. Craſſus* olim, & hoc ipſo ſeculo *Plinius Quintiliani* diſcipulus Oratoriam auſpicatus eſt. Nec ſane aliud uſſum tempus habemus monimentis conſignatum quo in *Patriam* conceſſerit, aut quo illa geſſerit unde poſtea *Calagurritanus* fuerit appellandus. *Puer* certe atque *Adoleſcens Romæ* fuit, ut ex his ipſis conſtat *Inſtitutionibus*. Et cum *ſalarium* è *fiſco* acciperet, per (*x*) *viginti annos continuos Romæ* egit. Imo poſtquam ſeſe illo docendi munere publico abdicaſſet, adhuc *Romæ* hæſit. Ibi (*y*) *uxorem* perdidit; Ibi *filium* (quem deflet) utrumque. Ibi illum deprehendit (*z*) *Domitianus* cum nepotum ſtudiis illum præficeret. Ibi *Inſtitutiones* haſce continuo (*a*) *biennio*, & quod excurrebat, abſolvit. Ibi ſecundas nuptias inivit, & novam de ſecundis illis nuptiis *filiam* ſuſtulit, cui dotem auxit diſcipulus ejus (*b*) *Plinius*. Sic ille nullam ætatis partem in *Hiſpania* agere potuit ſi hanc, in qua verſamur, non egerit. Quid dico *Ipſe*? Imo ne *majores* quidem illius alibi, præterquam *Romæ*, legimus. Hic certe *Patrem* (*c*) ſuum ipſe memorat. Hic etiam *avum* ejus fortaſſe vidit audivitque *M. Annæus* (*d*) *Sene-*

(*u*) *Auſon.* in Prof. & *Hieronym.* in Chr. *Euſeb.* (*x*) Inſt. Procem. (*y*) Inſt. L. VI. Pr. (*z*) Inſt. L. IV. Pr. (*a*) Ep. ad *Tryphon.* Bibliopol. (*b*) *Plin.* L. VI. Ep. 32. (*c*) *Quint.* Inſt. L. IX. c. 3. p. 423. (*d*) *Senec.* Præf. ad L. V. Controv. & alibi.

ca Pater. Cur ergo *Calagurritanus* appellandus, ſi mora ejus in Urbe patria *Calagurritana* nulla fuerit inſignis? quæ tamen alia, quam hoc tempore, nulla inſignis eſſe potuit. Potuit, fateor, à *Patria* cognomen accipere, ut *nunquam* prorſus fuiſſet in *Patria*. Sed *fuit* certe; fuitque hoc *ipſo*, ut videtur, *tempore* quo *Galba* Provinciæ ejus patriæ præfectus eſt. Res ſane ejus in hoc Opere obiter memoratæ diu illum *Roma* abfuiſſe indicant. Res enim *Romæ* geſtas à prima *Pueritiæ* memoria repetit, & ab initio *Adoleſcentiæ*. Inde hiatus manifeſtus eſt. Nec enim *proximæ ætatis* res, hujus nimirum, quo illum abfuiſſe putamus, *Octennii* ullas unquam advocat. Cur igitur dubitemus, qui illum ex *Hiſpania Romam* reduxit, eundem *Roma* illum in *Hiſpaniam* arceſſiviſſe, amicum nempe ſtudiorum ejus Patronumque *Galbam*?

Docuit, exercuitque, ut videtur, in *Hiſpania*, ſub *Galba* Præſide, Artem ſuam *Oratoriam Quintilianus.*

X. Cæterum quo munere functus fuerit in Patria noſter *Fabius*, *Scholæ* an *fori*, Præceptoriſne an Advocati, id fateor eſſe mihi incompertum. *Togæ* tamen fuiſſe potius quam *Sagi* munus, exinde colligo quod è datis in hoc munere ſui experimentis, *Galba* illum *Romæ*, jam Imperator, *Scholæ* Oratoriæ *publicæ* præfecerit, & ſalario publico è *fiſco* ſolvendo inſtruxerit. Nec ſane *militaris* erat *Quintiliano* indoles. Nec ullum incumbebat militandi *munus* aut *neceſſitas*. Nec enim illi ſtirps erat *Senatoria*, & ne *Jus* quidem petendi honores *Senatorios*, ut *ſtipendia* ad *honores* illos neceſsaria implere teneretur. Hoc oſtendunt *profeſſio* ejus *publica*, & *ſalarium* è *fiſco*; & impares ejus honoribus *Senatoriis* facultates à *Plinio* obſervatæ; & *Conſularia* ejus tandem *ornamenta*, non ipſe *Conſulatus*, *honeſtamenta potius nominis*, *quam inſignia poteſtatis*, ut de

de eo obſervavit (*e*) *Auſonius*. Inde facile intelligimus nunquam ab eo *geſtum* fuiſſe *Conſulatum*, utpote *natalibus* debitum, ſed *ornamenta* duntaxat *Conſularia* à *Principe* impetrata, plane *Conſulatibus* poſteriorum temporum *Codicillaribus* affinia, ut & *munera* ei virorum *Conſularium* adminiſtrare liceret, & *veſtitu Conſularium laticlavio* uteretur, & *imaginem* ſuam *habitu Conſulari* ad poſteros tranſmitteret. Raræ autem admodum erant, his temporibus, militum conſcriptiones, *conſtitutis* jam perpetuis *præſidiorum limitumque* Legionibus. Itaque *inviti* admodum pauci, ſiqui fortaſſe ulli, ad militiam adigebantur. Nec *emeritum* habere ob oculos potuit cui ſpes erat auctioris, honeſtioriſque è *ſtudiis* ſuis lucri. Vigebant autem, non *Romæ* ſolum, verumetiam in *Provinciis*, ut *Juris* ſtudia, ſic etiam Artis *Oratoriæ*. Par enim erat *uſus* Oratoriæ & *neceſſitas* in Judiciis *Provincialibus* atque in *Urbanis*. Par etiam *Scholarum* neceſſitas Rhetoricarum ut *Juventus* artibus ad *forum* neceſſariis imbueretur. Imo ſtudia illa in *Provinciis* viguiſſe, in hac etiam ipſa Provincia *Hiſpania*, oſtendunt tot doctiſſimorum *Provincialium*, etiam *Hiſpanorum*, illis quoque temporibus, exempla, *Lucani*, *Senecarum*, *Martialis*, aliorumque, præter noſtrum, *Quintilianorum*. Imo utroque in loco, tam ſcilicet in *foro* quam etiam in *Schola*, hanc artem noſtrum factitaſſe veriſimillimum eſt. Erat, fateor, è veteribus *Iſocrates*, qui *docuit* quidem, non item *exercuit*, hanc artem *Oratoriam*. Sed *vocem* cauſabatur ille quo minus exerceret, non ſeparatum aliquod *docendi exercendique* munus. Erant præterea fortaſſe juniorum *Sophiſtarum* nonnulli umbraticis illis *declamandi*, non item veris *Orandi*, controverſiis inſignes. Erant etiam qui animi magis cauſa decla-

(*e*) *Auſon.* Paneg. ad *Gratian.*

marent

marent quam quod *Scholæ* quicquam aut *foro* præpararent. Hoc erat in numero *Juvenalis* teſte *vitæ* ejus Auctore *Anonymo*. Sed rari admodum erant, illis præſertim, quibus vixit *Quintilianus*, temporibus qui ſeparatam à *forenſi* uſu profiterentur *Oratoriam*. Habebant certe *diſcipulos* celeberrimi quique *Oratores*, etiam *Senatores*, etiam *Conſulares*. Habuit certe *Cicero*, habuit *Domitius Afer*, habuit *Paſſienus*, omnes Ordinis *ampliſſimi*. Et cum *Scholæ* præficeretur *Quintilianus*, non tamen proinde à *cauſis* abſtinuit in *foro* perorandis. Imo illo ipſo XX. annorum ſpatio, quo *Scholæ* præfuit, cauſas, quas *Romæ* egit, *publicas* egit omnes; nec antea *Scholam* abdicavit quam ſe à *foro* etiam excuſaſſet. Imo à vero *fori* uſu, tamque diutina tot annorum experientia, ipſe ſua (*f*) *Inſtitutionum* Oratoriarum præcepta arceſſit. Proinde innuit ſe fuiſſe interea in *forenſi* uſu verſatiſſimum. Sic itaque illum, dum in *Hiſpania* eſſet, feciſſe veriſimillimum eſt. Potuitque *Galba*, qui *foro* pariter atque *exercitui Hiſpanico* præſidebat, *fori* etiam deſignare *advocatos*. Sic habuit *Cæſar* in *Provincia* ſua *juriſconſultum Trebatium*, non minus *fori* legumque *Civilium* proprium, quam fuerint *Advocati*. Hæc certe ratio eſſe potuit cur *Galbam* ſecutus fuerit in *Provinciam*, præſertim *patriam*, *Quintilianus*. Spectabantque ad (*g*) *Cæſarem*, non autem ad *Populum Romanum*, Provinciæ *Hiſpanicæ* reliquæ, excepta *Bætica*, omnes. Certe illa (cui præfuit *Galba*, in qua erat *Quintiliani* patria, ad *Iberum* fluvium ſita *Calagurris*) *Tarraconenſis*. Inde factum ut tot annis *Galba* illam obtinuerit. Erant enim *Cæſaris* Provinciæ, pro *Cæſaris* placito, plane arbitrariæ. Præcipue poſt *Tiberium*, qui

(*f*) Inſtit. L. VI. c. 2. p. 276, 277. L. IX. c. 2. p. 407. (*g*) *Dio* L. LIII.

primus

primus morem illum cœperat, quo *pluribus annis* iiſdem *Præfectis* eædem *Provinciæ* credebantur. Rationem etiam, cur *Tiberius* ita fecerit, tradidit (*h*) *Joſephus*.

In *Hiſpaniam* profectus eſt *Quintilianus* ann. Ær. *Chr.* LXI. *ineunte*, *Romam* reverſus ann. ejuſdem Æræ LXVIII. *exeunte*.

XI. Itaque cum *Galbam* ſecutus videatur in Provinciam *Quintilianus*, eundemque rurſus è Provincia *redeuntem* comitatus *Romam* venerit; hinc ſane colligimus è *Galbæ* in Provinciam *proficiſcentis redeuntiſque* temporibus conſtituendum eſſe *diſceſſum* noſtri, *reditumque*, *Quintiliani*. Sed vero (*i*) *medio Neronis principatu* Provinciam illam *Galbæ* oblatam teſtis eſt *Suetonius*. Hinc facile colligimus anni potius LXI. *initio*, quam LX. *fine*, in *Provinciam* conceſſiſſe *Galbam*, & cum eo *Quintilianum*. Erat enim annus ille *Neronis* VII. cujus numerantur anni vulgo XIV, paucis nimirum anni XIV. deſideratis duntaxat *menſibus*. Et cœperat ille *Neronis* annus VII. ab anni ſuperioris LX. Idibus *Octobris*. Sic etiam VIII. in Provincia *Æſtiva* expleverit *Galba*. Tardum certe *Galbæ* iter *Romam* verſus, audita ſcilicet *Neronis* cæde, teſtatur fuiſſe (*k*) *Tacitus*. Inde fieri vix potuit ut *Romam* ante anni LXVIII. *finem* attigerit. Et tamen ante LXIX. *initium* attigiſſe neceſſe eſt. *Conſulatum* certe *Romæ* 2um iniit, principio nimirum anni LXIX. Et *Roma Vitellius* in Germaniam profectus eſt, teſte (*l*) *Suetonio*. Non certe antea à *Galba* inde miſſus quam *Romam Galba* ipſe appuliſſet. *Inferioris Germaniæ legiones* (poſtquam ceſſiſſet *Virginius Rufus*) *diutius ſine Conſulari* fuiſſe, docet (*m*) *Tacitus*. Inde, ni fallor, quod legatum *Galba* non antea mittendum cenſuiſſet quam *Romam* ipſe veniret, quod

(*h*) *Joſeph.* Ant. L. XVIII. c. 8. (*i*) *Suet.* Galb. c. 8. (*k*) *Tacit.* Hiſt. L. I. c. 6. (*l*) *Suet.* Vitell. c. 7. (*m*) *Tacit.* Hiſt. L. I. c. 9.

melior futurus esset ibi, quasi in re præsenti, delectus. Atqui in *Germaniam* venerat superioris anni Kalendis *Decembribus* (*n*) ipse *Vitellius*. Itaque *Novembri* saltem ineunte *Romam Galba* venerit oportet. Et cum eo noster proinde *Quintilianus*.

Inde arcessendi anni XX. quibus *Schola* Publicæ *Romæ* præfuit *Quintilianus*.

XII. Ait porro *Quintilianus* ipse se (*o*) *studia sua per viginti annos erudiendis juvenibus impendisse*. Anni illi ab hoc proculdubio, in quo versamur, anno Æræ *Christianæ* LXVIII. *exeunte* arcessendi erunt, desinentque adeo anno ejusdem Æræ receptæ LXXXVIII. ipso quoque similiter *exeunte*. Et quidem idem *Hieronymus*, quo teste *Galbam Quintiliano* comite *Romam* venisse didicimus, *Domitiano* etiam *Imperante* hæc habet verba non alio quam ad *vicennii* hujus finem omnino referenda: (*p*) *Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, qui primus Romæ publicam Scholam aperuit, & salarium è fisco accepit, claruit*. Male *Hieronymum* intelligunt qui illo demum *Domitiani* anno Scholam *Romæ* à *Quintiliano* apertam existimant. Non hoc voluit *Hieronymus*; non Auctor ejus quicunque demum fuerit, *Quintiliano* ipsi coævus. Scripsit enim certe (*q*) *Institutiones* quas habemus, ut è multis constat earundem locis, superstite adhuc *Domitiano*. Antea tamen quam manum illi Operi admoveret, jam *elapsos* supponit *viginti* illos annos quibus *juventutem erudierit*. Hinc certo constat *exordium* illorum annorum sub *Domitiano* non esse ponendum. *Finem* potius docendi designavit illis verbis Auctor *Hieronymi*. Respondetque numerus annorum ab illo, quod modo dixi, *exordio* ductus accuratissime.

(*n*) *Tacit.* Hist. L. I. c. 51. (*o*) *Quint.* Procem. Inst. (*p*) *Hieronym.* in Chr. *Eusebian.* (*q*) Inst. L. IV. Procem. L. X. c. 1. p. 461.

Septimis

Septimis enim *Domitiani COSS.* convenit annus *Domini* LXXXVIII. Sic tamen ut à *Septembris* die XIII. *Octavus Domitiani* à morte *Titi* fratris annus fuerit numerandus. Desinetque sane illa ipsa illius anni parte annus Scholæ XX. debitumque fuerit XX. ejus è publico *stipendium*, si ab anni LXVIII. *fine* inchoetur. Et quidem anno *Domitiani* VII. aut VIII. notam illam apponunt Editiones antiquissimæ pleræque, & Codices etiam antiquissimi. Utrorumque rationes, cur ita disposuerint, è nostris illis colligi poterant, quas dedimus, hypothesibus. Erant autem longe pauciores, erroriſque manifesti suspecti, quos observavit anno ejusdem V. assignasse *Pontacus.*

XIII. Ne autem temere hæc *Hieronymum* effudisse suspicemur, habuit certe ob oculos de *Quintiliano* Auctorem *Quintiliani* ævo proximum *Suetonium.* Imo illum ipsum *Suetonium* in *Chronico* testem sese advocasse, in rebus præsertim *Romanis*, quarum parcior fuerat *Eusebius*, in *Chronici Eusebiani* à se *Latine* traducti *Præfatione* ipse testatur *Hieronymus.* Scripsit enim sane *Suetonius* de *claris Rhetoribus* Librum, cujus hodieque Fragmentum habemus, admodum *mutilatum*, ut è *Catalogo* constat quem præfixum repræsentant Codices *MSS.* In illo aliorum quoque *Rhetorum* nomina legimus quorum *vitas* descripserit in illo Opere *Suetonius*, quæ tamen olim perierint. Et in illis *Marcum* etiam *Fabium Quintilianum.* Et quidem alios inde *Rhetoras*, qui tamen nulli comparent in Opere *Suetoniano* hodierno, excerpsit, & suo quemque loco, pro *temporis* ordine, disposuit *Hieronymus.* Cur itaque dubitemus quin & *Quintilianum* suum similiter inde transtulerit? *Nostrum* vero illum fuisse, de quo scripsit *Suetonius*, *Quintilianum*, non *Patrem*

Hæc *Hieronymus*, ut videtur, Auctore *Suetonio.*

ejus aut *Avum*, è temporis illa, in qua illum exhibet *Catalogus*, ſerie, facile colligimus. Præcedunt enim ibi *L. Statius Urſulus*, *P. Clodius Quirinalis*, *M. Antonius Liberalis*, *Sex. Julius Gabinianus* ; quos *Claudii*, & *Neronis*, & *Veſpaſiani* etiam, temporibus appoſuit *Hieronymus*. Solus illum ſequitur *Julius Tito*. Sed *Titonem* nullum, opinor, legimus in *cognominibus Romanis* ; ſæpius *Tironem*. Eſtque fortaſſe *Julius* ille *Tiro* cujus *codicillos* memorat ſub *Trajano* (r) *Plinius*. Hoc ſi verum, *Julius* ille *Tiro* jam *nuper*, cum ſcriberet *Plinius*, defunctus, *Quintiliani* in Schola *Rhetorica*, ſucceſſor eſſe potuit. Sic alius à noſtro *Quintiliano* eſſe non potuit, qui fuerit loco illi, pro *temporis* ordine, quem ſecutus eſt in *vitis* illis diſponendis *Suetonius*, inſerendus. Sed deſunt, fateor, notæ illæ *temporum* in *Suetonio* hodierno, etiam in *vitis* illis quas cum *Suetonio* hodierno communes habuit *Hieronymus*. Nullum in illo legimus *Imperatoris annum* quo ipſi illi qui ſuperſunt hodieque *Rhetores* floruerint. Inde ſuſpicio eſt *pleniorem* fuiſſe in *vitis* illis *Suetonium* quem adhibuit *Hieronymus*, quam ſit ille quem hodie habemus. Sed ut *temere* illos certis *Imperatorum annis* aſſignarit *Hieronymus*, ut multa alia ab *Eutropio* accepta annis ille aſſignavit quorum tamen annos certos nullos deſignaverat *Eutropius* ; hic certe ratio nulla eſt cur *Scholæ Quintilianeæ* initium ſeu prætermiſerit *Suetonius*, ſeu *temere* adeo, nec ullo præeunte Auctore, deſignarit *Hieronymus*. Erat enim *Epocha* illa conſtitutæ *Scholæ Publicæ* inſignis admodum, & *Galbæ* proculdubio *Reſcripto* munita, non magis à *Suetonio* prætermittendo quam fuerit *Senatuſconſultum* de *Rhetoribus* olim ab Urbe *pellendis*, cujus tamen *verba* cenſuit conſervanda (*ſ*) *Suetonius*. In *Gal-*

(r) *Plin.* L. VI. Ep. 31. (*ſ*) *Suet.* de clar. Rhet. c. 1.

bæ

hæ autem *Reſcripto COSS.* fuiſſe veriſimillimum eſt, & *menſem* menſiſque *diem*, & *ſalarium* è *fiſco* ſolvendum. Ita nihil deerat quo *cœpti* ſtipendii *tempus* fieret exploratiſſimum. Inde initium erat Profeſſorum publicorum ſibi invicem contendentium in Arte *Rhetorica.* Inde ad alias quoque diſciplinas *liberales* majores fuit exemplum. Erant enim poſtea *Grammaticæ*, *Medicinæ*, *Philoſophiæ*, &c. Profeſſores *publici publicis* è *fiſco* ſalariis alendi. Inde annus erat certus quo *claruiſſe* dici poſſent *Rhetores.* Is ipſe nimirum quo ad profeſſionem illam publicam fuiſſent admiſſi. Per *annos* etiam *Imperatorum* deſignandus erat à quibus erant ſalarium accepturi. Ita initium *Quintiliani* conſignare *Suetonium* oportebat tot nominibus inſigne. Et *finem* quoque Profeſſionis non debuit certe tacere *Suetonius*, ipſum etiam multis nominibus inſignem. Imprimis, quod nec pulſus, nec morte ſublatus, ſed *honeſta* plane *miſſione* à Principe impetrata, Scholam abdicarit. Tum deinde quod poſt *vigeſimum* hoc fecerit *ſtipendium.* Utrumque pro exemplo diſciplinæ militaris qua *miſſiones* erant, poſt certum *ſtipendiorum* numerum, ab Imperatoribus impetrandæ. Et ſane officia illa *Palatina* omnia, tam *inermia* nimirum illa quam etiam armata, pro *militiis* habebantur, & *diſciplinæ* proinde *militari* erant obnoxia. Etiam in *legem* tranſiit primum hoc *Quintiliani*, poſt *ſtipendium vigeſimum*, miſſione honeſta donati exemplum. Sic enim poſtea in *Roma nova*, Urbe nimirum *Conſtantinopolitana*, ſenioris *Romæ* plerunque ad exempla formatæ, *legitima* illa conſtituebantur Profeſſionum publicarum *ſtipendia. Grammaticos* (inquiunt (*t*) Principes) *tam Græcos quam Latinos*, *Sophiſtas*, *& Juriſperitos in hac*

(*t*) Cod. L. XII. tit. 15.

Regia Urbe Profeſſionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos numeratos &c. *cum ad viginti annos obſervatione jugi ac ſedulo docendi labore pervenerint; placuit honorari & his qui ſunt ex vicaria dignitate connumerari.* Sic illi præcipiunt anno Æræ noſtræ CDXXV. cum jam olim inoleviſſet mos *veteranos* etiam *milites*, emerito honeſtaque miſſione, poſt *vigeſima ſtipendia* decorandi. Hoc certe conſtituerat (*u*) *Caracalla* anno ejuſdem Æræ CCXIV. Imo jam olim, ante *Caracallam*, legionibus in *Germania* tumultuantibus hoc idem conceſſerat (*x*) *Tiberius*. Scio aliter fuiſſe ſub *Auguſto*. Hoc tamen *Tiberii* exemplum alios deinde Principes, ſub quibus floruit *Quintilianus*, imitatos fuiſſe veriſimile eſt, non pariter ac fuerit *Tiberius*, avaros. Hoc ergo *militum* exemplo *miſſionem honeſtam* impetravit, poſt *vigeſima ſtipendia*, *Quintilianus*. Exemplo *Quintiliani* impetravere alii, *poſt Quintilianum*, deinde *Rhetores*. Ita nec *initium Quintiliani* in Schola publica, nec *finem*, ſilere debuit *Suetonius*. Nec potuit, *Suetonio* hic præeunte, errare *Hieronymus*. Denique nec illud obſervatu indignum eſt, ut anno certo, ita *medio Domitiani* Imperio, hæc attribuere *Hieronymum*; non autem ad *primum* ejus annum *ultimumve* referre, quo *temporis incerti* geſta, nec *certo* etiam Auctorum *teſtimonio* nitentia, plerunque referre ſolet.

Docuit certe Quintilianus multis ſub Domitiano annis, abdicavitque multis annis ante ejuſdem finem.

XIV. Verbum certe illud *Euſebiani* Chronici *CLARUIT*, cum *certo anno* affigitur, ad rem *geſtam* aliquam inſignem, quæ quaſi *vitæ* quædam *Epocha* habenda fuerit, referendum eſt. Nec eſt ſane alia *vitæ hujus*, in qua verſamur, *Epocha* quæ huic anno aptius reſpondeat, quam hæc ipſa *abdicatæ* à *Quintiliano* Scholæ *Rhetoricæ*.

(*u*) Cod. L. V. tit. 65. (*x*) *Tacit.* Ann. I. c. 36.

Jam

Jam plane oſtendimus, *Domitiano* Imperante, *finem* fuiſſe illius, quo *Scholæ* præfuit, *vicennii*. Quod tamen ita intelligendum eſt ut nec in *finem* Imperii illius nec in *exordium*, Scholæ finis inciderit. Multis deinde annis *Domitianum* imperaſſe vel è *notis* illis colligitur quæ in his ipſis *Quintiliani Inſtitutionibus* apparent, uti mox videbimus. Poſtea ſcripſit noſter *de cauſis corruptæ Eloquentiæ*, exuto nimirum docendi munere ſeſe ad ſcribendum accingens. Tum *filio minore* orbatus eſt, à cujus morte ad *fratris majoris* exceſſum pluſquam *triennii* ſpatium interceſſit. Hæc *Quintilianus* Libro VI. exeunte anno *Operis* primo. Paulo antea quam IV. Librum ſcriberet, *ſororis nepotum* ſtudiis à *Domitiano* præfectus eſt. Etiam poſtea *Domitianum* laudat à ſtudio *Poeticés* L. X. florentem ſcilicet vigentemque. Hæc ille ſuſcepti *Operis* anno ſecundo ab exuto Scholæ officio quarto vel quinto potius *ineunte*. Nondum tamen vel *Philoſophos* urbe prohibuerat *Domitianus*. Quæ ſane docent, anno ante pulſos *Philoſophos* ad minimum quinto, abdicaſſe *Quintilianum*; totidemq; adeo annis ante annum *Domini* XCIV. cui conveniebat *exilium* illud, pro noſtris (*y*) rationibus. Hæc ſane multis ante *Domitiani finem* annis *abdicatam* à *Quintiliano* Scholam oſtendunt. *Initio* tamen *Imperii* illius *nondum* abdicaverat. Hoc certe docet *Martialis*, cujus illa ſunt ad *Quintilianum* verba (*z*)

Quintiliane, vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Cum *moderatorem juventæ* eum appellat, *Scholæ Rhetoricæ* præfectum illum fuiſſe ſupponit, cujus diſcipulos *juvenes* fuiſſe jam probavimus. Cum *togæ*

(*y*) Ann. *Plinian.* (*z*) *Mart.* L. II. Ep. 90.

illum

illum *Romanæ gloriam* agnoſcit, ſimul in *foro* gloriam ejus oſtendit, in quo *togati* cauſas agebant *Oratores*, qui tamen uno eodemque tempore utrumque tam *docendi* quam etiam *orandi* munus abdicavit, uti vidimus ; ſimul etiam *claritatem* ejuſdem innuit, quam huic tamen, quo *Scholæ* præfuit, tempori tribuit *Hieronymus*. Et ſane illum jam illo ipſo tempore *Scholæ moderatorem*, & *togæ Romanæ gloriam* fuiſſe ſupponit quo hæc ſcribebat ipſe *Martialis*, quod ſane fecit Imperante *Domitiano*. Bis enim illum compellat hoc eodem *Epigrammatum* Libro Ep. 2°. & 91°. Ita ſcilicet, ut eum priori loco *Germanici* titulo ornatum doceat, & *laurea* de victis *Cattis*. *Germanicum Domitianum COS.* VII. ipſo nimirum cujus Idib. *Septembribus* deceſſerat frater *Titus*, anni fine appellant numi. Imo *omnes ſuos libellos*, *quibus Domitianus famam*, *id eſt*, *vitam dederat*, *Domitiano* proinde *ſupplicaſſe* agnoſcit ipſe (*a*) *Martialis*. Inde illud ſaltem colligimus, *edendorum* ſaltem Epigrammatum conſilium nullum fuiſſe ante Imperium *Domitiani*. Ita ante anni LXXXII. *finem* librum illum edere non potuit *Martialis*. Potuit *poſtea*, cum *Epigrammata* jam olim ſcripta in Libros poſtea edendos collegerit *Martialis*, quod multis oſtendi poſſet, ſi opus eſſet, exemplis. Inde fateor eſſe difficillimum Epigrammatum *ſingulorum* tempora è *Libri*, in quo continentur, *editi* tempore colligere. Rara tamen apud *Martialem* Epigrammata occurrunt *Domitiani* hiſce, in quibus jam verſamur, temporibus antiquiora. Scripſit ille pauca ſub *Tito*. Sunt etiam aliqua in Libro de *Spectaculis* Seculi fortaſſe *Neroniani*, quæ proinde Eruditi (*b*) ſuſpecta habent, ne ſint fortaſſe *Martialis*. Non tamen obſtat, ut exiſtimant, illius *Ætas*, cum egerit *Martialis*, quo anno *Nero* in-

(*a*) Præf. L. VIII. Epigr. (*b*) P. *Scriverius*.

terfectus

terfectus eſt, annum *Ætatis*, pro noſtris raticnibus, ad minimum XXVI. *Puerum* enim ſe *Juvenemque* nonnulla ſcripſiſſe teſtatur ipſe (*c*) *Martialis*. Sed quæ haud equidem ipſe jam noſſet, quæque à *Quinto Pollio Valeriano* petenda Lectorem monet. Inde facile colligimus locum illis nullum fuiſſe in hac *Epigrammatum*, quæ exſtat hodierna collectione. Id potius obſtat fortaſſe quod ea fere omnia quorum *tempus exploratum* habemus intra *Domitiani* Imperium contineantur; & *rara* admodum, ſiqua fortaſſe ulla, *antiquiora* ſint. Inde enim colligitur, *Tito* vel *Domitiano* Imperante, animum ad ſcribendum applicuiſſe *Martialem*. Nec enim *animi* gratia ſcripſit ille, ſed *Patronorum*; cum ſcilicet ſpes *lucri* ab illis ſtudiis appareret, quæ erat certe ſub his tandem Principibus ampliſſima. Erat enim *Titus* ipſe *Latine Græceque, vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promtus, & facilis ad extemporalitatem uſque*, teſte (*d*) *Suetonio*. Et *Domitianum* ab iiſdem ſtudiis commendant, non (*e*) *Suetonius* modo, ſed (*f*) *Plinius* major, ſed (*g*) *Quintilianus* noſter, ſed (*h*) *Tacitus*, ſed (*i*) *Silius Italicus*, (*k*) *Valerius Flaccus*, atque etiam ipſe (*l*) *Martialis*. Idque teſtatum faciunt tot ab eo inſtituti *Ludi* in honorem *Jovis Capitolini*, & ſuæ item *Minervæ*, ingeniorum præſertim certaminibus illuſtrandi. Fecit itaque ſpes illa *Poetam Martialem*, quæ *& corvos Poetas* fecit & *Poetrias picas, magiſter artis ingeniique largitor venter*. Hoc certe primum tempore collegit Epigrammata, ediditque, *Martialis*. Hoc exinde conſtat quod *Domitiano* tot Epigrammata, etiam in *primis* Libris, in-

(*c*) *Mart.* L. I. Ep. 113. (*d*) *Suet.* Tit. c. 3. (*e*) *Suet.* Dom. c 2. 20. (*f*) *Plin.* Præf. Nat. Hiſt. (*g*) *Quint.* Inſt. L. X. c. 1. p. 461. (*h*) *Tacit.* Hiſt. IV. 86. (*i*) *Sil. Ital.* Bell. Punic. L. III. (*k*) *Valer. Flacc.* Arg. L. I. (*l*) *Mart.* L. VIII. Ep. 82.

ſcripſerit. Et tamen *primis Domitiani annis* illa conveniebant. Sic quidem ut non longe abeſſe potuerint ab illo ipſo anno Æræ noſtræ LXXXVIII. quo *Scholam Quintilianus* abdicavit. Jam *ante* alibi (*m*) oſtendimus cum IV. *Statianarum Sylvarum* Libro concurriſſe Librum *Martialis* IX. Cum anno nimirum Æræ noſtræ XCV. quo *Conſulatum* XVII. inivit *Domitianus*. Illo autem Libro, Epigr. 86. ita ad *Norbanum* ſcribit *Martialis*:

Omne tibi noſtrum quod bis trieteride juncta
Ante dabat Lector, nunc dabit Auctor, opus.

Numerat nimirum *ſex annos* ab eo uſque tempore quo Libros ſuos *miſerat* ad *Norbanum*, pro more illorum temporum, à *ſervo* aliquo vel *liberto Anagnoſta*, ſeu *lectore*, poſt cibum legendos. *Tempus* autem illud ita deſignat:

Cum tua Sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro Domino Cæſare ſancta fides.

Intelligit, ni fallor, defectionem *Antonii Saturnini* oppreſſi à *Maximo* illo *Norbano*. Addit & notam *temporis* aliam:

Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.

Sed legendum, ut puto, pro *raptum* potius *jam tum*, quam quod alii illius loco reponunt Viri ſane Eruditiſſimi. Intelligit ergo *tempus* illud, non quo primam Epigrammatibus *colligendis edendiſque*, nedum *ſcribendis* manum admoverit; ſed quo ex editis adeo jam *inclaruerat*, ut non *Romæ* duntaxat, ſed

(*m*) Præl. IV. ad *Sp.* Adr. §. 3.

caſtris

caſtris etiam *Germanicis*, nomen ejus jam eſſet celeberrimum. Ambæ autem illæ *notæ* in *Quarti Quintive Libri* editionem conveniunt, vel etiam fortaſſe *Tertii*. *Quarti* enim certe Libri Epigr. 11. in illum ipſum *Antonium* invehitur. Utque hoc in loco *Arcti*, ſic ibi *Urſæ* & *Rheni* nomine, cujus *aquas* proinde appellat *Arctoas*, locum Belli deſignat. Cum autem Libri V. Epigr. 13. adeo non eſſet in *Arcto* ignotus *Martialis*, ut jam *toto orbe frequens legeretur*; inde colligimus poſt *primorum* librorum vel *trium* vel *duorum* editionem illa fuiſſe *Norbani* in *Antonium* geſta. Scripſit enim in eundem *Antonium* L. III. Ep. 66. Ea tamen, ſi conſulatum *Domitiani* XVII. *ſexennio* integro præceſſerint, anno ad minimum *Domini* LXXXIX. geſta fuerint neceſſe eſt. Proinde L. II. Ep. 90. in quo de *Quintiliano* agitur, certe ante anni LXXXVIII. finem ſcripſerit edideritque. Si quidem ſingulis annis ſingulos ediderit Libros, ita anno LXXXVII. Liber ille ſecundus conveniet. Et ſane *rarum* fuiſſe ſi *anno* integro Librum non emitteret, alibi (*n*) *Martialis* ipſe nos docet. Ita inter initium *Domitiani*, cum animum ſerio rei *Poeticæ* daret *Martialis*, annumque *Domini* LXXXVII. de *Quintiliano* illa ſcripſerit *Martialis*. Præerat itaque hoc tempore Scholæ *Quintilianus*: & quidem maxima peritiæ, in arte Oratoria, fama.

Docuit etiam ſub *Tito*, & ſub *finem* ſaltem *Veſpaſiani*.

XV. Sed vero etiam *ante Domitiani* Imperium è *Plinii* noſtri temporibus, certum eſt docuiſſe *Quintilianum*. Frequentabat ille *Quintilianum*, (*o*) Præceptoremque illum agnoſcit, & quidem cum eadem *Plinius* ætate eſſet, qua *Quintilianum* ipſum fuiſſe probavimus cum ipſe *Domitium Afrum* frequentaret, (*p*) *Ado-*

(*n*) *Martial.* L. X. Ep. 70. (*o*) *Plin.* L. II. Ep. 14. (*p*) *Plin.* L. VI. Ep. 6.

leſcentuli. Hac enim ipſa *voce* uſus eſt in hac eadem cauſa ipſe *Plinius*. Certum eſt hanc *Plinii Adoleſcentuli* ætatem *minorem* fuiſſe anno ejuſdem XIX. quo *primam cauſam* egit in *foro*, perfunctus nimirum Scholæ *Rhetoricæ* diſciplina. Etiam anno, quo periit avunculus, *Domini* nimirum LXXIX. 2°. *Titi*, *Auguſt.* XXIV. non *Romæ* erat, ſed *Miſeni*, ubi *claſſem* curabat avunculus. Ibi nullæ *Rhetorum* Scholæ, aut *forum* etiam in quo *Oratores* eſſent audiendi. Inde colligimus, ut alii annos illos, quos primæ illi *Adoleſcentuli* ætati aſſignavimus, in diſciplina *Scholæ forique* exceſſiſſent, vix tamen fieri poſſe ut *Plinius* exceſſerit. Atqui anni illi *Adoleſcentiæ Plinianæ* ab anno LXXV. & poſt diem menſis *Auguſti* XXIV. incipiunt, & ad annum LXXVIII. ſaltem *exeuntem* pertingunt. Hoc ergo intervallo in *Scholæ* illa Præfectura neceſſe eſt fuiſſe *Quintilianum*. Loquitur etiam de *Quintiliani* (*q*) Schola pariter atque mercede (*r*) *Juvenalis*. Sic tamen ille in *Satyræ* illa (*ſ*) *farragine* tempora confundit, dum à primis *Cæſarum* initiis ad *ſua* uſque *tempora* vitia perſtringat, ut *temporis* quo res geſtæ fuerint notam nullam ex eo liceat elicere.

Cum *docendi* munere munus etiam *orandi* depoſuit, *miſſus* à *Domitiano honeſte* poſt XX. ejus in munere *ſtipendium.*

XVI. Cæterum cum *Schola* uſum præterea *Artis* ſuæ in *foro* abdicavit etiam *Quintilianus*. Hoc nos docet ipſe illis verbis: (*t*) *Nos quando & præcipiendi munus etiam pridem deprecati ſumus, & in foro quoque dicendi, quia honeſtiſſimum finem putabamus, deſinere dum deſideraremur; inquirendo ſcribendoque talia, conſolemur otium noſtrum, quæ futura uſui bonæ mentis juvenibus arbitremur, nobis certe ſunt vo-*

(*q*) *Juv.* Sat. VI. v. 279. (*r*) *Juv.* Sat. VII. v. 186, 187. (*ſ*) *Juv.* Sat. I. v. 86. (*t*) *Quint.* L. II. Inſt. c. 12. fin. p. 86.

luptati.

luptati. Hinc ſane conſtat utrumque munus illum, non niſi *Principis*, à quo *ſalarium* acceperat, venia impetrata, depoſuiſſe. Diſcimus etiam, cur depoſuerit, *rationem.* Quod ſcilicet *honeſtiſſimum* muneris *finem* illum putaret, *deſinere dum deſideraretur.* Habuit nimirum ob oculos ſui olim Præceptoris exemplum *Domitii Afri*, cui vitio datum obſervaverat, quod *deficere* (*u*) mallet quam *deſinere.* Quod ſcilicet deficientis præ *ſenio* ingenii rationem nullam habuiſſet. Hinc ille occaſionem aucupatus eſt, ſalva jam & matura fama, otium petendi. Annum tunc agebat, pro rationibus noſtris, *Ætatis* duntaxat XLVI. XLVII. fortaſſe in anni, quo deſiit XX. ejus ſtipendium, fine jam inchoato. Ut proinde *Principis* fortaſſe potius, ſub quo cauſas fuerit acturus, quam *Ætatis*, rationem habuerit. *Inquietam* certe *anxiamque* Oratorum *vitam, licet illos certamina & pericula ſua ad Conſulatus evexiſſent*, cauſatur (*x*) *Maternus*, cur ſe ab *Oratoria* ad *Poeticen* receperit, qui ſub mitiore vixit oravitque Principe quam fuerit *Domitianus.* Potuit tamen noſter vel *Ætatis* cauſam, pro illorum, quibus vixit, temporum opinionibus, obtendere ſatis veriſimilem. Finis enim *Militiæ* veteris, pro cenſu *Servii Tullii*, in anno erat *Ætatis* XLV. Et *gregariæ Militiæ* finem, in anno ſaltem L. pro *declamantium* Legibus agnoſcit ipſe (*y*) *Quintilianus.* Ita nimirum, ſiquis tirocinium paulo *ſerius* inchoaſſet, ut ſcilicet *ſtipendiorum* numerus legitimus ante illum Ætatis annum exire non potuerit. Aliter miſſionem honeſtam dabant, etiam *ante* annum *Ætatis* vel XLV. *expleta ſtipendia.* Ita diſputat *Spurius Liguſtinus* inſigni ejus illa apud (*z*) *Livium* Ora-

(*u*) *Quint.* Inſt. L. XII. c. 11. p. 576. (*x*) ap. Dialog. de Orator. c. 13. (*y*) *Quint.* Inſt. L. IX. c. 2. p. 409. (*z*) *Liv.* L. XLII. c. 34.

tione : *viginti duo ſtipendia annua in exercitu emerita* (inquit) *habeo, & major annis ſum quinquaginta.* Utroque ſe nomine à militia excuſandum oſtendit, tam quod *ſtipendia* legitima, quam quod *ætatem* militiæ legitimam, ſuperaverat. *Stipendiorum* autem *numerum*, etiam in *gregali militia*, vix *majorem* legimus eo quem in illo *docendi orandique* munere exegerit *Quintilianus*. Nec abſurde *ſtipendiorum numerum* inde arceſſitum jam oſtendimus, unde primum fluxit *ſtipendiorum exemplum*, à re nempe *Militari*. Ita ſuppetebant *Quintiliano*, pro noſtris rationibus, *Ætas*, juſtique ſatis, in ſpeciem, *colores*, ad petendam muneris vacationem.

Cauſa *Nævii Apruniani* ab eo acta anno fortaſſe LXX. jam adhuc certe *juvene*.

XVII. His ergo limitibus concludi neceſſe eſt *Quintiliani* omnes, quas in *foro* habuit, *Orationes*. Illam imprimis, quam etiam emiſit ipſe ſolam, de cauſa (*a*) *Nævii Apruniani*, in qua quæſitum dicit, *præcipitatane eſſet ab eo uxor, an ſe ipſa ſua ſponte jeciſſet.* Coram *Prætore* de *Paricidio* cauſam illam actam vix eſt quod dubitemus. Quis ille fuerit *Nævius Aprunianus* me fateor ignorare. Facile tamen inducor ut credam ſub initium *Veſpaſiani* cauſam illam egiſſe *Quintilianum*. Se enim fatetur *juvenili cupiditate gloriæ cauſam illam emiſiſſe*. Proinde *juvenis* fuerit oportet cum emitteret. Minor certe anno *ætatis* XXXV. qui ſupremus erat *Juventutis* limes, concurrebatque cum anno Æræ *Chriſtianæ* LXXVII. pro noſtris ſaltem hypotheſibus. Poſt finem rurſus anni LXVIII. quo *Quintiliani* reditum diſpoſuimus. Vix porro anno LXIX. tumultuoſiſſimo nec *cauſis* agendis, nedum in *lucem* dandis, conſentaneo. Proinde ſub *initium*, ut videtur *Veſpaſiani*, ſedataque Republica, anno fortaſſe LXX. vel paulo poſtea, cum celebritatem nominis

(*a*) *Quint.* L. II. Inſt.

de

de Arte Oratoria eſset in *foro* conſecutus. Tum enim maxime *juvenili* illa *gloriæ cupiditate* illum arſiſse veriſimile eſt. *Cæteras* dicit, quæ *ſub nomine* ejus *ferebantur*, *Actisnes negligentia excipientium in quæſtum Notariorum corruptas minimam ſui partem habuiſſe*. Nempe in uſum *Adoleſcentum*, quos *foro* interfuiſse jam oſtendimus, illas exceperant *Notarii*, nec aliunde *quæſtus* illius ſpes quam ab illis *Adoleſcentibus*.

Pro Regina *Beronice* apud ipſam egit anno LXXVI. fortaſſe, vel ſequenti.

XVIII. His etiam iiſdem limitibus (*b*) *pro Regina Beronice* egit *apud eam ipſam*. Sic enim ipſe de hac cauſa loquitur. Ipſum *Romæ* vel Scholæ munus ab eo ſuſceptum detinuit. Ut proinde nec alibi, præterquam *Romæ*, Regina *Beronice* eſse potuerit. Venit illa *Romam* cum *Agrippa* fratre poſt VI. *Veſpaſiani Titique* IV. *Conſulatum*, ut nos docent Fragmenta *Dionis Xiphiliniana*. Erant illi in *Conſulatibus illis* collegæ anno Æræ noſtræ LXXV. Ibi aliquantiſper cum *Tito* in Palatio verſata eſt, ea nimirum ſpe fore ut *Tito* nuberet. *Uxorem* certe illam *Titi* appellat *Victor Epitomator*. Et cum *Populo Romano* ingratum id ſenſiſset *Titus*, *Dio* etiam dicit illam fuiſse à (*c*) *Tito* repudiatam, *uxorem* nimirum, ſi non poſset ab eo, niſi per *repudium*, ſeparari. Sed *nuptias* tantummodo *promiſſas* agnoſcit (*d*) *Suetonius*. Urbe tamen ſeu repudiatam, ſeu rejectam, diſceſſiſse innuit *Dio*, dum *Romam* dicit ſub initium *Titi* eam fuiſse *reverſam*. Sic tamen ut *Titi* in eam jam reverſam laudet continentiam. Imo rurſus illam diſcedere coegit. Sunt enim illa verba (*e*) *Suetonii*: *ſtatim* (inquit) *ab urbe diviſit invitus invitam*. Vox illa *ſtatim* tam ad *initium Titi*, quam ad *reditum* illum *Beronices* refe-

(*b*) *Quint.* L. IV Inſt. c. 1. p. 165. (*c*) *Dio* L. LXVI. (*d*) *Suet.* Tit. c. 7. (*e*) *Suet.* ib.

renda

renda eſt, ne *parvam* ejus in ſecundo hoc adventu *moram* fuiſse dubitemus. Certe de *initio Imperii* intelligenda eſse confirmat *Victor Epitomator.* Sic enim ille : *Denique, ut ſubiit pondus Regium, Berenicen nuptias ſuas ſperantem regredi domum præcepit.* Hæc *Titus* anno quo Patri ſucceſſit Æræ noſtræ LXXIX. Sic inter annum LXXV. & LXXIX. *Orationem* illam oportet habuiſse *Quintilianum.* Sic item ut anno LXXIX. habere non potuerit propter *brevem* illius in Urbe *moram.* Sed nec anno LXXV. quo *primo* in *Urbem* appulit, ſi tamen vere illo *Conſulatu*, & non poſtea potius, appulerit. Omiſit enim deinceps *Xiphilinus Conſulatus* ad finem *Veſpaſiani.* Serior enim erat illius in urbem adventus quam ut eo anno lites ab ea ſuſceptas fuiſse veriſimile ſit. Omnino ad *tempus* illud noſtri illa ſpectabat Oratio quo *Berenice* ita apud *Titum*, ac ſi ejus fuiſset *uxor*, omnia gerebat. Sic enim *Dio.* Proinde antea illam dixit quam *prima* vice Regina à *Tito* repudiaretur. Ita anno vel LXXVI. vel LXXVII. vel LXXVIII. Imo certe ſi in *Palæſtinam* diſceſſerit, anno LXXVI. vel ſequenti. Nec enim alioqui temporis *ſpatium* illi fuiſſet in Urbem *Titi initio* revertendi. Nec *diu* illam tuliſse videtur *Titus* cum illam Populo ſenſiſſet ingratam. Nec *diu* etiam diſtulit fortaſse *Populus* ſententiæ ſuæ ſignificationem, toties nimirum in *theatro*, ubi licentiſſime omnia, etiam *Principe* præſente, agebat. Hinc etiam *annorum* quibus in *foro* egit & in *Schola* noſter, *notas* habemus cum noſtris illis, quas modo dedimus, rationibus conſentientiſſimas.

Inſtitutiones ſcripſit noſter poſt aliquot *annos* à *munere abdicato.*

XIX. Progredior jam ad *tempus* quo haſce, quas habemus, Artis Oratoriæ *Inſtitutiones* noſter abſolverit, pro virili noſtra, eruendum. Id quod ſane fateor

fateor esse difficillimum. Nec tamen alia *Quintiliani tempora* recte constitui poterunt nisi illud eruatur. Itaque quo accuratius illud indagemus, erunt certe imprimis constituendi *limites* extra quos ne quæri quidem oporteat. Ait ergo *Quintilianus* paulo se plus quam *biennium* huic Operi impendisse. Hoc verbis ipse disertissimis agnoscit in Epistola ad *Tryphonem* Bibliopolam. Hinc facile colligimus, ante anni CXI. saltem *initium*, ne quidem *absolvi*, nedum *edi*, potuisse. Esto enim. Mox à depositio munere, sese ad Opus hoc, in quo versamur, accinxerit; sic tamen *biennium* à fine anni LXXXVIII. deductum in *fine* anni XC. finem accipiet. Ita nimirum, ut quod supererat in annum sequentem inciderit. Atqui illud etiam certum, nec *mox* illum à *depositio munere* hoc Opus *incepisse*, nec absolutum *mox* in *lucem* emisisse. Dicit se *diu* (*f*) amicis hoc petentibus fuisse *reluctatum*. Agnoscit *pridem* se munus suum fuisse *deprecatum*. Idque cum non magnos fecisset in hoc Opere progressus, Libro nimirum illius (*g*) secundo. Scriptum à se alium *de causis corruptæ Eloquentiæ* (*h*) Librum docet ipse, cum minor natu filius decederet. Sic autem loquitur quasi non magno admodum interposito *spatio* dolores *uxor* cum *duobus filiis* amissa renovasset. Horum autem *ultimus* paulo antea defunctus est quam VI. aggrederetur Institutionum Librum. *Otiumque*, ni fallor, arguit, veniamque *muneris* impetratam, cum illum quoque *priorem Librum* ederet. Tantum enim aberat à *Libris edendis* positus in munere *Quintilianus*, ut ne quidem (*i*) *Causas* una plures à se editas, ut vidimus, agnoscat. Ediderant præterea *Juvenes* Scholæ Auditores (*k*) *duos* ejus nomine, de hac eadem Arte Oratoria, ipso ta-

(*f*) Procem. (*g*) L. II c. 12. p. 86. (*h*) L. VI Procem. (*i*) L. VII. Inst. c. 2. p. 315. (*k*) Procem.

men inconſulto, Libros. Certe poſt Scholæ vacationem, cum nulla jam ſupereſſet ſpes ipſum ulterius audiendi. Tunc enim dictata in Schola accepta concinnarunt, edideruntque. Antea tamen quam vel primam hiſce, quas habemus, *Inſtitutionibus* manum admoviſſet, ut è *Proœmio* Operis univerſi colligitur. *Spatium* ergo aliquod interceſſerit oportet, quod tamen admodum *magnum* eſſe non potuit. Adhuc enim Scholæ ſuæ Auditores (*l*) *juvenes*, & (*m*) *ſuos Adoleſcentes*, non ſemel appellat. Ætatemque illam *Juventutis* nomine, ut videtur, intelligit, quæ *ſtudiis*, pro illius *Seculi* more, impendi ſolebat, *Oratoriis*. A *Pueritia* ad *primam* ſaltem *barbam*. Ita *Juvenes* qui anno XVII. *minores* ipſum audiverant, ne quidem adhuc *barbam primam* poſuiſſe veriſimile eſt. Sic infra *quadriennium* ſcripſerit à *munere abdicato*.

Nec tamen, cum ſcripſiſſet, ſtatim edidit.

XX. Illud præterea è *Quintiliano* ipſo exploratum habemus, non mox *editos* fuiſſe *Inſtitutionum* Libros poſtquam fuiſſent ad *finem* uſque perducti. Se enim fatetur, poſtquam illos compoſuiſſet, *uſum* deinde *Horatii conſilio, qui in Arte* (inquit) *Poetica ſuadet ne præcipitetur Editio, nonumque prematur in annum.* Proinde datum illis *otium, ut, refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos tanquam Lector perpenderet.* Inde facile colligimus jam *abſolutos* fuiſſe tamen aliquantiſper, dedita etiam opera, *ſuppreſſos*, cum ipſe illos nondum opinaretur *ſatis maturuiſſe*. Sed *citius* quam decreverat, flagitante Bibliopola, illos emiſit. Proinde ante *annum*, pro *Horatii*, (cujus uſus eſt conſilio) mente, *nonum*. Sed *unum* ſaltem *annum* fluxiſſe innuit ex quo Editionem flagitaverat Bibliopola, cum illum ipſum *teſtem* advocat *paulo majori* quam *biennii* ſpa-

(*l*) Procem. p. 2. (*m*) L. VII. c. 3. p. 325.

tio

tio *compoſitionem Operis* fuiſſe conſummatam. Vix ſane fuerat ita locuturus niſi *pluſquam triennis* fuiſſet expectatio. Imo nihil vetat quo minus fuerit etiam *quadriennis*. Ita *unus* ad minimum *annus* fluxerit ab Operis *fine* ad ejuſdem *Editionem*, cum etiam *annis* & ſuam fuerit *ſcriptionem* emenſus & Lectoris etiam *expectationem*.

XXI. Et tamen infra *Domitiani* Imperium concludi omnia videntur, Operis *initium*, *finis*, etiam *Editio*. *Domitiano* ſæpe adulatur. Nec in Operis *initio* duntaxat, verumetiam longius provectus. Nec unquam innuit meliora tempora, ne quidem in *Epiſtola* quam ſcripſit ultimam ad *Tryphonem* Bibliopolam. Vix tamen habemus illorum temporum Scriptorem quin temporum mutationem, prima quaque occaſione data, fuerit gratulatus. Gratulatur certe (*n*) *Martialis*, gratulatur (*o*) *Plinius* junior. Et pleni ſunt in hanc ſententiam coævi *numi*. Itaque ediderit oportet *Quintilianus* Inſtitutiones ſuas vel *ultimo Domitiani* anno, vel *penultimo*, Æræ nimirum noſtræ *Chriſtianæ* XCVI. vel XCV. Sic etiam abſolverit anno XCV. vel XCIV. incœperit autem vel anno XCIII. vel XCII. His certe limitibus concludi omnia oportet. Ego prioribus potius annis omnia contigiſſe cenſeo. *Abdicavit*, ut vidimus, anno LXXXVIII. exeunte. Tum deinde *otium* nactus ad ſcribendum ſe accinxit, ita antea à ſcribendo officii moleſtiis impeditus, ut ne quidem *Actionem* pluſquam unicam ediderit. Alia autem ſcribere vix potuit vacare cui ne quidem *Actiones* officio cognatiſſimas ſcribere vacavit. Imo hanc ipſam muneris abdicationem, otiumque inde conſecutum, pro *ratione* habet (*p*) *Quintilianus* cur Amici illum ad

Scripſit illas anno, ut videtur, XCII. & XCIII.

(*n*) *Mart.* L. X. Ep. 6, 7, 34. 72. (*o*) *Plin.* L. I. Ep. 5. 12. (*p*) Procem.

ſcribendas Artis Oratoriæ *Inſtitutiones* hortarentur. Proinde innuit, ni officio *ceſſiſſet*, nullum alioqui futurum locum illis eorum hortationibus. Proinde *de Cauſis corruptæ Eloquentiæ* niſi munere exutus, vix potuit ſcribere *Quintilianus*, & muneris datis pariter acceptiſque *rationibus*. Sic otium nullum plenum eſſe potuit ante initium anni LXXXIX. Ergo illo ipſo anno ineunte hoc Opus *inchoatum* ab eo fuiſſe ſupponamus. Cum hoc ſcribere aggreſſus eſſet, ſimili ſe, quo poſtea, *ictu* percuſſum teſtatur (*q*) *Quintilianus*, morte nimirum *minoris* natu *filii*. Cum ſe ſcribere *aggreſſum* dicit, jam *cœptum* Opus atque aliquatenus *affectum* una ſignificat. Ad eundem, ut videtur, modum quo, quinque prioribus *Inſtitutionum* Libris ad finem perductis, *majorem* etiam *filium* amiſit. Ita affecto *Opere*, & proinde affecto etiam *anno* LXXXIX. filius ille *minor* deceſſerit. Sed vero *quintum egreſſus* erat, cum moreretur, annum, poſt *paucos* à matris obitu *menſes* elatus, quæ etiam ipſa nondum ætatis ſuæ annum *undeviceſimum* expleverat. Proinde concurrerit cum *matris* anno XIV. hujus *filii* natalis, ut *paucos* illos *menſes* matris anno XIX. ſupplendo concedamus quibus *matri* filius ſupererat. Erant enim illi plane neceſſarii tam ad ſupplendum *filii* annum *quintum*, quam ad exceſſum etiam illum quo annum ætatis V. fuerat *egreſſus*. Sic XIII. *matris* anno *exeunte* natus fuerit filius etiam *major*, qui certe *antea* naſci non potuit, cum ante annum ætatis XII. expletum ne quidem *nuptiæ* fœminarum, apud *Romanos*, fuerint legitimæ. Atqui filius ille *major*, qui erat, cum decederet mater, pro his rationibus, etiam ipſe *ſexennis*, *decimum* annum ingreſſus eſt, jam adoptatus à *Patre* aliquo *Conſulari*, jam *Prætori avunculo*, Patris fortaſſe Conſularis fratri, *gener* deſigna-

(*q*) L. VI. Proœm. p. 261.

tus.

tus. Tres igitur à *matris morte* anni anno Æræ noſtræ XCII. ineunte deſinent. Pars autem illa, qua *decimum* annum *ingreſſus* eſt, ad annum eundem XCII. ſpectabit, jam utique *affectum*. Ut proinde anno ad minimum XCII. affecto *puerum* illum *obiiſſe* neceſſe ſit. Jam autem *Librum* Operis deſignati V. abſolverat *Quintilianus*, annum nimirum *biennii* & illius quod excurrebat ſaltem *primum*. Et *primum* adeo hujus Operis *annum* deſignabit Æræ noſtræ, quem diximus, XCII. *Secundus* ergo XCIII. erit. Et quod deinde *ſupra biennium* ſupereſt, anno XCIII. vel *exeunti*, vel etiam *ineunti* XCIV. erit aſſignandum. Sic *matrem* filiorum illorum *ætate*, quæ per Leges *nubilis* erat, *prima* duxerit *Quintilianus*, anno nimirum ætatis *ſuæ* XII. uti diximus, *expleto*, *Domini* nimirum LXXXII. *ineunte*. Et recte adeo *ætatem* ejus *Puellarem* fuiſſe dicit ſuæ *comparatam*. Egit enim certe *Quintilianus* ætatis ſuæ annum XL. cum illa ſuæ expleviſſet XII. Sic etiam *primo* ſuſcepti Operis *anno*, nimirum XCII. *ſororis nepotes* *Quintiliano* crediderit *Domitianus*. Cum ſcilicet *tres* ſuſcepti Operis Libros *priores* abſolviſſet. *Annum* enim ego *primum* quinque prioribus Libris tribuendum exiſtimo. Tum enim *dilatorum* aliquantiſper ſtudiorum veniam petit, idque pro magno habet, ſi poſt tantos dolores, poſſet ea, etiam *mora* quantavis interpoſita, repetere.

XXII. Satis autem apte conveniunt huic anno memoratæ in hoc Opere *temporum* notæ. Ait (r) *laudes Jovis Capitolini perpetuam* fuiſſe *ſacri certaminis materiam*. *Agones* intelligit *Capitolinos* in perpetuum *Quinquennales* in honorem *Jovis Capitolini*. In illis & proſa

Certe poſt annum LXXXVI. quo inſtituti ſunt à *Domitiano* Agones *Capitolini*, & quo *Britanniam* tum primum circumnaviga-

(r) *Quint.* Inſt. L. III. c. 7. p. 140.

tam *Insulam* esse deprehenderat *Agricola.*

Oratione *Græce Latineque* certatum testatur (*s*) *Suetonius.* Instituti illi sunt à *Domitiano* anno Æræ nostræ LXXXVI. ut nos docet (*t*) *Censorinus.* Ita binos videre potuit, cum hæc scriberet, *Quintilianus.* Ait præterea de *Britannia*, cum illam *Cæsar* aggrederetur, in *Suasoria* quærendum an (*u*) *Insula* esset? *Nam tunc* (inquit) *ignorabatur.* Et quidem nupera *Quintiliani* memoria, hoc ipso *Imperante*, sub quo scripsit ille, *Domitiano*, primus classe *Britanniam* circuivit *Agricola*, *Insulamque* esse deprehendit. *Agricolæ* hoc tribuendum esse consentientem (*x*) *Tacito* testem habemus etiam (*y*) *Dionem.* Sed quo *anno* hoc deprehenderit *Agricola*, nondum habent eruditi exploratum. Tum autem ait contigisse *Dio*, cum milites quidam, facta seditione, interfectisque centurionibus tribunisque suis ad *naves* confugissent, atque inde solvissent. Tum enim ait *circumnavigasse* illos eam partem *Britanniæ*, quæ spectat ad *occidentem Solem*, ut fluctibus ventoque ferebantur. Quumque id fecissent atque ad altera castra *Romanorum*, quæ ibi erant, appulissent imprudentes; *Agricolam* & alios misisse, qui *navibus* eundem cursum tenerent, ex quibus etiam *Insulam* esse comperisse. Eadem illa proculdubio Historia est quam de *Usipiis* narrat in *Agricolæ* vita *Tacitus*, c. 28. Quem annum *proxime superiorem* eo quo victus est ab *Agricola Galgacus*, ex eodem *Tacito* fuisse colligitur. Ait enim eadem *æstate* cohortem *Usipiorum* in *Britanniam* trajecisse, qua victi sunt à *Romanis Britanni Romanorum* castra nocte aggressi. c. 26, 27, 28. Sic item in procinctu ipso pugnæ in *Galgacum* loquitur *Agricola*: *Ii sunt quos proximo anno, unam legionem furto noc-*

(*s*) *Suet.* Dom. c. 4. (*t*) *Censorin.* c. 17. (*u*) *Quint.* L. VII. Inst. c. 3. p. 326. (*x*) *Tacit.* Agric. c. 28. ad 38. (*y*) *Dio* L. LXVI.

tis

tis adgreſſos, clamore debellaſtis. Proinde *terminum Britanniæ*, cum pugnaretur, jam *patere* agnoſcit etiam ipſe *Galgacus*, c. 30. Verum id quidem de profugis *Uſipiis*, quos illo ipſo *anno Britanniam circumvectos* teſtatur *Tacitus*, c. 28. Sed nondum plenam fidem *Romanis* fecerat *profugorum circumvectio* donec miſſi etiam ab *Agricola Inſulam* circumdediſſent, quod *poſt* prœlium cum *Galgaco* contigit. Tunc enim *Præfecto claſſis circumvehi Britanniam* præcepit *Agricola*, eodem Auctore *Tacito*, c. 38. Annum illum *octavum* numerat apud illum *Agricola* adventus ſui in *Britanniam*, c. 33. Is autem nondum viderunt Eruditi cum quo ſit *Domini* anno committendus. Ego cum anno Æræ noſtræ LXXXVI. eundem exiſtimo. Ait *Dio* à rebus ab *Agricola* in *Britannia* geſtis *Titum* Imperatorem XV. fuiſſe appellatum. Sed male *Dionem* intelligunt qui de Belli *exitu* illum loqui putant. Imo *Bellum* illud ſub *Tito fuiſſe* idem docet *Dio*. Cum *fuiſſe* dicit, *cœpiſſe*, ni fallor, innuit. Firmat præterea *Dionis* de *Titi* titulo *Imperatorio* teſtimonium etiam *Tacitus*, qui *primo* hujus Belli *anno* quo venit in Provinciam *Agricola*, res ab eo geſtas docet titulo *Imperatorio* digniſſimas, *Pacem* ſcilicet à *Britannis petitam*, ac *deditam Inſulam Monæ*, unde *Voadiciæ* defectione revocatus fuerat *Suetonius Paulinus*. Sequitur: (z) *Nec Agricola proſperitate rerum in vanitatem uſus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuiſſe: ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt. Sed ipſa diſſimulatione famæ famam auxit, æſtimantibus quanta futuri ſpe tam magna tacuiſſet*, c. 18. Erant itaque res illæ *Expeditionis* nomine *victoriæque* ſatis dignæ, & *literis* etiam *laureatis*. Nec *Principi*, cujus auſpiciis geſtæ erant, obſtare oportebat modeſtiam *Agricolæ*. Proinde de *primo*

(z) *Tacit. vit. Agric.* c. 18.

hujus

hujus Præfecturæ *anno*, non de *ultimo*, titulum illum *Titus* auxit *Imperatorium*. Hoc etiam docent tot aliæ res *Domitiani* rebus *Agricolæ* posterioribus coævæ à *Tacito* ipso recensitæ c. 39. nec ipsæ tamen *Imperii* initio assignandæ: *Falsus* nimirum *è Germania triumphus, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur.* Hæc certe Bello cum *Quadis* & *Marcomannis* & cum *Decebalo Dacorum* Rege assignanda esse, è *Dionis* fragmentis colligitur tam *Xiphilinianis* quam etiam *Theodosianis*, & *Constantini Porphyrogeneti*, oppresso jam *Sabino Consulari*. Imo *Decebalum* illi in eo Bello hostem fuisse innuit certe coævus (*a*) *Plinius*, dum confert invicem res *Domitiani Trajanique* cum eodem illo hoste gestas, nempe *Decebalo*. Scio *Oppium* illum *Sabinum* appellari in nonnullis Codicibus *Suetonii*. Sed non temere *Casaubonum*, verum auctore *Salmasiano* aliisque Codicibus MSS. *Appium* reposuisse observavit Cl. *Grævius*. Et *Appium* eundem agnoscit (*b*) *Eutropius*. Agnoscunt etiam *Fasti* cum *Domitiano* X. *COS.* collegam *Appium Junium Sabinum* anno Æræ *Christianæ* LXXXIV. Is in Provinciam missus *Consularis* anno sequenti LXXXV. & occisus à *Dacis* ita *Domitiano* occasionem dedit anno eodem exeunte ut in illos Expeditionem ipse susceperit. *Anno* autem proximo, pro nostris rationibus, victus est ab *Agricola Galgacus*. Missum enim existimo in Provinciam *Agricolam* à *Vespasiano* etiamnum superstite anno Æræ nostræ LXXIX. Sic tamen ut res ab eo *gestæ* in *Titi* Imperium inciderint. Obierat enim Pater die *Junii* XXIV. antea nimirum quam in Provinciam venire potuerit *Agricola*. Inde factum ut *res* ab eo gestæ *Titi* auxerint titulos *Imperatorios*. Et quidem *Imp.* XV. *Titus* appellatus est jam *Divi*

(*a*) *Plin.* Panegyr. (*b*) *Eutrop.* L. VII.

filius,

filius, *Trib. Pot.* IX. (quæ *medio* anno LXXX. exibat) ut nos docent numi Cl. *Mediobarbi*, & theſauri *Palatini* unus editus à Cl. *Begero*. Sic etiam ut ſint etiam apud *Mediobarbum* numi nonnulli eadem *Tribunitia Poteſtate* ſignati qui eum *Imp.* tantum XIV. agnoſcunt, quibus ſimilem nos etiam unum vidimus in theſauro *Laudenſi Bodleiano*. Inde manifeſtum eſt hac tandem *Tribunitia Poteſtate* titulum illum *Imperatorium* novum acceſſiſſe. Et quidem tranſacta ætate *debellatum* cum *Britannis* docet (*c*) *Tacitus*. Hoc proinde anno, non ſequenti, quo exeunte *Tribunitiam Poteſtatem* X. *Titus* numeravit. Imo *T. P. IX.* illam cum *COS.* VII. committunt *numi*, anno proinde LXXIX. percuſſi. Sequenti enim anno *Conſulatum Titus* inivit VIII. Itaque *primus Agricolæ* in *Britannia* is *annus* erat quem numeramus *Domini* LXXIX. *octavus* autem, quo *Britanniam* circumnavigavit, LXXXVI. Æræ *Chriſtianæ*. Idem nimirum quo *victus* à *Dacis* falſum tamen de *Dacis triumphum* egit *Domitianus*. Ipſo illo anno *T. P. V. COS. XII. Domitianum IMP. XI. XII. XIII.* appellant *numi*, unde intelligimus titulos *Imperatorios* ad minimum *XII.* & *XIII.* de novo acceſſiſſe. Occurrit in iiſdem etiam VICTORIA AUGUSTI SC. cum *tropæo*. Deſunt tamen fateor triumphi notæ *quadrigæ*, quas tamen ſignatas legimus in prioris anni LXXXV. *numis*. Hæc ratio fuiſſe videtur cur illi potius anno *triumphum* illum commentitium aſſignet *Mediobarbus*. Idque fortaſſe rectius. Neſcio enim an eo ſpectarint verba *Taciti* de excepto à *Domitiano* victoriæ nuncio: *Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum è Germania triumphum*, c. 39. *Nuper* ait, non hoc *ipſo*, quo *Agricola Britannos* vicit, *anno*, deriſui

(*c*) *Tacit. Agric.* c. 18.

fuiſſe falſum *Domitiani* triumphum, ut fuerit proinde ad ſuperiorem potius annum fortaſſe referendus. Id unum tamen in ea ſententia difficile eſt, quod raro admodum in *Provincias* mitterentur, aut è *Principis* latere diſcederent *Conſules Ordinarii* per annum illum quo *Conſulatum* geſſerant, *Magiſtratu* ipſo licet *abdicato*. Erant enim illi è *conſilio* Principis *Senatorio*, & in *Imperii comitiis* locum habebant apud Principem ipſum celebrandis. Sic (*d*) *Galbæ* legimus adfuiſſe collegam ejus in *Conſulatu Vinium*; dum ab eo *Piſo* adoptaretur in *comitiis Imperii*. Ita *Trajano* adfuit in terræmotu *Antiocheno* (*e*) *Pedo Conſul Ordinarius*, cum tamen anni *fine* motus ille contigerit. Ita (*f*) *Memmium* etiam *Fuſcum Conſulem Ordinarium* comitem habuit *Byzantii Valerianus* in Expeditione *Perſica*, diu poſtea quam Magiſtratu ceſſiſſent *Conſules Ordinarii*. Sed pendebat hoc è Principis *arbitrio*, nec adeo multum pugnamus quin potuerit *Conſulem Ordinarium* ipſo *Conſulatus* anno in *Provinciam* mittere *Domitianus*, id ſcilicet exigente uſu Reipublicæ, Princeps ipſe alioqui licentiſſimus. Nobis impræſentiarum ſatis eſt ſi hoc anno LXXXVI. *Britanniam* circumnavigarit *Agricola*. Hinc enim colligitur poſtea Librum hujus Operis VII. ſcripſiſſe *Quintilianum*. Nec enim ille quaſi de re *nova* loquitur.

Poſt *Octob.* XXIV. anni LXXXVI. quo *Juvenis* eſſe deſierat *Domitianus*.

XXIII. Porro de ipſo *Domitiano* ita (*g*) *Quintilianus*: *Germanicum Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque Diis viſum eſt eſſe eum maximum Poetarum. Quid tamen iis ipſis ejus Operibus, in quæ donatus Imperio juvenis ſucceſſerat, ſublimius, doctius, omnibus de-*

(*d*) *Tacit.* Hiſt. L. I. c. 14. (*e*) *Dio.* (*f*) *Follio* vit. *Valerian.* (*g*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 461.

nique

nique numeris præſtantius ? Quis enim caneret Bella melius quam qui ſic gerit ? Quem præſidentes ſtudiis Deæ propius audirent ? Cui magis ſuas artes aperiret familiare nomen Minervæ ? Itaque jam erat in *Imperio*, cum ſcriberet noſter, *Domitianus*. Etiam & *Bella geſſerat* unde pariter *Imperatoris* honorem, (*fictitium* tamen) ac *Poetæ*. Scripſerat enim de Bello *Titi* fratris *Judæo*, ut è *Valerii Flacci* colligimus *Argonautico*. Ut proinde ſatis apte invicem *Bella* contulerit *Quintilianus* quæ *geſſerat Domitianus* & quæ *cecinerat*. Ab illis *Bellis* in propria Perſona geſtis tot illos habemus in coævis horum temporum numis titulos *Imperatorios*. Ab illis cognomina non *Germanici* modo (cujus meminit *Quintilianus*) ſed *Dacici*, quo illum ornant, non quidem *numi* aut *Inſcriptiones*, ſed coævi tamen Auctores, (*h*) *Martialis* atque (*i*) *Juvenalis*. Et *templum* gentis *Flaviæ* jam condiderat, & templi *numen* (ſic enim fortaſſe potius legendum) *familiare Minervam* adſciverat. Et *ludos*, ni fallor, inſtituerat in ejuſdem numinis honorem in *Albano* quotannis celebrandos. Sed hæc fateor *primis* aliquot *Imperii annis* convenire potuiſſe. Non item illud quod dicit, *donatum Imperio juvenem ſucceſſiſſe*. Id quod oſtendunt *proximi* ante *Auguſteam* dignitatem *numi*, qui illum *Principem Juventutis* appellant. Non utique ita appellandum, ni fuiſset etiam ipſe, *Romano* ſaltem cenſu, *juvenis*. Sed poſt ſupremam *Auguſti* dignitatem, neminem legimus, ut fuerit *ætate juvenis*, qui tamen *Princeps Juventutis* fuerit appellatus. Imo *juvenis* nomen, *annis* etiam *juvenilibus*, indignatus eſt (*k*) *Auguſtus Cajus*, tanquam *Imperii* majeſtati parum congruum. Et alio tamen capite *Auguſto* in-

(*h*) *Martial.* Epiſt. Ded. L. VIII. (*i*) *Juvenal.* Sat. VI. v. 204.
(*k*) *Dio* L. LIX.

dignus erat titulus *Principis Juventutis*, quod *Ordinis* duntaxat *Equeſtris principatum* deſignaret, cum tamen *Ordinis ampliſſimi Princeps* eſſet, ut alibi (*l*) oſtendimus, *Auguſtus*. Non tamen illud obſtabat, quo minus *ætas* etiam *Auguſti*, pro recepto *Romanorum* cenſu, haberetur *juvenilis*. Pertigitque *cenſus* ille ad annum *ætatis* XXXV. Natus eſt *Domitianus* anno Æræ noſtræ LI. *Octobris* die XXIV. Sic *Juventutem* abſolverit *natali* ſuo *Octobris* die itidem XXIV. anni LXXXVI. Nec dedignabatur *Juventutis* ſuæ mentionem ille, qua quidem ad rerum geſtarum magnitudinem augendam faciebat *ætas* ipſa minorennis. Hoc certe nomine illum laudat (*m*) *Joſephus* ab *ætate* ejus *juvenili* cum *Capitolium* occuparet. Non id proculdubio facturus ſi ingratum cenſuiſſet. Imo de *ætate* ſua, cum triumpharet, *juvenili* gloriatur ipſe *Domitianus*. Et quidem jam *Auguſtus*. Legimus apud Cl. *Mediobarbum* numum *COS.* X. ſignatum in cujus parte poſtica illa ſunt verba: JOVI JUVENI TRIUMPHATORI. Ita ille anno *Domini* LXXXIV. quo annum egit *Ætatis* ad minimum XXXIII. Similiter JOVI JUVENI in multis *commodi* jam etiam *Auguſti* numis legimus. Nec vero dubium eſt *Deos* illos *Deaſque* qui in numis *Auguſtorum Auguſtarumque* occurrunt pro ipſis ſæpe *Auguſtis* atque *Auguſtabus* intelligi. Sic etiam JUVENTA IMPERII in numo *Caracallæ* cum Patre jam *Auguſti* legitur. Et JUVENTUS AUG. in numis *Auguſtorum Gallieni* atque *Claudii* qui ſucceſſit *Gallieno*. Et quæ eodem ſpectant, ad *ætatem* nempe Principis *juvenilem*, SPES PUBLICA & JOVI CRESCENTI in numis item *Gallieni*. Proinde non abſurde *Domitiano*, cum ſuccederet, *Juventutem* gratulatur *Quintilianus*. Idem tamen ſupponit, qui,

(*l*) Præl. XVIII. ad *Sp.* Adrian. §. 8. (*m*) *Joſeph.*

cum

cum Imperio donaretur, *Juvenis* fuerat, jam ſane amplius, cum hæc ſcriberet, Juvenem *non* fuiſſe, ſed annis aliquot *ætatem* illam ſuperaſſe, quod noſtris convenit, examuſſim, quas dedimus, rationibus.

Poſt anni XCI. finem quo Julia conſecrata eſt.

XXIV. Sed & illa quoque *Quintiliani* verba ad *Domitiani* tempora referenda ſunt : (*n*) *Laudandum in quibuſdam, quod geniti immortales : in quibuſdam, quod immortalitatem virtute ſunt conſecuti : quod Pietas Principis noſtri præſentium quoque temporum decus fecit.* Habuit nimirum in animo illos quos ſibi *Pietatis* officiis conjunctos *Domitianus* in *Deorum* numerum retulerat : *Titum* nempe fratrem, & *Titi* filiam *Juliam*, & filium è *Domitia Cæſarem* infantem. Sed vero *Titum* ipſo mox Imperii *initio* conſecravit, alioqui memoriæ ejus infenſiſſimus. *Filium* 2°. ejus *Conſulatu* natum teſtatur (*o*) *Suetonius*, qui certe de 2°. ante *Imperium* Conſulatu intelligi non poteſt ; cum & *infantem* illum, & tamen *Auguſti Domitiani filium*, fuiſſe doceant *numi*, doceat etiam (*p*) *Martialis*. Accedo itaque viris doctiſſimis, qui ſecundum illum Conſulatum de 2°. intelligunt Conſulatu *Ordinario*, poſt *Imperium*, quem tertio *Imperii* anno, *Domini* LXXXIII. geſſit *Domitianus*. Et quidem utroque modo *Conſulatus* illius numerant antiqui *Faſti*, nunc ſcilicet *prætermiſſis* Conſulatibus ſuffectis, nunc etiam illis in cenſum *acceptis*. Potuitque hoc è coævo aliquo Auctore, qui *ſuffectos Conſulatus* dedignatus fuerit, accipere *Suetonius*. Imo potuit ipſe, *primo* poſt Imperium Conſulatu, ita numerare *Domitianus*. Sprevit ille, fateor, *ſuffectos* ſuos ſub Patre *Conſulatus*, unicumque inter illos Ordinarium, quod ſciret illis præcipitem ſuam dominandi

(*n*) *Quint.* Inſt. L. III. c. 7. p. 140. (*o*) *Suet.* Dom. c. 3. (*p*) *Martial.* L. IV. Ep. 3. L. VI. Ep. 3.

libidinem fuiſſe repreſsam. Idem tamen poſtea, cum *Conſulatuum multitudinem* mire affectaret, hos etiam cenſuit in numerum accipiendos. Poſtea certe *numum* ego *Inſcriptionemve* coævam nullam reperio quæ priores etiam Conſulatus omiſerit. Porro *Domitia mater Divi Cæſaris* in numis appellatur. Inde certo conſtat fuiſſe illam poſtea in matrimonio *Domitiani*. Imo anno proximo & *filiam Domitiano* peperit, ſi tamen vera ſit *Lectio* quam è Codice *Salmaſiano* alioque vetuſto ſervavit doctiſſimus *Grævius*, *filiam* illam natam oportet anno noſtræ Æræ LXXXIV. Poſt partum illum utrumque *repudiatam* docet *Suetonius*, propter *adulterium* cum *Paride* hiſtrione, & tamen rurſus in conjugium *ab impatiente diſcidii, quaſi hoc efflagitante populo*, receptam. Sic aliquot annis *infantis Cæſaris* partu ſerius fuerit repudium illud *Domitiæ*. Imo caput *Domitiæ* ſpicis ornatum in numo *Domitiani* XI. *COS.* reperit Cl. *Mediobarbus*. Numus ille ante annum *Domini* LXXXV. cudi non potuit. *Julia* adhuc ſerius in cœlitum numerum adſcripta eſt. Ait illam *Suetonius* à *Domitiano* devincto *Domitiæ* nuptiis pertinaciſſime recuſatam. Inde intelligimus *ſolutis* demum cum *Domitia* nuptiis *ardentiſſime palamque* illam à *Domitiano* fuiſſe dilectam. Poſt *repudium* nempe *Domitiæ*, de quo teſtem habemus diſertiſſimum (*q*) *Dionem*. Repudiata enim *Domitia*, occiſoque propter *adulterium* ejus *Paride* hiſtrione, tum demum ait *Domitianum* cum fratris ſui filia *Julia*, tanquam cum *uxore* coiiſſe. Tantum enim abeſt ut poſt *mortem Domitiæ* hoc contingere potuerit, ut *Juliæ Domitia*, imo ipſi *Domitiano*, ſuperſtes fuerit. Imo adſcitam in conſilium de cæde *Domitiani* fuiſſe docet *Victor* Epitomator. Imo ante illum ipſe *Dio*. Sed vero *Juliæ* conſecratæ

(*q*) *Dio* L. LXVII.

duos

duos qui meminerint numos habet Cl. *Mediobarbus*, alium *COS.* XV. alium *COS.* XVI. ſignatos. Recenti, ut videtur, ambos mortis *conſecrationiſque* memoria. Sic anno Æræ noſtræ XCI. deceſſerit, cum jam prope eſſet Conſulatus *Domitiani* XVI. Sic inter annos LXXXV. & XCI. *Domitiam* repudiaverit *Domitianus*, & cum *Julia* jam *palam* tanquam cum *uxore* conſueverit. (*r*) *Juvenalis* plures uno *abortus Juliam* feciſſe teſtatur, è qua cauſa mortuam fuiſſe tradit (*ſ*) *Suetonius*. Ita plures uno *annos* in illo *Domitiani* ſeu matrimonio, ſeu concubinatu, *Juliam* fuiſſe neceſſe erit. Imo illo tempore violatam docet (*t*) *Juvenalis* à *Domitiano Juliam* quo leges de *Pudicitia* amariſſimas revocavit *Domitianus*. *Juliam* ſcilicet & *Scantiniam*. Illas nimirum *leges*, de quibus in vita ejus (*u*) *Suetonius*, & (*x*) *Martialis*. Et paulo ante expeditionem illam in *Germaniam*, in qua ne quidem *hoſtem vidit*, ut videtur innuere *Dio*. Ego repudiatam *Domitiam*, violatam *Juliam*, ſub finem anni LXXXV. exiſtimo. Itaque poſt annum XCI. ſcripſiſſe illa *Quintilianum* oportet ſi poſt *Juliæ* Conſecrationem ſcripſerit. Aliquot certe ſupponit *Conſecrationes* his, quas diximus, admodum affines, & tales illas ut *præſentium*, quibus ſcripſit, *temporum decus* fuerint, Perſonarum Principi *Pietatis* officiis conjunctarum. Sed vero in *Titi* Conſecratione proprium nullum erat *præſentium temporum* decus, cum deceſſores *bonos* olim conſecrare ſolerent *boni* Succeſſores. Itaque utramque hanc *Conſecrationem* in animo habuerit oportet ſi plures una *Conſecrationes* deſignare voluit hominum *Pietatis* officiis *Domitiano* conjunctorum. Quæ ſane accurate cum noſtris conve-

(*r*) *Juv.* Sat. II. v. 30, 31, 32, 33. (*ſ*) *Suet.* Dom. c. 22. (*t*) *Juv.* Sat. II. v. 37. 44. (*u*) *Suet.* Dom. c. 7. 8. (*x*) *Mart.* L. VI. Ep. 2. 4.

nient,

nient, quas dedimus, hypotheſibus. Potuit etiam fortaſſis & gentis *Flaviæ* templum commune omnium *Flaviorum* ob oculos habere. Quod tamen ipſum poſt aliquot *Imperii* annos condidit. Annum autem quo abſolverit, nec è *numis* qui ejus meminerunt, nec ex Auctoribus, habemus exploratum. Chronici autem *Euſebiani* quæ ſit in annorum *ſitu* fides præſtare non audeo. Sero illius meminit (*y*) *Martialis*.

Poſt finem an. LXXXIX. quo finem *Argonauticis* videtur impoſuiſſe *Valerius Flaccus*.

XXV. Ita denique de *Valerio Flacco* idem *Quintilianus* : *Multum* (inquit) *in Valerio Flacco nuper amiſimus.* Obierat ergo, & *nuper* obierat, *Valerius* ille *Flaccus*. Idem nempe *Valerius* cujus habemus hodieque *Argonautica*, qui tamen hoc Opus ſcripſit Imperante *Domitiano*. Hoc certe colligimus ex illis illius ad *Veſpaſianum* verbis :

(*z*) *Tuque ô, pelagi cui major aperti*
Fama, Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus Phrygios prius indignatus Julos,
Eripe me populis, & habenti nubila terræ,
Sancte pater ; veterumque fave veneranda canenti
Facta virum. Verſam proles tua pandit Idumen
(Namq; poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.
Ille tibi cultuſque Deum, delubraque genti
Inſtituet ; cum jam genitor lucebis ab omni
Parte poli : neq; enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Graiis Helice ſervanda Magiſtris :
Seu Tu ſigna dabis, ſeu Te duce Græcia mittet,
Et Sidon, Niluſque, rates. Nunc noſtra ſerenus
Orſa juves ; hæc ut Latias vox impleat Urbes.

(*y*) *Mart.* L. IX. Ep. 11. (*z*) *Valer. Flacc.* Arg. L. I. v. 7. &c.

Invocat

Invocat, fateor, hoc in loco, *Veſpaſianum* ipſum. Male tamen inde colligunt nonnulli ſcripſiſſe illum Imperante *Veſpaſiano*. Invocat, inquam, ſed *Sanctum* jam, *Conſecratum* ſcilicet. Sed in eo *loco* ſitum, unde illum *populis* & *terræ nubiloſæ* poſſet eripere, *cæleſti* proculdubio illo. Quomodo enim ille *Valerium* potuit *terræ eripere*, ſi *ipſe* adhuc verſaretur in *terris*? Ait præterea, cum *lucem* eſſet ab omni *poli* parte daturus, tum demum illi *cultus Deorum* inſtituturum, & *delubra genti Flaviæ*, fore *Domitianum*. Non tamen inde colligendum, *nondum* illum ita illuxiſſe. Imo gentis *Flaviæ* templum ſtruxerat certe *Domitianus*, jam *Auguſtus* cum illa ſcriberet *Valerius*. Sed morem ille *Poetarum* ſecutus eſt, ita de rebus jam *præteritis*, quaſi adhuc *futuræ* eſſent, vaticinantium. Receptam etiam illorum temporum ſententiam imitatus, receptos fuiſſe in *ſidera* conſecratos Imperatores, quæ etiam ipſa fuerint, pro Principis dignitate, *conſpicua*. Sic enim *Romulum* & *Remum* cum *ſideribus*, ſic *Caſtorem* & *Pollucem*, repræſentant hodieque antiqui *numi*. Sic & *Neronem* ſideribus potiturum gratulatur (*a*) *Lucanus*. Sic in hoc ipſo *Domitiani* Imperio *Puerum* illum *Cæſarem Divum ſideribus* cinctum exhibent coævæ illius in *numis* effigies. Scio etiam aliorum hominum inſignium animas in *ſtellis* conſtituiſſe *Platonicos*, ut è *Somnio Scipionis* diſcimus, & *Macrobii* in illud Commentario. Sed *Cæſaribus* è *Julio* ſidere petitum arbitror exemplum. Id ergo vult *Valerius*, *ſidus Veſpaſiani* ita fore, pro *animæ* dignitate, *lucidum* ut ſplendidiſſimos nautarum duces conſtellationes *Cynoſuram* & *Helicen* fulgore ſuo fuerit ſuperaturum, ut proinde illud potius deinceps obſervarent nautæ qui ſtellas in navigationibus ſuis obſervabant omnium fulgentiſ-

(*a*) *Lucan.* L. I.

ſimas. Sed unde illa reſciſcere potuit, ſi *vivo* illa ſcripſiſſet *Veſpaſiano*? Unde *Domitianum* fore, non *Patri* modo, verumetiam *fratri*, ſuperſtitem? Unde, non *Titum*, qui *Veſpaſianum* patrem in *Divorum* numerum retulerat, ſed *Domitianum cultus Deum* illi inſtituturum? Unde & illum cultus *modum*, Templum nimirum commune gentis *Flaviæ* cum ſodalibus *Flavianis*? Scripſit ergo illa certe rerum jam potito *Domitiano*. Et quidem ipſo Operis, ut videmus, exordio. Eo tamen uſque in *Domitiani* tempora perſeveravit ut Opus integrum abſolveret, editionique maturum redderet, quod certe *paucorum* eſſe non potuit, pro illorum temporum tarda admodum maturitate, *annorum*. Recitabant enim, emendabant, apud ſe premebant in aliquot annos retractandum. His præſertim, de quibus agimus, temporibus. Sic vidimus facere voluiſſe noſtrum ipſum *Quintilianum*, in Opere etiam non *Poetico*. Sic fecit etiam *Poeta Valerio* coævus *Statius*, caloris licet impetuſque, ut è *Sylvis* conſtat, extemporanei. Is tamen ipſe duodecim *Thebaidos* libros (*b*) per *annos duodecim* elucubravit. Illo ſi exemplo ſcripſerit *Valerius*, annos ad minimum *octo* Libris *octo* impenderit, annumque adeo *Domitiani octavum* ſuperaverit, qui anno Æræ noſtræ LXXXIX. exeunti convenit. Et ſane *Flaccum* hunc *Valerium*, ut videtur, à re *Poetica* celebrem memorat aliquoties, ſub *Domitiano*, (*c*) *Martialis*.

Finis *Inſtitutionum* anno XCIV. recentior eſſe non potuit, quo pulſi ſunt ex Urbe *Philoſophi*.

XXVI. Sic illæ nimirum notæ invicem conſentiunt, ut, niſi *affecto Domitiani* Imperio, ſcribere illa *Quintilianus* non potuerit. Sic item viceverſa, ut nulla prorſus ſit neceſſitas cur *ultra* illum, quem dedimus, anni XCIV. cœp-

(*b*) *Stat.* L. XII. Theb. fine. (*c*) *Martial.* L. I. Ep. 76. IV. 49.

ti

ti limitem, protrahantur, ad finem Operi imponendum. Imo pugnat nota alia ne ad annum XCIV. *affectum* vel *finis* Operis producatur. *Philoſophiæ* aliquoties meminit, ſemperque cum (*d*) *laude*. Ita nimirum ut præcipua illius decora potiori jure ſuæ vendicet *Oratoriæ*, *æmulus* proinde, non *inimicus* illius, appellandus. Etiam (*e*) *Philoſophorum*, præſertim (*f*) *Socratis*, nec fere ſine *encomiis*. Id unum in illis reprehendit, quod alieniores eſſent à gerenda (*g*) *Republica*, quam ſuum eſſe voluit, quem hic inſtituebat, *Sapientem* pariter atque *Oratorem*. Et, ſi quos obiter perſtringit *Philoſophos*, ſic tamen id facit ut *Philoſophiam* ipſam veneretur, eamque ſemper purget ne commune haberet cum *Philoſophis* illis convitium. Itaque non tam *Philoſophos* illos agnoſcit quam *Philoſophiæ* potius (*h*) *oſtentatores*, rei nimirum optimæ *nomen* duntaxat ementientes, cum eſſent à re ipſa, quam profitebantur, alieniſſimi. Hæc ille paſſim, etiam in Libro (*i*) *ultimo*, ne dubitemus alienis à *Philoſophiæ* laude temporibus, vel biennium illud, imo biennii etiam additamentum, quod Operi concinnando impendiſſe ſe agnoſcit, eſſe finiendum. Non ita certe ſcripſiſſe veriſimile eſt cum *Philoſophos*, *malos* pariter ac *bonos*, ad unum *omnes*, in reliquis (*k*) *Epictetum*, hoc uno nomine quod *Philoſophi* eſſent, arceret urbe *Domitianus*. Non ita certe ornaſſet homines *Domitiano* ingratiſſimos *Domitiani* tam proclivis, ut quam molliſſime loquar, aſſentator. Sed anno illo ipſo XCIV. Edictum illud, ut alibi oſtendimus, quo Urbe *Philoſophis* interdictum eſt, emiſit *Domitianus*.

(*d*) Procem. L. I. p. 3, 4 c. 4. p. 19. L. X. c 1. p. 454. 460. L. XII. c. 2. p. 546, 547. (*e*) L. X. p. 460. 465. (*f*) L. II. c. 15. p. 34. L. VIII. c. 4. p. 370. L. XI. c. 1. p. 491. (*g*) L. XI. c. 1. p. 494. L. XII. c. 2. p. 546. (*h*) L. XI. c. 1. p. 494. (*i*) L. XII c. 2. p. 546. (*k*) *Gell.* Noct. Att. L. II. c. 18.

Idem colligitur è *Marcelli* temporibus, ejuſque *filii.*

XXVII. Poſtremis certe *Domitiani* temporibus hæc eſſe tribuenda vel inde colligimus, quod *Marcello Victorio* Inſtitutiones ſuas *Quintilianus* inſcripſerit. Idem certe fuiſſe videtur *Marcellus* ille cum eo cui IV. ſuum *Sylvarum* Librum inſcripſit etiam *Statius*. Studium in *Marcello Eloquentiæ* arguit quod Libros de illo Argumento illi dicarit noſter *Quintilianus*. Et ſuum quoque *Marcellum* à *facundia* celebrat *Statius*. Sunt enim illa ejus verba:

(*l*) *juvenes facundia præterit annos.*

Et rurſus:

(*m*) *nec enim tibi ſola potentis*
Eloquii virtus.

Fuit & *Marcello Quintilianeo* filius (*n*) *puer prima ætate*, cujus in uſum *Inſtitutiones* ſuas deſtinavit *Quintilianus*. *Prima* illa *ætas* non *Infantiæ* fuit, ſed quæ *manifeſtum iter ad ingenii lumen oſtenderet.* Itaque *minoris Pueritiæ* quæ infra annum XII. cenſebatur. Paulo certe majorem illum ipſius *Quintiliani filio* majori, inde conjicimus, quod *initio* operis in *Marcelli filii* uſum *Inſtitutiones* ſcriptas monuerit; in ſui filii uſum eas ſcriptas non ante Libri IV. (*o*) *Proœmium* monuerit, ſic etiam ibi ut *Marcelli* filium ſuo antepoſuerit. Ita filio ſuo pluſquam (*p*) *novenni* major *Marcelli* filius X. certe ſaltem ætatis annum attigerit neceſſe eſt. Nondum *majorem* illam *Pueritiam* ingreſſus qua *Rhetoribus* tradi in diſciplinam ſolebant. Et filium *Marcelli* adhuc *Puerum* memorat *Statius*:

(*l*) L. IV. Sylv. 4. v. 45. (*m*) ibid. v. 64, 65. (*n*) *Quint.* Proœm. L. I. p. 2. (*o*) p. 160. (*p*) *Jam decimum ætatis annum ingreſſus. Quint.* L. VI. Proœm p. 262.

(*r*) *Surge*

(r) *Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem*
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Jam te blanda ſinu Tyrio ſibi gloria felix
Educat & cunctas gaudet ſpondere curules.

Jam certe *toga virili* minorem illum fortaſſe innuit cum *Puerum* illum appellat, ſi quidem locutus fuerit, pro cenſu *Romano*, moribuſque, *accurate*. Fieri tamen potuit ut ſenſu paulo laxiori uſurpaverit *Statius*. *Sinu* enim illo *Tyrio* qui *cunctas curules* ſellas ſpondebat, *latum* fortaſſe *clavum* intellexit qui aditum patefacere ſolebat ad omnes honores *Senatorios*. Ea ſi mens illius fuerit, ſic *togam virilem* jam *nuper ſumtam* à *Puero* illo *Marcelli* innuerit *Statius*. Pro lege ſcilicet *Auguſti*, qua *liberis Senatorum, quo celerius Reip. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ intereſſe permiſſum* teſtatur (*ſ*) *Suetonius*. Hæc *Statius* menſe *Julio* anni quo XVII. Conſulatum ſuſcepit *Domitianus*, Æræ noſtræ XCV. Et quidem pro calculis noſtris ſatis accurate. Qui enim anno XCII. quo *Inſtitutiones* cœpit *Quintilianus*, annum abſolverat *ætatis* duntaxat X. XIV. abſolvere non potuit ante annum XCVI. Ita nimirum ſi *Pueri* voce *Statius* uſus fuerit *accurate*. Quod ſi *laxius* illam intellexerit, & *togam Puer* ille cum *lato clavo* ſuſceperit ante menſem *Julium* anni XCV. ſic etiam ante menſem *Julium* anni XCII. annum ætatis XI. abſolverit, *duodecenni* tamen *minor*, & *minoribus* adeo *Pueris* accenſendus, ne quidem ita filio *Quintiliani* multo major. Ita quidem hæc invicem cohærent, ut error, ſi quis tamen ſit, magnus certe eſſe non poſſit. Convenit præterea quod *Marcel-*

(r) *Stat.* L. IV. Sylv. 4. v. 74. &c. (*ſ*) *Suet.* Aug. c. 38.

lum ipſum eodem illo anno XCV. (*t*) *forma egregium*, & (*u*) *juvenes annos* habentem, ipſumque adeo (*x*) *juvenem* memoret *Statius*. Proinde infra annum ætatis XXXV. Et tamen (*y*) *faſcibus* ejus *ſubtextam* dicit *curam* viæ *Latinæ obliquæ*. *Faſces* illi, ſi *Conſulares* fuerint, ſic annum ſuperarit oportet *ætatis* XXXIII. Sic annum egerit *ætatis* vel XXXIV. vel XXXV. *natus* proinde anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* vel LIX. vel LX. Ita *filio* ſuo major eſſe non potuit annis vel XX. vel XXI. ducta nimirum uxore *Pueri matre* anno *Ætatis* ſuæ vel XX. vel XIX. Scio quidem *marium* ætatem nuptiis neceſſariam annorum eſſe XIV. Ita nimirum ut *majorum* ea ætate matrimonia *reſcindi* non poſſent. Alioqui minorum annis XVIII. *virorum* vix unquam legimus *matrimonia*. Hæc (*z*) certe ætas erat *juſtæ* & à *Pueris* colendæ, ut vidimus, *virilitatis*. Hæc ætas *primæ lanuginis* Pubertatis *plenæ* indicis. Hac denique ætate *filium adoptivum* præcedere oportebat *patrem Adoptivum*, modum nimirum *Patris naturalis* receptiſſimum imitante patre *Adoptivo* & *legitimo*. Sic etiam magnum errorem ne quidem patiuntur rationes noſtræ ſi cum *Marcelli* etiam ætate conferantur. Denique ſi *togam* cum *lato clavo* ſuſceperit anno XCV. *filius Marcelli*, ita certum eſt ante illum annum ſcripſiſſe *Quintilianum* duobus ad minimum annis, cum nondum ætatem illam attigiſſet *filius Marcelli Pueritiæ majoris* quæ *Rhetorum* eſſet Inſtitutionibus matura. Sic undiquaque veriſimiles conſtabit noſtros eſſe calculos.

Pugnat ipſa *temporum* ratio quo minus noſter qui de *cauſis corruptæ Eloquentiæ*, idem

XXVIII. Conſtitutis jam illis quæ vidimus, hujus Operis *temporibus*, ad rerum ejus aliarum hoc *intervallo* geſtarum tempora ſimiliter conſtituenda pergamus. Imprimis vidimus *Quintilia-*

(*t*) V. 8. (*u*) V. 45. (*x*) V. 74. (*y*) V. 59. 60. (*z*) Hæc ſupra.

ni

ni Librum de *Cauſis corruptæ Eloquentiæ* anno Æræ noſtræ LXXXIX. ab eo fuiſſe conſcriptum. Vel inde facile intelligimus verum eſſe non poſſe quod cenſuere Viri nuper Eruditiſſimi, eundem fuiſſe illum *Quintiliani* Librum cum illo quem habemus hodieque *Dialogo de claris Oratoribus*. Hoc quidem certum, Codices *MSS.* omnes non *Quintiliano* noſtro, ſed *Tacito*, Dialogum illum aſſignare. Unde ergo colligunt, refragantibus Manuſcriptis, *Quintiliano* tamen eſſe aſſerendum? Nempe quia ſcripſerat noſter *de cauſis corruptæ Eloquentiæ*, de eo etiam egerat Argumento Auctor Dialogi. Sed cujuſcunque demum Auctoris ille fuerit Dialogus, vel *temporum* ipſa ratio pugnat quo minus fuerit *Quintiliani*. Ait enim ſe (*a*) Dialogi Auctor, *juvenem admodum* fuiſſe cum *Colloquio* illi intereſſet, quod tamen VI. *Veſpaſiani* anno fuiſſe ſupponit. VI. ille annus à Kalendis *Juliis* anni LXXIV. ad anni LXXV. pertigit Kalendas itidem *Julias*, quo certe tempore annum egit *Quintilianus*, pro noſtris rationibus, ætatis vel XXXII. vel XXXIII. Quæ ſane ætas erat illa quidem *juvenilis*, ut jam oſtendimus; non ita tamen ut *admodum juvenis* fuerit ætate illa appellandus. *Initium Juventutis* deſignat vox illa *admodum*. Et quidem *Juventutis* illius, quæ proxime *Pueritiam* togamque *prætextam*, pro *Romanis* moribus, exceperit. Illius, inquam, *Juventutis* qua *Oratorum* concionibus ſermonibuſque aderant *juvenes* qui nomen dabant ſtudio *Oratoriæ*, quod ſe feciſſe teſtatur Auctor Dialogi de *Oratoribus*. Ait enim ſeſe *M. Aprum* & (*b*) *Julium Secundum*, *celeberrima tum ingenia fori Romani*, *non modo in judiciis ſtudioſe audiviſſe*, *ſed domi quoque & in publico fuiſſe aſſectatum*, *mira ſtudiorum cupiditate*,

Auctor eſſe potuerit Dialogi *de Oratoribus*.

(*a*) Dialog. c. 1. (*b*) Cap. 2.

&

& quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum (ſic enim domeſtica illorum colloquia appellat) *& diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis penitus exceperit.* Studia plane narrat illius, pro illorum temporum more, *Juventutis.* *Taciti* ætati illa conveniunt ad amuſſim. Natum illum putamus anno LIX. Sic anno LXXIV. annum egerit XV. anno LXXV. XVI. quæ ætas erat *admodum juvenilis*, qua *Scholas Oratorum* & *Colloquia* frequentabant Adoleſcentes ſtudiis illis imbuendi. Ait præterea Dialogi Auctor *Julium* illum *Secundum in celeberrimis fuiſſe fori Romani tum ingeniis.* Sic nempe loquitur de *Julio Secundo* quaſi de *alterius*, quam quo vixit ſcripſitque Auctor, *Seculi* ornamento. Aliter de illo noſter (*c*) *Quintilianus*: *Memini*, (inquit) *narraſſe mihi Julium Secundum, illum æqualem meum, atque à me, ut notum eſt, familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum.* Vox illa *æqualis Latinis* idem valet quod *Græcis* σωήλιξ vel ἡλικιώτης, deque *ætate* intelligitur *æquali.* Eorum ſcilicet qui ſimul *Pueri Juveneſque* fuerint; ſimulque *ſtudiis* ætati congruis incubuerint, tam *Puerilibus* nimirum quam etiam *Juvenilibus.* Paucorum admodum diſcrimen illa patiuntur annorum. Non tantum certe ut unus alterum ſtudioſe audiverit, aut *domi* quoque & in *publico* aſſectatus fuerit, aut *fabulas* etiam & *diſputationes* & *arcana ſemotæ dictionis* penitus exceperit. Imo *venerabile* fuiſſe *præcedere quatuor annis* teſtatur (*d*) *Juvenalis.* Ita nimirum ut *parem* aliquatenus reverentiam illam agnoſcat quæ à *Pueris primæ* Juvenum *lanugini* dari ſolebat ac *ætati barbatæ.* Utrobique enim pariter *aſſurgebant*, proinde *aliam* illam, nec ſuæ

(*c*) *Quint.* Inſt. L. X. c. 3. p. 473. (*d*) *Juven.* Sat. XIII. v. 54. 55, 56. 57. 58, 59.

æqualem,

æqualem, *ætatem* agnoſcentes. Erat præterea laxius *Quintiliano* in ſuo *de cauſis corruptæ Eloquentiæ* Libro quam ſit illud Dialogi de Oratoribus Argumentum. Egerat enim in illo noſter de *Tropis*, interque illos de *Hyperbole*. Sic enim Librum Inſtitutionum VIII. claudit : *Sed de hoc ſatis ; quia eundem locum plenius in eo Libro quo cauſas corruptæ Eloquentiæ reddebamus, tractavimus.* Tale nihil occurrit in hodierno de *Oratoribus* Dialogo. Sed nec ullus eſt in Dialogo *hiatus*. Polliceri quidem videtur Auctor in fine (*e*) Dialogi plura. Novo tamen *Colloquii* futuro die, nec alio quam ad Dialogi ipſius Argumentum ſpectantia. *Siqua* (inquit *Maternus*) *tibi obſcura in hoc meo ſermone viſa ſunt, de his rurſus conferemus.* Ad *ſecundum* plane *Dialogum* pertinere videbantur illa, quem abſolverit necne Auctor, incertum eſt. Unicum tamen, in utroque *Inſtitutionum* loco, memorat noſter ſuum *de cauſis corruptæ Eloquentiæ* Librum. Et *continuum*, ut videtur, illum ; non autem in forma *Dialogi*. Denique jam oſtendimus Librum illum anno LXXXIX. ſcripſiſſe *Quintilianum*. Nempe anno XIV. vel ad ſummum XV. poſt Colloquium VI. *Veſpaſiani* anno habitum. Qui autem admodum *juvenis* erat tempore *Colloquii*, is annum ætatis XX. ſuperare non potuit, nec adeo annum XXXV. expleviſſe anno *Domini* LXXXIX. Itaque *juvenem* adhuc fuiſſe oportet qui *juvenis admodum* fuerat VI. *Veſpaſiani*. Sed vero qui *Dialogum* edidit Auctor VI. *Veſpaſiani admodum juvenis*, jam ſane ſe ne quidem *juvenem* fuiſſe innuit cum *Dialogum* ſcriberet ederetque. Neutrum vere de ſe aſſerere potuit utriuſque Operis Auctor. Nec vere *Quintilianus* ſe fuiſſe *juvenem admodum* VI. *Veſpaſiani*. Nec vere rurſus Auctor *Dialogi*, qui-

(*e*) Dialog. c. 42.

cunque demum is fuerit, ſe *Juventutem* anno Æræ *Chriſtianæ* LXXXIX. *ſuperaviſſe*. Aliarum gentium temporumve ſermo eſt, de quo aliquoties obſervavit *Caſaubonus*, quod κομιδῆ νέους *tricenarios* appellaverint. Noſtra *admodum Juvenis* ætas non νέος *Græcis* habetur, ſed μειρακίσκος ſeu μειρακίων. Hæc enim certe *Juventus* quæ mox *Pueritiæ* ſucceſſit in ſtudiis *Oratoriæ*, non alia eſſe potuit quam dixi, ſi ad *Romanas* ſaltem conſuetudines exigatur.

Aliam poſtea *uxorem* duxit *Quintilianus Tutilii* vel *Rutilii* Rhetoris *filiam.*

XXIX. Poſtea *uxorem* noſter aliam duxit, ex qua *filiam* ſuſtulit *Tutilii neptem* à (*f*) *Plinio* juniore diſcipulo memoratam. Et quidem *ætatis ſuæ* Rhetoricæ Scriptorem à *Quintiliano* commemoratum *Tutilium* dicit (*g*) *Catanæus*. Sed fefellit virum doctum, niſi ipſe fallor, memoria. *Rutilius* enim ille, non *Tutilius*, eſt, cujus mentio eſt apud *Quintilianum* illo ipſo *Inſtitutionum* loco quo nos retulit *Catanæus*. Verba noſtri illa ſunt: (*h*) *Scripſit de eadem materia* [Rhetorica ſcilicet] *non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio: accurate vero priores Gallione Celſus & Lenas, & ætatis noſtræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt & hodie clari ejuſdem Operis Auctores: qui ſi omnia complexi forent, conſuluiſſent labori meo. Sed parco nominibus viventium.* Vel itaque fefellit memoria, uti dixi, *Catanæum*; vel pro *Rutilio Tutilium* ille in coævis exemplaribus repererat. Eſtque ſane literarum illarum mutatio longe facillima, ſi præſertim literis conciperetur *minuſculis*, ut ſolent plerunque nomina etiam propria concipi in Codicibus Manuſcriptis. Erat ſane illis etiam temporibus, ut è (*i*) *Martiali* conſtat, Rhetor *Tutilius* quam veram eſſe in *Martiali* lectionem lex ipſa

(*f*) *Plin.* L. VI. Ep. 32. (*g*) In loc. *Plinii.* (*h*) *Quint.* L. III. c. 1. p. 113. (*i*) *Mart.* L. V. Ep. 56.

Carminis

Carminis evincit. Inde (*k*) *Scriverius Quintilianum* ipſum corrigendum eſſe cenſet. Præſertim accedente *Plinii* etiam teſtimonio, & *Plinii* in *loco* etiam *Librariorum*. Sic illi ambo, tam *Scriverius* quam *Catanæus*, quaſi unico duntaxat *Quintiliani* in loco legeretur ille *Rutilius*. Sed *Rutilii* ſæpe meminit (*l*) noſter, quem etiam (*m*) *Lupi* cognomine afficit. In illis omnibus durum eſt ſi Librarius errore ſibi conſtanti atque uniformi deviarit. Fieri ergo poteſt ut illius *Rutilii* filiam uxorem duxerit *Quintilianus*. Erat enim ſane ejuſdem cum *Quintiliano* ipſo Ordinis ſocer ille *Tutilius*, ſeu *Rutilius*. Id nos docet ipſe *Plinius*, cum *filiam* ejus *Nonio Celeri* viro Senatorio nupturam ita à *Quintiliano* patre *inſtitutam* dicit, *ut decebat filiam* (inquit) *tuam, Tutilii neptem*. Idem ergo *decor*, eademque dignitas, *Quintiliani* patris avique, ſeu *Tutilii*, ſeu *Rutilii*. Infra *Senatoriam* tamen, & proinde ſponſi *Nonii Celeris*, dignitatem fuiſſe innuit ſatis aperte *Plinius*. *Cum tamen* (inquit) *ſit nuptura honeſtiſſimo viro, Nonio Celeri, cui ratio civilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit, debet, ſecundum conditionem mariti, veſte, comitatu, (quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen) inſtrui*. Hinc illa *Plinio* occaſio, pro mariti futuri dignitate, dotis augendæ. *Vir honeſtiſſimus* non alius erat, pro Sæculi illius ſermone, quam *Senatorius*. Et quidem *Senatoriam* ſponſi gentem arguunt tot illi, in coævis temporum illorum *Faſtis*, *Conſulatus*. Videantur *Faſti* annorum Æræ *Chriſtianæ* VIII. XXXIX. vel potius XXXVIII. XCIV. CXXVIII. Arguit etiam neceſſitas illa *nitoris* à ratione civilium officiorum impoſita. Eſt enim ea ipſa (*n*) *ſumtuoſa*

(*k*) *Scriv.* ad loc. *Martialis*. (*l*) *Quint.* L. III. Inſt. c. 1. p. 113. L. IX. c. 2. p. 411. c. 3. p. 418. 425, 426. (*m*) *Quint.* L. IX. c. 2. p. 411. (*n*) *Plin. Paneg.*

dignitas cujus alibi meminit idem *Plinius*. Non alia utique quam *Senatoria*. *Nitor* ille *veſtitus* in *lato* erat præcipue *clavo* ; *comitatus* autem in *clientium* ſportulantium ſatellitio atque ſalutationibus. Hos *ſumtus* ſiqui alii à *Senatoriis* facere & *poſſent* & *vellent* ; non tamen per Leges *licuit*. Tantum aberat ut neceſſitate aliqua imponente illos facere oportuerit.

Nec ſocer Quintiliani, nec ipſe adhuc Senatorius. Opponuntur enim Senatoribus Rhetores.

XXX. Erat ergo tam *Quintilianus* ipſe, quam & *ſocer* illius, dignitate infra *Senatoriam*. Id quod etiam è *Rhetorum*, quo functi fuerant, officio facile colligendum erat. Maximam enim fortunæ inconſtantiam cenſuit (*o*) *Juvenalis*, ſi *ex Conſule Rhetor* fieret, aut viceverſa de *Rhetore Conſul*. Sic loquitur ille quaſi altiſſimæ infimæque ſortis haberetur tanta illa mutatio. Idem de gradu Senatus *Prætorio* obſervavit *Plinius*, vel apud illum potius *Valerius Licinianus*. Cum enim eo decideret ut *exul* ſub *Domitiano* de *Senatore*, *Rhetor* de *Oratore* fieret ; ſic Declamationis Præfationem eſt exorſus : (*p*) *Quos tibi, fortuna, ludos facis ? Facis enim ex profeſſoribus Senatores, ex Senatoribus profeſſores*. Itaque non *Conſularis* modo aut *Prætoria* dignitas immenſum quantum à *Profeſſorio* munere diſtabat ; ſed & alia quælibet, quæ quidem eſſet *Senatoria*. Sed diſcrepabant invicem, ut è *Plinio* vidimus, *Rhetor* & *Orator*, *Eloquentia* atque Eloquentiæ *profeſſio*. Ita nimirum ut Oratoriæ Eloquentiæque *ſtudium* eſſet, etiam in viro quoque *Senatorio*, honeſtiſſimum. Loci autem *Senatorii* honorem imminuebat, ſi quis *Senator* idem *Rhetor* eſſet, & Rhetoricam *profiteretur*. *Rhetor* appellabatur, qui Scholæ publicæ præſidebat. *Profeſſor*, qui Juventutem inſtituendam pu-

(*o*) *Juv.* Sat. VII. v. 197, 198. (*p*) *Plin.* L. IV. Ep. 11.

blice

blice profitebatur. Qui nempe *declamabat* potius quam *orabat*, de *fictitiis* ſcilicet Eloquentiæ exercendæ Controverſiis (ſic enim appellabant) potius quam de *veris* in *foro*, aut etiam in *Senatu*, cauſis. Non tamen dedignabantur, etiam *Senatores*, *domi* juvenes in ſtudiis *Oratoriæ* inſtituere, etiam declamantes *audire*, & ipſi quoque *Declamationibus Præfationibuſque* præire. Sic enim *Hirtium* & *Panſam* & *Dolabellam* generum domi docuit *Cicero* jam *Conſularis*. Sic *Quintilianum* noſtrum *Domitius Afer*, qui fuerat antea quam naſceretur noſter, (*q*) *Conſul* ſub *Caligula*. Sic *Quintiliano admodum juvene*, inter *Pomponium* & *Senecam* etiam (*r*) *Præfationibus* tractatum eſt, *an gradus eliminat, apud Accium in Tragœdia dici oportuiſſet*. Erat enim *Rhetorum* illa potius, quam *Oratorum*, de re *Grammatica* diſputatio. Et *Præfationes* illæ ad *profeſſionem* ſpectabant, ut modo vidimus in cauſa *Valerii Liciniani*. Et quidem erat, cum *Præfationes* illas ederet, jam certe *Senator Seneca*. Revocatus ab exilio (*ſ*) *Prætor* deſignatus eſt anno Æræ noſtræ XLIX. cum ne quidem *juvenis* ætatem attigiſſet *Quintilianus*. Qui autem *Prætor* deſignatus eſt, jam olim in *Senatu* fuerit oportet, ante *exilium*, & *honores* etiam geſſerit *Prætura* priores, *Quæſturam* ſaltem & *Tribunatum*, vel *Ædilitatem*. Scio quidem *locum* inter *Prætorios* per ſaltum aliquando dari ſolitum etiam illis qui honores *Senatorios priores* nullos geſſerant. Sic *Magiis* ſuis datum teſtis eſt (*t*) *Velleius*. Sic etiam ſæpenumero *Principibus* Imperii *heredibus*. Idque fecerint in civium *luſtrationibus*, pro arbitratu ſuo etiam aliquando *Cenſores*. Sed rarius id *civibus*, qualis erat *Seneca*, *privatis* conceſſum legimus. Nec quicquam legi-

(*q*) *Dio.* L. LIX. (*r*) *Quint.* Inſt. L. VIII. c. 3. p. 358. (*ſ*) *Tacit.* Ann. XII. c. 8. (*t*) *Vell.* L. II. c. 16.

mus in illius cauſa proprio aliquo jure actum cur factam exiſtimemus *Legis* aliquam *indulgentiam.* Sic porro (ut ad inſtitutum noſtrum redeamus) *M. Aprum* & *Julium Secundum* audiverat Auctor (*u*) Dialogi de *Oratoribus.* Et tamen *latum clavum* jam acceperat, ut ex ipſa ejus Oratione conſtat, (*x*) *Marcus Aper.* Etiam *Quæſturam*, *Tribunatum*, & *Prætoram*, qui tamen erant honores *Senatorii.* Sed hæc eadem facere *domi* ſuæ, aut in domibus, in quibus recitabant, *conductitiis*, ne quidem *Senatorem* dedecebat *locum* in Senatu obtinentem. In *Schola* autem qui faceret, is *Profeſſor* appellabatur, quo ſenſu vox illa ad vitæ artificia extendi ſolebat. Is *Scholaſticus* à Schola cognomen illud adeptus. Eundem autem cum (*y*) *Scholaſtico Rhetorem* fuiſſe docet Auctor ille Dialogi *de Oratoribus.* Hoc ergo munus erat in viro *Senatorio* minus decorum. Et talis fuerat, cum *Scholæ publicæ* præeſſet, *Rhetor* noſter *Quintilianus.*

Non tamen illud obſtabat quo minus *nuptias filia* ejus conſequeretur *Senatorias.*

XXXI. Non tamen illud obſtabat quo minus *nuptias filia* ejus conſequeretur *Senatorias.* Nec enim *infamis* erat ipſa illa *Rhetorices profeſſio*, quamvis *inferiori* loco haberetur præ dignitate *Senatoria.* Imo liberalia illa ſtudia maximi faciebant etiam *Senatores* qui non *cenſus* illius externive, qui in *Senatore* neceſſarius erat, *ſplendoris* rationem ſolam habendam eſſe cenſerent. Inde *Quintilianum* noſtrum *modicum facultatibus*, *animo* tamen *beatiſſimum* prædicat diſcipulus *Plinius.* Eo nimirum ſenſu *beatiſſimum* quo *vetulam* divitem *beatam* appellat (*z*) *Juvenalis*, pro coævo illorum temporum ſermone. Itaque qui ſtudia illa magni faciebant *Senatores*, ne quidem conditiones *Eruditorum* aſpernabantur. Ita *Pompeius Ju-*

(*u*) Dialog. c. 2. (*x*) Cap. 7. (*y*) Cap. 35. (*z*) Juv. Sat. I. v. 39.

lianus

lianus Provinciæ princeps inter altiſſimas [nuptiarum ſcilicet] *conditiones, generum non honoribus principem, ſed ſapientia, elegit Euphratem*, teſte (*a*) *Plinio*, Philoſophum. Sic etiam *Quintiliani* è priori matrimonio (*b*) *filium* heredem *adoptaverat* pater *Conſularis*, *generum* etiam deſignaverat avunculus *Prætor*. Non ergo eſt quod miremur *filiæ* ejus conditionem tam honeſtam, cum jam majori haberetur in pretio, eſſetque indies in Eloquentiæ fama celebrior; cum jam *diſcipulos* ſuos haberet, adulta nimirum ætate, *Senatores*.

XXXII. *Tempus* autem novi hujus matrimonii è *filiæ*, ni fallor, *ætate* colligemus. Eam ætate *nubili* fuiſſe veriſimillimum eſt, cum *dotis* illam acceſſionem offerret *Plinius*. Scio quidem *ſponſalia* fuiſſe illis temporibus frequentiſſima liberorum etiam *impuberum*. Vix tamen, ut opinor, niſi *ambo* fuiſſent *impuberes*, tam *ſponſus* nimirum quam *ſponſa*. Atqui *Nonii Celeris* ſponſi *ætatem adultam*, ut puto, arguunt *civilia* illa *officia* quæ *neceſſitatem nitoris* illi *imponebant*. Arguit etiam *dotis* fortaſſe conſtitutio, matrimonii *mox futuri* magis propria quam *ſponſalium*. Nec vero è *priori* matrimonio natam exinde colligimus, quod exſtinctis duobus, quos dixi, *filiis* deinde ne quidem *patrimonii* ſui (*c*) *heredem* ſupereſſe queratur *Quintilianus*. Exinde etiam quod *puellam* illam appellet *Plinius*. Non tamen inde quod *puella* fuerit, *impuberem* fuiſſe oportebat. Etiam annis *Pubertati proximis* manſit tamen, pro coævo illorum temporum ſermone, nomen *ætatis Puellaris*. Sic ipſe *Quintilianus* uxorem ſuam *priorem*, quæ annum XIX. attigerat, *ætate* (*d*) *puellari* fuiſſe dicit, ſuæ *comparata*. Cum

Secundam illam *uxorem* An. XCIV. duxit, *filiam* autem An. XCV. ſuſcepit *Quintilianus*.

(*a*) *Plin.* L. I. Ep. 10. (*b*) *Quint.* L. VI. Inſt. Procem. p. 262. (*c*) *Quint.* Procem. L. VI. fin. p. 263. (*d*) *Quint.* ib.

ſuæ

ſuæ *comparatam* ætatem illam *puellarem* appellat, majorem illam *recepta* ætatis *Puellaris* ſignificatione, nec *multo* tamen majorem, agnoſcit. Sic itidem de *uxore* ſua coævus *Quintiliano*, minor tamen, (*e*) *Plinius* : abortum feciſſe, *dum ſe prægnantem eſſe puellariter neſciret.* Quod ſi ætate *nubili* fuerit filia *Quintiliani*, cum *dotem* illam donaret *Plinius*, annum certe *ætatis* XII. exegerit oportet, limitem nimirum *Romanæ*, in *fœmineo* ſexu, *Pubertatis*. *Plinius* autem, poſt annum *Domini* CVII. quo Libros illos Epiſtolarum collegit, ediditque, ſcribere illa non potuit. Antea potuit, nec multo tamen. Rara enim admodum, ſiqua fortaſſe ulla, hic apparent, quæ ſcripſit ante cædem *Domitiani*. Eſto ergo. *Duodecennis* fuerit *filia* illa *Quintiliani* ipſo illo anno quo Epiſtolam illam ſcripſit ediditque *Plinius*. Ita natam illam fuiſſe oportuit anno Æræ noſtræ XCV. Nec adeo *nubere* mater illius potuit ante annum XCIV. ut hæc illius *primogenita* fuiſſet. *Æſtate* enim anni CVII. in ſeceſsu *Laurentino*, Libros priores Epiſtolarum octo collegit *Plinius* emiſitque. Itaque antea jam *Epiſtolam* illam *ſcripſerat*, adeoque antea XII. ætatis annum impleverat filia *Quintiliani*. Vix autem ante annum XCIV. fieri potuit ut *novam* illam *uxorem* duxerit *Quintilianus*. Ita enim Libri VI. initio ſcribit quaſi nec *heredem* haberet, nec vel *ſpem heredis*. Non ita certe ſcripturus ſi de novo aliquo *matrimonio* cogitaſſet. (*f*) *Nos* (inquit) *miſeri, ſicut facultates patrimonii noſtri, ita hoc opus, aliis præparamus, aliis relinquemus.* Nondum ergo anno, pro noſtris rationibus, XCII. jam affecto, de alia uxore egerat, cum tamen jam ultra triennium à prioris uxoris morte effluxiſſet. Inde connixis viribus in hoc *Inſtitutionum* opus incubuit, dum ad

(*e*) *Plin.* L. VIII. Ep. 10. (*f*) Proœm. L. VI. fin. p. 263.

finem

finem illud perduxiſſet, quod ineunte anno XCIV. factum exiſtimamus. Tum demum otium erat cogitandi de novo illo *matrimonio*. Adeoque arcte invicem cohærent hæc omnia, ut longe me à vero *Matrimonii* hujus *tempore* abeſſe non exiſtimem. *Orbam* vero *Patre* hanc uxorem *Quintilianus* duxerit neceſſe eſt, ſi quidem *filia* fuerit *Tutilii*. *Tutilium* enim ſuæ ætatis Scriptoribus accenſet ipſe *Quintilianus*, (ſi quidem idem ille cum *Rutilio*) qua *vivis etiamnum*, cum illa commentaretur ipſe, Scriptoribus opponebantur. Hæc ille Libro Operis tertio. Unde colligimus ante annum XCII. fuiſſe defunctum. Eoque *ordine* recenſet illos *ætatis ſuæ* Scriptores, *Virginium* [Rhetorem nimirum] *Plinium* & *Tutilium*. Si quidem vero *obituum* ordine, ſic omnium *ultimum* neceſſe erit deceſſiſſe *Tutilium*. Atqui *Plinium* (majorem ſcilicet, quem habuit in animo *Quintilianus*) anno (*g*) LXXIX. exceſſiſſe probavimus. Itaque *medio* illo ſpatio deceſſerit *Tutilius* inter anni LXXIX. diem *Auguſti* menſis XXIV. & annum XCII. Et *filiam* tamen anno XCIV. *nubilem* reliquit, *puberem* ſcilicet, adeoque ad minimum *duodecennem*. Si *virginem* duxerit, *Quintilianum* ipſum infra annum LX. fuiſſe neceſſe eſt. Id enim *probri* loco *Ciceroni* objectum ipſe narrat quod (*h*) *ſexagenarius Popiliam virginem* duxiſſet. Recte & illud, pro noſtris hypotheſibus, quæ illum *quinquagenario* propiorem faciunt quam *ſexagenario*.

XXXIII. Ita vitam *Quintiliani* ad annum uſque CVII. Æræ noſtræ *Chriſtianæ* produximus, quo illam de *filiæ* nuptiis Epiſtolam ſcripſit *Plinius* diſcipulus. Nimirum ultra annum Climactericum magnum tot viris maximis, pro veterum ſententia, fata-

Superſtes erat, ut exiſtimo, *Plinio* diſcipulo Præceptor *Quintilianus*.

(*g*) Ann. *Plinian.* (*h*) *Quint.* L. VI. c. 3, 4. p. 289.

lem. Quouſque poſtea vixerit, in tanta veterum monimentorum inopia, ſtatuere difficile eſt. Hæc certe ultima illius eſt mentio, quæ quidem hodieque exſtat, indubia prorſus, fideique exploratæ. Nihil ultra conſtat, ni locum conjecturis concedamus atque ratiociniis. Suſpicor tamen illum *Plinio* diſcipulo fuiſſe ſuperſtitem, imo *Hadriani* etiam *Imperium* attigiſſe. Si quidem antea mortuus fuiſſet quam *Plinius* è *Seceſſu* in Provinciam diſcederet, vix, puto, hoc tacuiſſet ipſe *Plinius*. Multos ille coævorum Epiſtolis, cum defungerentur, ornavit: (*i*) *Virginium Rufum*, (*k*) *Corellium*, (*l*) *Saturninum*, (*m*) *Martialem* Poetam, ipſum, quem contemnit, (*n*) *Regulum*. Etiam captavit undequaque Epiſtolarum Argumenta, in *otio* præſertim illo & *ſeceſſu* ſtudiis gratiſſimo. Solumne prætermiſurus, quem maximo in honore habuit, præceptorem *Quintilianum*? Solumne illum qui *Styli* oſtentandi uberrimum præbiturus erat Argumentum *ſtyli* ipſe oſtentator jactantiſſimus? Præſertim jam gliſcente indies *Epiſtolarum fama*, cum jam *memoriæ* cauſa cuperet Epiſtolis *Plinianis* inſeri (*o*) *Geminius*; parentationem certe inferiaſque negare non potuit memoriæ *Præceptoris* longe chariſſimi. Proinde annum illum *ſeceſſus Pliniani* CVII. ſuperaviſſe noſtrum eſt ſane veriſimillimum.

Quintilianus ornamentis *Conſularibus* inſignitus. Si quidem à *Domitiano*, anno Ær. *Chriſt.* XCII.

XXXIV. Quod vero illum ad *Hadriani* etiam tempora pertigiſſe cenſeam, ex *ornamentis* quibus tandem honeſtatus eſt *Conſularibus* elicio. Illum certe *Principis* fuiſſe *Præceptorem*, eoque nomine inſignibus *Conſularibus* ornatum, tradit (*p*) *Auſonius*. Erat, fa-

(*i*) L. II. Ep. 1. L. IX. Ep. 19. (*k*) L. I. Ep. 12. (*l*) L. V. Ep. 7. (*m*) L. III. Ep. 21. (*n*) L. VI. Ep. 2. (*o*) L. IX. Ep. 11. (*p*) *Auſon.* Gratiar. Act. ad *Gratian.* p. 712.

teor,

teor, poſt abdicatum officium *docendi* publicum, cura *nepotum è ſorore* à *Domitiano* illi demandata. Certum hoc ex ipſo (*q*) *Quintiliano*. Horum nomine *ornamenta Conſularia* illi decreta fuiſſe aliquando ſuſpicabar. Sic (*r*) *Verrium Flaccum* è *Schola* in *Palatium* ad *nepotes* ejus erudiendos tranſtulerat *Auguſtus*. Ea tamen conditione ut ne quem amplius poſtea diſcipulum reciperet. Ad eundem plane modum quo *Quintilianum* noſtrum *Schola publica* defunctum ſuis è ſorore *nepotibus* imbuendis præfecit *Domitianus*. Et *viginti* annorum in munere docendi publico factis *ſtipendiis vicariam dignitatem* poſtea *emeriti* loco decreverunt (*ſ*) *Theodoſius* junior & *Valentinianus Cæſar* anno Æræ noſtræ CCCCXXV. Suſpicabar *legem* illam à priorum temporum *exemplis* emanaſſe quibus *Profeſſoribus publicis emeritis* aut *Principum* inſtitutoribus, *honores* plerunque decerni ſolebant. Inde colligebam *Conſularium ornamentorum* tempus vel à fine *viceſimi* in Schola publica *Quintiliani* ſtipendii, vel à *nepotum* illa *Domitiani* inſtitutione eſſe arceſſendum. Atque ea me in ſententia magis confirmabat, quod per *Clementem* Conſularia illa *ornamenta* ſortitum noſtrum teſtetur *Auſonius*. Erant quidem ſub *Domitiano* duo *Clementes* in *Domitiani* gratia celebres, *Arretinus* alius, alius ex eadem qua *Domitianus* ipſe, gente *Flavius*, *Domitiani* è *Veſpaſiani* patris fratre *Flavio Sabino* à *Vitellianis* interfecto *patruelis*. Solus autem in hac cauſa locum habere potuit *Clemens* ille poſterior *Flavius*. Duxit enim ille ipſam illam *Domitiani ſororem* cujus noſter meminit *Quintilianus*, ut nos docet in *Apollonii* vita (*t*) *Philoſtratus*. Imo ipſos illos ex ea *filios* ſuſtulit quorum ſtudiis *Quintilianus* à *Domi-*

(*q*) *Quint.* Pr. L. IV. (*r*) *Suet.* Grammat. c. 17. (*ſ*) Cod. L. XII. Tit. 15. (*t*) *Philoſtrat.* L. VIII. vit. *Apollonii.*

tiano præfectus eſt. Ipſos enim illos *Flavii Clementis filios etiam tum parvulos ſucceſſores palam deſtinaviſſe, & abolito priori nomine, alterum Veſpaſianum appellari juſſiſſe, alterum Domitianum* teſtatur (*u*) *Suetonius.* Ad *adoptionem* plane ſpectare videbatur *nominum* illa mutatio. Ita nimirum ut in illius *familiam* tranſituri viderentur qui nova illis nomina impoſuerat. Ita *Cæſares* fuiſſent & *filii Auguſti* in numis appellandi quos palam *Domitianus* ſucceſſores deſtinaverat, ſimileſque adeo illis de quibus loquitur *Auſonius.* Sic fuerit illorum *inſtitutor*, pro eorum, de quibus ille loquitur, exemplo *honore* aliquo publico remunerandus. Sic recte *Clemens* illorum pater *Conſularia* illa *ornamenta* Præceptori *filiorum* impetrarit. Is, inquam, potius quam *Domitianus* ipſe, quod nondum *plena* peracta eſset *adoptio*, nec adeo è *poteſtate* ejus in *Domitiani Sacra domeſtica* pueri migraverant. Eo etiam ſpectare potuit majoris *Quintiliani* filii à viro *Conſulari* adoptio, & quod *Prætorio* jam *avunculo gener* fuerit deſignatus. Nec diu ante pueri *obitum* fuiſſe ambos illos ejuſdem *honores* è patris *Quintiliani* teſtimonio facile colligitur. Tum vero admodum opportuni fuiſſent, patre jam *Conſularia ornamenta* ſortito, parem nimirum honorem cum viris *Prætoriis* atque *Conſularibus.* Hic ergo *Clemens* ſi *Conſularia* illa *ornamenta Quintiliano* noſtro impetraverit, à vero *tempore* quo fuerint impetrata longe aberrare non poterimus. *Clementem* illum tantum non in ipſo ejus *Conſulatu Domitianum* interemiſſe docet *Suetonius.* Si quidem de *menſibus* loquitur quibus *Conſulatum* ipſum geſerit, ſic anni XCV. menſe *Martio ineunte* cæſus fuerit *Clemens*, nec potuit adeo poſt illum ipſum *menſem* Conſularia ornamenta conſequi *Quintilia-*

(*u*) *Suet.* Dom. c. 15.

nus.

nus. Sed nec *antea* illa conſequi idem potuit quam *Studiis puerorum* præficeretur, quod factum anno, pro noſtris rationibus XCII. Sic medio illo ſpatio inter annum XCII. & XCV. concludi oportebit *Quintiliani* noſtri *ornamenta* illa *Conſularia*, ſi quidem illa, & propter *pueros illos*, & illo impetrante *Clemente*, fuerit conſecutus. Imo ipſo illo anno XCII. quo *pueris Præceptor* datus eſt, ſi hæc patris *ornamenta Conſularia* in cauſa fuerint cur *filium Quintiliani* pater *Conſularis* adoptaverit, & *generum* eundem *Prætorius avunculus* deſignaverit. *Nuper* enim, cum moreretur, *Conſulari adoptione ad omnium ſpes bonorum patris admotum*, teſtis eſt de filio *Quintilianus* ipſe pater. Satis nimirum commode inter Libri IV. *Inſtitutionum* & VI. initia.

XXXV. Sic equidem hunc *Quintiliani honorem* diſponendum eſſe crederem, ſi horum *puerorum* cauſa illum, & hoc *Clemente* impetrante, fuiſſet conſecutus. Potius tamen eo propendeo, ut propter *Hadrianum*, eoque adeo *Imperante*, *ornamenta* illa noſter acceperit. De *Auguſtorum* enim *præceptoribus*, qualis ipſe fuerat *Auguſti Gratiani*, loquitur *Auſonius*. *An tu* (inquit) *ſolus præceptor Auguſti? Immo ego cum multis conjunctus officio, ſed cum pauciſſimis ſecretus exemplo.* Proinde *Auguſtorum* duntaxat *præceptores* in ſequentibus commemorat. Pergite deinde: *Nolo Conſtantini temporum taxare collegas*: *Cæſares docebantur.* Hic palam oſtendit, ita ſibi conſilium eſſe ſolos *Auguſtos*, *Auguſtorumque Præceptores* recenſendi, ut ne quidem *Cæſarum* præceptores memorare vellet. Et fuit quidem *Auguſti Neronis* Præceptor *Seneca*. Et *Auguſti* magiſtrum *Frontonem*

Non tamen propter illos *Domitiani nepotes*, ſed propter *Auguſtum* aliquem cujus *Præceptor* fuerit, *Quintiliani* nus *ornamenta* illa *Conſularia* conſecutus eſt.

Marci appellat ipſe *Auſonius*. Unicus eſt de quo ulla poſſit eſſe ſuſpicio *Auguſtuſne* fuerit, *Maximinus* junior, ſeu potius *Maximus*, (ſic enim illum appellant coævi *numi*) *Maximini Thracis* filius cujus præceptorem *Titianum* hic adducit *Auſonius*. Sunt tamen etiam in illius numis argumenta *Auguſtum* illum à Patre tandem fuiſſe appellatum. PIETAS AUG. in averſa parte legitur apud Cl. (*x*) *Begerum* è Theſauro *Palatino*. Et VICTORIA AUGUSTORUM in uno, VICTORIA AUG. in alio numo apud Cl. *Mediobarbum*. Itaque pro *Auguſti* Magiſtro *Quintilianum* noſtrum habuit *Auſonius*, quo titulo ipſe etiam alibi ſæpe gloriatur. Atqui tantum abeſt ut *Auguſti* fuerint *Domitiani* illi *nepotes*, ut ne quidem ullos illorum *numos* habeamus qui vel *Cæſares* illos, vel *Auguſti filios* agnoſcant. Imo *nepotes* illos non *filios Domitiani* appellat ipſe *Quintilianus*. Inde colligitur, cum Librum IV. ipſe ſcriberet, cum *ſtudiis* illorum præficeretur, nondum illos à *Domitiano* fuiſſe *adoptatos*. Nulla prorſus illorum occurrit, poſt *cædem Domitiani*, in Hiſtoria mentio, quæ tamen merito expectanda erat ſi *publico* aliquo *titulo* illos *Domitianus* inſigniviſſet. Ad cauſam ergo quam egit *Auſonius*, nihil plane faciebat *nepotum Domitiani* illud *Magiſterium*.

Auguſtus ille vix alius eſſe potuit quam *Hadrianus*.

XXXVI. Quod ſi ab *Auguſto* aliquo diſcipulo *Conſularibus ornamentis* inſignitus fuerit noſter, quærendum deinde erat, quis ille eſſe potuerit. *Domitianum* certe ſi inſtituiſſet, vix tacuiſſet ipſe *Quintilianus*, cum de honore illo loquitur quo *nepotum* curæ ipſe ab eo fuiſſet admotus. Majoris enim gloriæ fuiſſet ſi *Auguſtum* ipſum docuiſſet quam ſi *filios Auguſti*. Succeſſit *Nerva Quintiliano* ipſo æta-

(*x*) *Beger.* num. 51.

te

te *major*, ne *diſcipulus* eſſe poſſet. *Trajanus* annos *Oratoriæ* dari ſolitos in *caſtris* egit, ut (*y*) alibi oſtendimus. Imo *expertem* illum *bonarum artium* & *ignarum* fatetur *Dio*, adeo nimirum à *Quintiliani diſciplina* alienum, ut nec alium aliquem *Oratoriæ Magiſtrum* habuerit. Proinde ſupereſt ſolus *Hadrianus* cujus *Magiſter* eſſe potuit ſi quidem *Auguſtum* ille *diſcipulum* habuerit. Et quidem illum conſtat artium *liberalium omnium* fuiſſe peritiſſimum. Erat præterea *Hadrianus Romæ*, cum *Scholam* abdicaret *Quintilianus*, & *ætate* etiam illa quæ *Rhetoribus* dare operam ſolebat. Anni enim LXXXVIII. fine annum ætatis egit XIII. jam *pueris grandioribus* accenſendus quos apud *Rhetoras* ſtuduiſſe jam probavimus. Nec antea *Roma* in *patriam* conceſſit quam juſtam *pueri* ætatem penitus expleviſſet, ſumſiſſetque togam *virilem*. Potuit ergo eouſque *Quintilianum* docentem audire, ſed *privatus* adhuc, & ne *ſpei* quidem *Imperatoriæ*, cum *ſpem* adhuc nullam *Imperii* concepiſſet vel *Trajanus* ejus avunculus. Ut tamen *Quintilianum* in *Schola* docentem non audiviſſet *Hadrianus*, cum operam ille ſtudiis *Rhetoricis* nondum daret; aliud nihilominus tempus erat quo ſe *Oratoriæ* addixerit, & quo *Quintiliani* diſciplinam ſaltem *domeſticam* ſatis commode habere potuerit. Quæſtor *Hadrianus* anno CI. *cum Orationem Imperatoris in Senatu agreſtius pronuncians riſus eſſet, uſque ad ſummam peritiam & facundiam Latinis operam dedit*, inquit in vita (*z*) *Spartianus*. Hoc autem ipſo tempore *Quintilianum* adhuc *Romæ* fuiſſe è *Plinio* juniore conſtat. Eundem poſtea jam *principem profeſſores omnes* (in illis etiam *Rhetoras*) *& honoraviſſe*, *& divites feciſſe* idem docet (*a*) *Spartianus*. Vix eſt

(*y*) Præl. IV. ad *Spart.* Adrian. §. 5. (*z*) *Spart.* Adr. c. 3. (*a*) *Spart.* ib. c. 16.

quod

quod dubitemus quin hoc numero fuerit, ſi quidem adhuc in *vivis* eſſet, noſter *Quintilianus*. *Profeſſor* ille nimirum olim *publicus*, & *publico* etiam *ſtipendio*. Imo honorem illum *ornamentorum Conſularium* habuiſſe jam docuit *Auſonius*. *Juvenalis* etiam (*b*) *divitem* agnoſcit, & *fato* potius cuidam imputat quam ſtudio *Rhetorices*. Sic enim ille :

Unde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus ? exempla novorum
Fatorum tranſi : felix & pulcer & acer :
Felix & ſapiens, & nobilis, & generoſus
Adpoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Cum *divitiis* hic & *nobilitatem felici* tribuit, & quidem *Senatoriam*. Illorum enim erant *Lunulæ* illæ calceis adſutæ. Inde *patriciam Lunam* illam appellat (*c*) *Statius*. Nec certe propter gentes *Patricias* proprie ſic dictas, quæ erant *Senatorum* ſub *Romulo*, ſed quod *Senatorum* propria eſſet qui *Patres conſcripti*, etiam *minorum gentium* appellabantur. Innuit etiam poſtea *nobilitatem Conſularem* verbis illis :

(*d*) *Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul ;*
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.

Hæc ſane cum *Quintiliani* cauſa dicat, vix eſt quin *Quintilianum* talem oſtendant, è *Rhetore* nimirum *nobilem*, *Senatorium*, *Conſularem* ; & quidem illis *divitiis* inſtructum quæ eſſent etiam ad cenſum *Senatorium* neceſſariæ. Jam enim olim ante hæc *Quintiliani* tempora ad locum in *Senatu* capiendum neceſſarius erat, præter *natales*, etiam *cenſus Senato-*

(*b*) *Juv.* Sat. VII. v. 188, 189, 190, 191, 192. (*c*) *Stat.* L. V. Sylv. 2. v. 28. (*d*) Ib. v. 197, 198.

rius.

rius. Is erat, his *Quintiliani* temporibus, teſte (*d*) *Juvenale*, *triplex equeſtris*, qui cum *quadringenti* eſſet *ſeſtertium*, *Senatorius* proinde valebat *duodecies HS.* Et quidem ab ultimis *Auguſti* temporibus. Auxit enim ille veterem *Senatorum cenſum* nunc ad *decies*, tandem vero ad *duodecies ſeſtertium*, ut è (*e*) *Dione* colligitur & (*f*) *Plutarcho*, ſuffragante etiam in cenſu ſeſtertium duodecies (*g*) *Suetonio.* Itaque hanc ſummam explere illum oportebat qui locum in *Senatu* tenere vellet. Neceſſarium ſane ad *ſumtuoſam* illam, quam appellat *Plinius*, *dignitatem* cum decore ſuſtinendam. Inde factum ut quos vellent in *Senatum* adlegere, iis, ſi aliunde non ſuppeteret, *cenſum* auxerint ipſi etiam *Auguſti.* Præivit *Auguſtus* ipſe primus qui cum *cenſum*, pro eo quo dixi modo, ampliaſſet, (*h*) *ſupplevit non habentibus.* Secutus eſt *Auguſtum* (*i*) *Tiberius.* Inde in exemplum tranſiit apud ſucceſſores. Alioqui oneroſus futurus erat, nec adeo expetendus *ordo* etiam *ampliſſimus* ſi deeſſent *expenſæ.* Inde *Propertium Celerem* virum *Prætorium veniam ordinis ob paupertatem petiiſſe* dicit (*k*) *Tacitus.* Inde *Tribunatus*, ſi deeſſent candidati, *Senatores* ex *equitibus* creavit *Auguſtus*, ea tamen lege, (*l*) *ut poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine manerent.* Quoties nimirum metueretur gradus *Senatorius* propter *expenſas.* Inde denique toties legimus, etiam apud *juniores Auguſtos*, decretos *honores* cum *ſumtibus.* Proinde non eſt quod dubitemus, quicunque demum *ornamenta* illa *Conſularia Quintiliano* noſtro decrevit *Auguſtus*, eundem etiam *divitias* honori ſuſtinendo pares illi decreviſſe. Erant quidem *ornamenta* illa *Conſularia Conſulatu* ipſo nonnihil in-

(*d*) *Juven.* Sat. XIV. v. 326. (*e*) *Dio* L. LV. (*f*) *Plutarch.* Anton. (*g*) *Suet.* Aug. c. 41. (*h*) *Suet.* Aug. ib. (*i*) *Tacit.* Ann. I. c. 75. (*k*) *Tacit.* ib. (*l*) *Suet.* Aug. c. 40.

feriora. Proinde *honeſtamenta nominis potius quam inſignia poteſtatis* viſa teſtatur *Auſonius*. Inde (*m*) *Conſularia ornamenta Prætoriis* etiam viris conceſſit *Julius*. Et, cum *Conſulatum* ipſum dare gravaretur, *Conſularia* tamen (*n*) *ornamenta Claudio* detulit *Auguſtus*. Imo *Procuratoribus* ſuis *ducenariis Conſularia ornamenta* indulſit ipſe *Claudius*. Rei tamen ipſius vicem ſupplebant illa *ornamenta*, pariter ut ſupplebant triumphi juſti locum *ornamenta triumphalia*. Proinde non eſt quod dubitemus quin & *Conſulatus* loco fuerint *ornamenta* etiam *Conſularia*. Honor proinde *Senatorius*, ſumtuumque adeo *Senatoriorum*, qui *vicem* geſſit *honoris* in *Senatu ſummi*. *Jura* certe habuit *Conſularia*, ſi minus *ſententiæ* inter *Conſulares* in *Senatu* dicendæ, at ſaltem *trabeæ Conſularis* atque *clientelæ*. Illa certe ad minimum *jura* quæ *ſumtus* exigerent. Atqui certum eſt ita nondum *Domitiano* Imperante, ut ne quidem cum ſcriberet *Plinius* diſcipulus ſub *Trajano*, *Quintiliano* noſtro *divitias* fuiſſe *Senatorias*. *Modicum facultatibus ſcio*, inquit ille ipſe (*o*) *Plinius*. Præ cenſu ſcilicet *Senatorio*. De *filiæ* enim ibi *nuptiis* agit *Senatoriis*.

Non ſibi conſtat recepta illa opinio, quòd ſub *Domitiano* ſcripſerit, & à *Paride* actus ſit in exilium *Juvenalis*.

XXXVII. Sed vero *Juvenalem* ſcripſiſſe ante *Plinium* recepta eſt, fateor, etiam apud *Eruditos*, opinio. Inde nimirum oriunda quod *irati hiſtrionis exulem* illum appellet *Sidonius Apollinaris*. *Iratum* illum *hiſtrionem Paridem* intelligunt, & quidem *poſteriorem* illum *Paridem* propter *Adulterium* cum *Domitia* occiſum à *Domitiano*. Ab illo credunt *Paride*, propter paucos quoſdam *Satyræ*, quibus illum perſtrinxerit, *verſus* pulſum fuiſſe in exilium *Juvenalem*, *miſſum* nimirum *per ſpeciem honoris ad præ-*

(*m*) *Suet.* Jul. c. 76. (*n*) *Suet.* Claud. c. 5. (*o*) *Plin.* L. VI. Ep. 32.

fecturam

fecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti. Inde nunquam *rediiſſe*, verum *intra breviſſimum tempus angore & tædio periiſſe.* Hæc ſi vera eſſent, ſic ante *repudium Domitiæ*, quo tempore *Paris* occiſus eſt, oportuit ſcripſiſſe *Juvenalem.* Aliquot certe annis ante *conſecrationem Juliæ*, quæ anno periit, ut vidimus, Æræ noſtræ XCI. multis certe ante finem *Domitiani* annis, cui adeo ipſe *ſuperſtes* eſſe non potuit. Ita *periiſſe* neceſſe erat, antea quam ſcriberet *Plinius*, tantas illas *Quintiliani divitias.* Quo tandem, quæſo, illius *merito*? Quo etiam *infeſto Principe*, cum *Domitiani* gratia eſſet florentiſſimus? Ubinam ergo *beatitudo* ejus illa quam adeo in illo celebravit diſcipulus *Plinius*? Mirum eſt profecto nondum vidiſſe Eruditos quam hæc omnia inepte invicem cohæreant. Atqui illud ipſum ſuſpectam hanc ſententiam facere potuit, quod longe veriſimilius eſt à *modicis* illis *facultatibus* quas memorat *Plinius* ad *divitias* noſtrum (quarum meminit *Juvenalis*) aſcendiſſe, quam viceverſa illum à *divitiis* ad *modicas facultates* recidiſſe. Ita certe cum nullo prorſus inſigni infortunio notatum obſervarunt veteres.

Ne *Veterum* quidem hic hallucinantium teſtimonia ſatis ipſa ſibi conſentiunt.

XXXVIII. Sed miri ſunt in hac univerſa cauſa tam recentiorum quam etiam veterum errores. *Paridem* illum *ſeniorem* intelligunt *vitæ Juvenalis* Auctor Anonymus, & vetus ille quem habemus *Juvenalis interpres*, *Claudii* nimirum *Neronis* libertum à Patrono ipſo, ut teſtantur (*p*) *Dio* & (*q*) *Suetonius*, interfectum. Proinde ad *Neroniana* tempora illa refert *Scholiaſtes* in quibus *Paridis* mentionem fecit *Juvenalis.* Ita *Domitiani* tempora pertingere *Juvenalis* non potuerit, qui paulo poſt *exilium* obierit, quod tamen, vel ex ipſo *Satyrarum*

(*p*) *Dio* L. (*q*) *Suet.* Neron.

opere, conſtat eſſe falſiſſimum. Atqui *juniorem* illum fuiſſe *Paridem* à *Domitiano* cæſum, quem perſtrinxit *Juvenalis*, vel inde conſtat, quod *Statium* Poetam dicat, poſt recitatam cum laude *Thebaidem*, *Agauen* ſuam Tragœdiam *Paridi* illi vendidiſſe. Hic ſane *Statius* ab eo quem habemus, alius eſſe non potuit. Ediderat ille *Thebaidem* ſuam paulo antea quam primum ederet *Sylvarum* librum. Probatam nimirum antea recitationibus. Ita poſt initium *Domitiani*, & tamen ante *Paridis* cædem, & repudium *Domitiæ Agauen* vendiderit oportet *Statius*. Adeo præterea certum eſt, poſt *cædem Domitiani Satyras* ſcripſiſſe *Juvenalem*, ut mirum ſit profecto monitos à (*r*) *Lipſio*, & (*ſ*) *Salmaſio* de eo amplius dubitare poſſe viros Eruditos. Non repeto hic Argumenta jam ab illis olim obſervata. Novum addo quod illos fugerat, ſed vero longe certiſſimum. (*t*) *Marium* ille *Priſcum* dicit nuper *Afros diſcinxiſſe*, proinde *exulem* factum damnatum repetundarum. Sic tamen ut *diis* ipſe *iratis frueretur*, *Provincia* autem *victrix ploraret*. Hanc ipſam *Afrorum* cauſam coram *Trajano* 3^m. Conſule (*u*) *Plinius* egit menſe *Januario* anni C. Et quidem eo eventu ut rapta *fiſco* addicerentur, quæ cauſa erat *Provinciæ plorandi*, reliquis ipſe in *exilio frueretur*. Sunt & illa *Juvenalis* de *Domitiano* verba:

(*x*) *Cum jam ſemianimem laceraret Flavius urbem*
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni, &c.

Hæc verba ad *exilium* Poetæ retulit vetus Scholiaſtes: *Propter quod* (inquit) *ſub ſpecie honoris relegatus eſt ad cohortis curam in Ægypto, Hoaſa, ubi*

(*r*) *Lipſ.* L. IV. Epiſt. Quæſt. Ep. 20. (*ſ*) *Salmaſ.* in *Solin.* Polyhiſt. (*t*) *Juvenal.* Sat. I. v. 47, 48, 49, 50. Sat. VIII. v. 120. (*u*) *Plin.* Paneg. c. 76. & L. II. Ep. 11, 12. (*x*) *Juven.* Sat. IV. v. 37, 38.

mortuus

mortuus eſt. Sed mitius fingitur *Domitiani*, quam fuit, ingenium, cum verba illa *exilio* expiata credunt, & quidem *tali exilio* quod *ſpeciem* haberet *honoris*, quod *Præfectura* potius quam *exilium* appellaretur. Fuit quidem *Juvenalis* in *exilio*, etiam in *Ægypto*, ut è *Satyra* ejus colligitur 15ª. Non tamen certe ſub *Domitiano*. Imo *Juvenalem* in ipſa *Subura* memorat (*y*) *Martialis*, anno poſtquam in patriam rediiſſet (quod *Trajani* 3°. Conſulatu factum) ad minimum III. Æræ noſtræ *Chriſtianæ* CIII. poſt cædem *Domitiani* VIII. cum tamen *tædio & angore* (*exilii* ſcilicet) *mortuum* teſtetur *vitæ* Auctor Anonymus. Nunquam redierit oportet qui *tædio exilii & angore* ſit *mortuus*. Fieri tamen vix potuit quin *redierit*, *Nerva* exules *revocante*, qui à *Domitiano* fuiſſet *relegatus*, ſi quidem *Domitiano* fuiſſet *ſuperſtes*. Præſertim ille qui per *ſpeciem honoris* exulaverat. Ita pugnant omnia quo minus vera eſſe poſſit recepta illa ſententia.

Miſſus eſt *Juvenalis* in *exilium* ab *Hadriano*. Et quidem anno Æræ *Chriſtianæ* CXVIII.

XXXIX. Sed vero à *Sidonii* illo teſtimonio pendent recepti illi errores *irati hiſtrionis exulem Juvenalem* appellantis. Addit præterea manifeſtam, ut putat, *Suidæ* Auctoriſque veteris qui *vitam Juvenalis* conſcripſit, Cl. *Rychius*. Atqui non idem dicunt illi, ut mox videbimus, quod putat ille dicere *Sidonium*. Ego potius viciſſim ex *illis* explicandum exiſtimo *Sidonium*. Sic autem ſe rem illam totam habuiſſe cenſeo. *Exul* erat, uti jam dixi, *Juvenalis* cum *Satyram* ſcriberet XV. Hoc confirmat etiam in v. 27. Scholiaſtes: *De ſe* (inquit) *Juvenalis dicit, quia in Ægypto militem tenuit, & ea promittit ſe relaturum quæ ipſe vidit.* Proinde rixæ illi ipſe adfuit quam deſcribit inter *Ombitas* & *Tentyritas*. Tempus autem ipſe deſignavit rixæ illius,

(*y*) *Martial.* L. XII. Ep. 18.

cum & *nuper* illam contigiſſe dicit, & quidem *Conſule* (z) *Junio*. Scio quidem *Vincum* nonnullos, *Juncum* alios in loco illo legere. Id quoque ſcio in Inſcriptionibus, non tamen horum temporum, occurrere *Æmilium Juncum*. Sed, quicunque demum is fuerit *Conſul*, *Ordinarium* certe fuiſſe veriſimillimum eſt. *Deſignatis* enim *Conſulibus* res extra *Italiam* geſtas ſignare non ſolebant, teſte (a) *Dione*. *Juncum* autem aut *Vincum* nullum prorſus agnoſcunt horum temporum *Faſti* inter *Conſules Ordinarios*. Rectius ergo *Junium* reponunt *Codices* & *fide* pariter & *numero* potiores, ne quidem *metri* ratione refragante, ut jam olim obſervavit *Salmaſius*. Et quidem *Junium* duplicem habent *Faſti* coævi *Juvenali*, alium *Domitiani* in X. Conſulatu collegam *Appium Junium Sabinum*, anno *Domini* LXXXIV. alium *Hadriani* in ſuo itidem *Conſulatu* III. collegam *Q. Junium Ruſticum*. Quo minus prior intelligi poſſit, obſtant illa omnia quæ in his ipſis *Satyris* occurrunt *Domitiani* temporibus recentiora. Poſteriorem ergo intellexerit oportet anno Æræ receptæ CXIX. Hoc ergo anno erat in *exilio Juvenalis* teſtis earum, quas deridet, rixarum. Sed vero *Roma* illum ejicere non potuit *Trajanus* qui ab anno uſque CXII. *Romæ* ipſe non adfuit, nec etiam ante annum CXVIII. quo *Romam* venit Imperator, *Hadrianus*. *Romæ* enim nata eſt exilii *occaſio*, quod *Romæ Satyras* recitaverit, quod *Romæ ſecundis* omnium *ſuffragiis* exceptus fuerit, quod *Romæ* Princeps ille, quicunque fuerit, *ingeniis* faverit, *Præfecturiſque Poetas* remunerari ſolitus fuerit, & quidem interpellantibus (qui *Paridis* in loco videri poſſent) ſeu *amicis*, ſeu *libertis*. Inde enim factum, ut quæ in *Paridis* olim *defuncti* opprobrium ſcripſiſſet *Juvenalis*, ea *Princeps* in ſuam amicorum-

(z) *Juv.* Sat. XV. v. 27. (a) *Dio* L.

ve

ve aut etiam *temporum* ſuorum contumeliam acceperit. Inde nimirum, ut *levi* atque *joculari* delicto, ut obſervavit *vitæ* Auctor, par etiam pœna decerneretur. *Semeſtres Paridis militias, Tribunatus* ſcilicet, *Poetis* venditas exprobrat (*b*) *Juvenalis.* Ita nimirum ut *Præfectos Pelopeia, Tribunos Philomela* fecerit. Proinde ipſe *cohortis Præfectura* donatus eſt, quaſi *Satyrarum* præmio. Plane hoc pro indole *Hadriani* ſatis *jocularі*, & *pœnæ* loco, & in *ſpeciem honoris.* Objectat ille *venalia* illa Poemata emtorum nomine edita, captatoſque adeo ab illis alienorum operum honores. Neſcio an proinde *ingenii* ſui fœtus ſub *libertorum* nomine ediderit *Hadrianus* (hoc enim de eo teſtatur (*c*) *Spartianus*) quo ſe adeo alienum oſtenderet à convitio illo captandi debitos alienis operibus honores, ut contra ſua alienis nominibus ſuppoſuerit, & quidem, qualis *Paris* fuerat, *libertorum.* Itaque & *Romæ* fuerit oportet, & ſuæ indolis experimenta dederit in literatos munificentiſſimæ, cum *Juvenalis* illa in ſe dicta ſuſpicari poſſet *Hadrianus.* Sic ante anni CXVIII. finem, aut CXIX. initium, mitti vix potuit in exilium *Juvenalis.* Erat autem, cum relegaretur, *octogenarius.* Proinde *natus* fuerit vel anni XXXVIII. fine, vel XXXIX. initio. Inde reliqua *Juvenalis* tempora erunt arceſſenda.

XL. Ait *vitæ* Auctor, ad *mediam* fere *ætatem declamaſſe, animi magis cauſa, quam quod Scholæ aut foro præpararet.* Suffragatur & ipſe, cum ait ſe *conſilium dediſſe Syllæ, privatus ut altum dormiret.* Plane *declamatorium* illud erat Argumentum. Inde *facundiæ* nomine illum celebrat *Martialis.* Recte nimirum ille, fatiſque, pro *temporum* ratione, congrue.

Eodem illo anno CXVIII. poſtquam *Romam* veniſſet *Hadrianus*, Satyras *omnes* ſcripſit, recitavit, edidit-que *Juvenalis.*

(*b*) *Juvenal.* Sat. VII. v. 88, 89. 92. (*c*) *Spartian.* Adrian.

Media

Media enim *ætas Juvenalis* incurret in annum, pro noſtris hiſce calculis, LXXVIII. vel LXXIX. multis antea annis quam ſcriberet illa *Martialis*. Sed nulla adhuc memoratur ejus celebritas à re *Poetica*, ne quidem à *Quintiliano* ubi agit de ſcriptoribus *Satyrarum*. Non equidem, ut ſuſpicatur *Rigaltius*, quaſi illum læſiſſet hoc ipſo *Satyrarum* opere *Juvenalis*. Tantum abeſt ut id moleſte ferre poſſet noſter, ut ſane contra nuſpiam illius, niſi cum honore, meminerit. Sed monet noſter Lectorem aliquoties ſe dedita opera à (*d*) *nominibus viventium* abſtinere. Et multis poſtea annis ſcripſit *Juvenalis* illas, quas habemus, *Satyras*. Addit enim vitæ Auctor, poſteaquam *declamationibus* inclaruiſſet: *Deinde paucorum verſuum Satyra non abſurde compoſita in Paridem pantomimum, poetamque Claudii Neronis, ejus ſemeſtribus militiolis tumentem, genus ſcripturæ induſtrioſe excoluit*. Proinde *unicam* illam fuiſſe *paucorumque verſuum Satyram* innuit quam *primam* ſcripſit *Juvenalis*: Eam cum *non abſurde compoſitam* ipſe judicaſſet, inde animos ſumſiſſe ad *genus Scripturæ induſtrioſe excolendum*. Manſit tamen intra privata Auctoris ſcrinia prima ejus illa in hoc genere ſcribendi exercitatio. Adeo nimirum ab eo nondum edita, ut ne quidem amicorum Auditoriis recitanda crederetur. Sic enim ſubjungit Auctor: *Et tamen diu ne modico quidem Auditorio quicquam committere eſt auſus*. Id quod etiam primis *primæ Satyræ* verbis ſatis aperte ſignificat ipſe *Juvenalis*. Nec enim alio ſpectare videntur illa in quibus queritur tamdiu ſe fuiſſe Poetarum recitantium *auditorem*; ſemper *clamaſſe Frontonis platanos, & convulſa marmora, ruptaſque aſſiduo lectore columnas*; cum ipſe ſcilicet nondum in eo Scripti genere aliorum patientiam exercuiſſet. Tam longe aberant

(*d*) *Quint.* L. III. c. 1. p. 113. L. X. c. 1.

illa

illa à *Paridis* ira concitanda, ſi vel ſuperſtite *Paride* fuiſſent ſcripta, eum irritare non poſſent, cum nondum emanaſſent in *publicum*. Nec tamen veriſimile eſt ante cædem *Paridis* vel illam *paucorum verſuum Satyram* ſcripſiſſe *Juvenalem*. Nihil fateor, de ſcriptionis *tempore* accuratum tradidit quem unicum habemus de his rebus teſtem, *vitæ* Auctor Anonymus. Id unum indicat, poſt *mediam ætatem* ad illa *Juvenalem* ſtudia deflexiſſe. Sed nihil plane de ſtudiis ejus *Poeticis* Poeta (*e*) *Martialis*. Is tamen ſe ita *Juvenali* familiarem fuiſſe gloriatur, ut non magis *Pyladi* amicus fuerit *Oreſtes*, aut *Theſeus Pirithoo*, ne vel *arcana Juvenalis* ſtudia *Martialem* latuiſſe ſuſpicemur. Imo (*f*) à *mortuis* ille prudenter abſtinendum eſſe cenſet. Tantum abeſt ut *vivum Paridem*, vel in *prima* illa *Satyra* laceraret. Juniorum ergo Auctorum iſta ſunt tantummodo *ratiocinia*, non autem è veterum monimentorum coæva fide depromta *teſtimonia*. Cum vero *genus ſcripturæ induſtrioſe excoleret*, tum & *reliquum Satyrarum corpus* ſcripſit, inque illam, quam retinent hodieque, formam redegit, & ea quoque quæ *prima fecerat novis ſcriptis infercivit*. Sunt enim illa Auctoris Anonymi verba: *Mox magna frequentia magnoque ſucceſſu bis ac ter auditus eſt, ut ea quoque quæ prima fecerat, inferciret novis Scriptis*. Recitavit, ni fallor, omnia, emiſitque in publicum, anno CXVIII. poſtquam *Romam* veniſſet *Hadrianus*, quem ille Principem à benevolo ejus in hæc ſtudia animo in hac ipſa (*g*) *Satyra* in qua occurrunt verba illa de *Paride*, commendat. Inde, ni fallor, animos ſumſit Scripta ſua in *publicum* emittendi. Inde tantus ille *recitantium numerus*, de quo in *prima Satyra*, cum ſpes illa *lucri* appareret, ditante

(*e*) *Martial.* L. VII. Ep. 24. (*f*) *Juvenal.* Satyr. I. (*g*) *Juv.* Sat. VII. v. 1.

profeſſores, uti vidimus, *Hadriano*. Omnes ergo *Satyras* ſub *Hadriano* editas exiſtimamus, non *poſtremas* tantummodo, ut voluit *Salmaſius*. Paratas enim ad editionem uno eodemque tempore fuiſſe vel illud arguit, quod *bis* illas *terque recitaret*. Non ſcilicet *ſeorſim*, ſed *unis continuiſque* recitationibus, quas quidem ante *exilium* ſcripſerat, *univerſas*. Cumque diu ſe à recitatione continuerit, proinde anni CXVIII. *fine*, feriis fortaſſe, quas recitationibus plerunque dabant, *vindemialibus*, non autem *Æſtivis* recitavit. Ultimas *Satyras* à XIII. tum certe ſcriptas nota illa *ſexageſimi* à *Fonteii Conſulatu* anni docet, etiam obſervante *Salmaſio*. Ad *Trajani* etiam tempora exeuntia ſpectabant *terræ-motus* illi quorum mentio occurrit in *Sat.* VI. v. 409, 410. obſervante *Lipſio*. Erat enim *terræ-motus* ille anno, pro noſtris calculis CXIV. exeunte, pro (*h*) receptis autem CXV. itidem exeunte. Et *Frontonem* illum cujus *platani* & *marmora* perpetuis Poetarum recitationibus *ſonabant*, ut nos docet *Juvenalis* ipſo *Satyræ* I. initio, non alium exiſtimo à celeberrimo Oratore *M. Cornelio Frontone Marci Luciique Antoninorum Magiſtro*, qui ſub *Hadriano* præcipue & *Pio* & *Marco* floruit, ne ad tempora *Hadriano* antiquiora poſſit commode referri. Vidit illum certe audivitque ſub *Pio* (*i*) *Gellius*. *Conſulatum* autem ſub *diſcipulo* geſſit, ut videtur, *Marco*. Erant, fateor, alii quoque, illis temporibus, *Frontones*, ut obſervavit olim ad locum junioris *Plinii Catanæus*. In illis etiam *Fronto Catius*, ſub *Trajano*, Orator & ipſe & *Senator Plinio* ipſi coævus & ab eo (*k*) non uno in loco memoratus. Illum grandævum admodum fuiſſe oportet, ſi *Marci* tempora attigerit, ſi *Plinii* tempore *ætate* fuerit *Senatoria*. Eundemque

(*h*) Præl. (*i*) *Gell.* Noct. Att. L. XIII. 27. L. XIX. 8. 10. 13. (*k*) *Plin.* L. II. Ep. 11. L. IV. Ep. 9. L. VI. Ep. 13.

ſane

ſane credidit *Catanæus*. Neſcio an recte. Sed *temporum* ratio, & *favor* in illum *Hadriani*, & par adeo illius in *literatos* ſtudium id efficiunt, ut non alium illum fuiſſe veriſimillimum ſit à *Marci* Præceptore de quo loquitur *Juvenalis*. Id tamen præcipue ſuadet, uti dixi, tantus ille *recitantium numerus* temporibus *Hadriani* convenientior quam *Trajani*. *Trajano* certe Imperante *Romam* ita reliquit *Martialis* ut in *patriam diſceſſerit*, nec inde unquam poſtea redierit. Non alia, ut videtur, cauſa, quam quod *lucri* è ſtudio *Poetices* quærendi ſpes omnis deinceps penitus decollaverit. Proinde veriſimilius exiſtimo, qui anno CXVIII. *Hadrianum* offenderit, miſſum proinde in *exilium* initio anni CXIX. *Erat tum* (inquit *vitæ* Auctor) *in deliciis aulæ hiſtrio, multique fautores ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in ſuſpicionem quaſi tempora figurate notaſſet.* Nempe illa in *Paridem* dicteria *hiſtrionem*, in *ſuum* (cujus nomen non prodidit Auctor) hiſtrionem dicta interpretabatur *Hadrianus*, & *ſe* magis in illo quam *hiſtrionem* ipſum, in hiſtrionis *ſui* perſona notatum, quod *honores* ſuos viris *literatis* conceſſiſſet interpellante *hiſtrione*. Ad *Principes* enim ipſos pertinebant laudes illæ *temporum*, aut convitia. Idque frequentiſſime illis objectum ſiquid perſonis *vilioribus* in Reipublicæ adminiſtratione tribuiſſent. *Servorum libertorumque* gratia nihil fere contumelioſius. *Sexto Pompeio* hoc objectum legimus, & Imperatori *Claudio*. Et multa iſtiuſmodi exempla, ſi opus eſſet, adduci poſſent. Nec tamen *libertorum* dignitas minori erat in pretio quam *hiſtrionum*. Inde *Juvenali* exilii cauſa. Scripſit ergo in *exilio Satyram* XV. Et XVI. ſi tamen vere & illa *Juvenalis* fuerit, quod negatum à pleriſque teſtatur vetus *Scholiaſtes*. Sed cum *nuper Conſulem Junium* fuiſſe dicat, jam ſane cum *Sa-*

tyram illam ſcriberet XV. *elapſum* illum *Conſulatum* innuit. Is ergo cum Conſul fuerit anno CXIX. proinde ante annum ad minimum CXX. ſcribere illa non potuit *Juvenalis*. Nec vero poſtea ſcripſiſſe, exinde colligimus, quod *intra breviſſimum exilii tempus angore ille & tædio* perierit.

Quintilianus eodem anno CXVIII. cum primum *Romam* veniret *Hadrianus*, honoratus ab eo *ornamentis Conſularibus.*

XLI. Conſtitutis ergo illum in modum *Juvenalis* temporibus, jam etiam intelligimus quomodo ſupremi hi *Quintiliani* honores ſint etiam conſtituendi. Vidimus enim certe *Hadriano* antiquiores eſſe ne quidem potuiſſe quos ipſe decreverit *Hadrianus*. Et vero primo illius in *Urbem* adventu decretos fuiſſe veriſimillimum eſt, qui in ipſum illum annum incidit, quem dixi, CXVIII. Tum enim illum multa feciſſe ad populi captandam benevolentiam, teſtantur *Hiſtorici*, teſtantur etiam coævi *numi*. Sic etiam ejus auctor *Trajanus* ipſe, ut è *Plinii* conſtat *Panegyrico*. Nec vero quicquam ad *famam* conciliandam, cujus ille erat aviditſſimus, efficacius eſſe potuit quam ſi *literatorum* benevolentiam demereretur. Nec ulli etiam *literati* facilius in oculos ejus incurrebant qui aliis exemplo eſſe poſſent, quam *profeſſores* ; nec ulli etiam profeſſores quam *Urbani* illi & *publicis* nutriti *ſtipendiis*, quo fuerat noſter in numero *Quintilianus*. Ita certe proclive erat cogitare Principi, qualis erat *Hadrianus*, ipſi *literato* literarumque *ſtudioſiſſimo*. Et qui *primus* legitur è Principibus *Quintilianum* noſtrum *honoraſſe*, in eo quoque præivit, *Galba*, quod mox ab ejus in Urbem *adventu* Scholæ illum præfecerit, & *ſalario publico* inſtruxerit. Hoc ergo exemplo, hoc etiam ipſo tempore, quo Imperium in *Urbe* auſpicatus eſt, *honore* noſter *Conſulari* ab *Hadriano* fuerit ornandus. Sic etiam meminit illius *Juvenalis*, quaſi adhuc eſſet,

ſet, cum illa commentaretur, in vivis. *Quintilianus* (inquit) *habet* &c. Quaſi nimirum *jam* haberet. Nec pugnabat cum Operis conſilio ſi etiam *vivorum* mentionem faceret honorificam. Id ſolum in *prima Satyra* monuerat non alios a ſe *carpendos* præterquam *mortuos*. Quis autem fuerit *Clemens* ille qui *Quintiliano ornamenta* illa ſub *Hadriano* impetraverit, me ſane fateor ignorare. Erat tamen coævus *Plinio Clemens* alius ab utroque *Domitiani* Conſule, *Atrius*, & ſub *Trajano*, ſub quo illam Epiſtolam ſcripſit (*l*) *Plinius*. Fieri poteſt ut hic fuerit *Quintiliani* amicus, ut erat coævus *Plinius*, eique hæc *ornamenta Conſularia* rogaverit, vel commonefecerit potius *Hadrianum* de *Quintiliani* olim in ſe meritis. Sed plus ſatis fortaſſe *conjecturarum*, quibus tamen indulgendum eſt ubi deſunt coæva, & fide digna monumenta. Ita *Quintilianum* ad annum Æræ noſtræ CXVIII. *affectum*, ætatiſque ſuæ LXXVI. deduximus. Vixeritne ulterius, & quouſque, in tanta veterum monumentorum clade affirmare nihil poſſumus. Vix tamen eſt ut diu poſtea ſuperſtes fuerit cujus nulla prorſus mentio occurrit in rebus *Hadriani*, nec in *A. Gellii* ſaltem *Præceptorum* memoriis, nec in *Ælii Veri* fratrumve *Auguſtorum præceptoribus*, nec denique in amicis *Sophiſtis* ipſius *Hadriani* gratia florentibus. Ne quidem *ætas* patitur ut *vitam* multo poſtea produxerit.

Quintiliani vita innocentiſſima.

XLII. Erat autem *Quintilianus* non ab *Oratoria* duntaxat, ſed (quæ laus omnium maxima erat) à *vitæ* etiam integritate celeberrimus. *Oratorem* ille neminem, qui non idem vir *bonus* fuiſſet, agnoſcit. Ne quidem *voluit* eſſe, ſi tamen *poſſet*. *Opinionem* certe viri *boni* ad fidem aliis faciendam neceſſariam eſſe

(*l*) *Plin.* L. IV. Ep. 2.

contendit; nec tamen tueri poſse viri boni *opinionem* diutinam, qui non *intus* bonus fuiſset, & ex animo. Hoc ergo animo cum ad *Oratoriæ* ſtudium accederet; dedit proinde operam, nequis, quod in Oratore ſuo perfecto neceſsarium crediderat, in *ipſo* deſideraret. Ita certe loquitur (*n*) *Juvenalis*, quaſi *Quintiliani* nomine *virum bonum* intelligeret. Ita *Martialis*, quaſi *veniam* ab eo peteret vitæ *luxurioſæ*, nec ad amuſſim virtutis exactæ. Sic enim ille:

(*o*) *Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,*
Da veniam.

Cur illud, quæſo, niſi *vultum* ille tam gravis hominis, tamque ſeveri Cenſoris, extimeſceret? Et *felicem* illum alio in loco (*p*) *Juvenalis*, *beatum* prædicat (ut vidimus) (*q*) *Plinius* diſcipulus. Vidimus quidem illos ad *divitias* alludere *facultatum Juvenalem*, *animi Plinium*. Nec illud fugit, ad *felicem* Prædictionum Aſtrologicarum eventum ſpectare (*r*) *Horatium*, quem hoc in loco imitatus eſt fortaſſe *Juvenalis*. Habuiſſe tamen ambo ob oculos videntur *Stoicorum* Paradoxum de veris *Sapientis divitiis*, illumque adeo habere pro *Philoſophorum Sapiente*. Ita certe *Plinius*, qui nec *Poetas* cogitabat, nec *Aſtrologos*. Sed *Philoſophiæ* nomen profiteri noluit. In illo *Philoſophos* etiam improbavit noſter, quod *alieniores* eſsent à capeſsenda *Republica*, cujus erat ipſe ſtudioſiſſimus. Unde ergo *Sapiens* habendus niſi propter *mores* honeſtiſſimos, & ad *Sapientiæ* præcepta accuratos? Et quidem quanquam *Philoſophi habitum* admittere nollet, *ſententia* tamen plerunque eſt locutus vixitque plane *Phi-*

(*n*) *Juv.* Sat. VI. v. 75. (*o*) *Martial.* L. II. Ep. 90. (*p*) *Juv.* Sat. VII. v. 190, 191, 192, 193. (*q*) *Plin.* L. VI. Ep. 32. (*r*) *Horat.*

loſophica.

loſophica. Probat hoc in *Socrate* & *Catone*, quod nollent *vulgi* gratiam captare humilibus indigniſque ſua *magnanimitate* ſermonibus, qui tamen erant in Arte *Oratoria* receptiſſimi. *Socratem* præcipue miratur, quod Orationem *Lyſiæ* pulcherrimam nollet tamen in concione adhibere, nec ſe eouſque demittere, etiam cum de capite periclitaretur. Hæc ille pro *Philoſophorum mente* pariter ac *ſermone.* Animum præterea nullius culpæ ſibi conſcium illa etiam arguunt quibus charorum ſibi uxoris liberorumque funera deflet atque lamentatur : (*ſ*) *Nullam terras deſpicere Providentiam teſter ? ſi non meo caſu, cui tamen nihil objici, niſi quod vivam, poteſt,* &c. Nullum plane *tale* in ſe *delictum* agnoſcit, quod fuerit, pro ſententia *Gentilium*, tam atroci ſupplicio luendum. Inde enim *invidiam numinibus* faciebant in luctu ſuo veteres, ſiqui præter *meritum* ſuum *innocentes* plecterentur. Inde curam numinum Providentiamque in dubium vocabant. *Nemeſi* enim *Invidiæque Deorum* imputabant mala illa quibus nullum eſſet, cur immitterentur, hominum, quod quidem ſciri poſſet, *peccatum. Promiſſorum* certe & *Jurisjurandi* fidem obſervatam arguunt, quod *fidem* illam ſancire ſolerent diris in ſe familiamque ſuam *imprecationibus*, ſi fefelliſſent, à *numine* immittendis. Et *dolum malum*, etiam *fide* nec *data* nec *ſancita*, Diis obnoxium credebant. Hæc certe *vitam Quintiliani* innocenter actam oſtendunt.

XLIII. Candorem præterea illius in agnoſcendis revocandiſque erroribus teſtatum faciunt verba illius illa : *Ipſe me paulum in alia quam prius habuerim opinione, nunc eſſe confiteor. Et fortaſſe tutiſſimum erat famæ modo ſtudenti, nihil ex eo mutare quod multis an-*

Candor *Quintiliani* & modeſtia.

(*ſ*) *Quint.* L. VI. Procem.

nis

nis non ſenſiſſem modo, verumetiam approbaſſem. Sed non ſuſtineo eſſe conſcius mihi diſſimulanti, in eo præſertim opere, quod ad bonorum juvenum aliquam utilitatem componimus, in ulla parte judicii mei. Hic *conſcientiæ* ſuæ potiorem habuit, quam vel *famæ*, curam. Ita locus nullus erat *gloriæ* cupiditati qua bona *Gentilium* opera deprimit plerunque S. *Auguſtinus*, eoque duce, *juniores* etiam *Theologi*. Utinam adeo cordatos haberemus multos *Chriſtianos*. Eandem ſapiunt *modeſtiam* quæ de ſe alibi dicit de inſerendis ſingulorum, pro cauſæ exigentia, narrationibus. *Me certe* (inquit) *quantacunque noſtris experimentis habenda eſt fides, feciſſe hoc in foro, quoties ipſa deſiderabat utilitas, probantibus & eruditis, & iis qui judicabant, ſcio*: & (*quod non arroganter dixerim, quia ſunt plurimi quibuſcum egi, qui me refellere poſſent, ſi mentiar*) *fere ponendæ à me cauſæ officium exigebatur.* Quam ille hæc *exiliter* de ſuis in re *Oratoria experimentis*, tot ſcilicet *annorum* illis, tam in *Schola* quam etiam in *foro*? Nec ſua tamen in *verba* adigit ipſos illos *juvenes* quorum fuerat ſtudiis præfectus, quorumque gratia has ipſas elucubravit, quas habemus, *Inſtitutiones*. *Aliorum* fidem, *Aliorum* judicium, appellat; tam nempe *Adverſariorum Advocatorum*, quam ipſorum *Judicum*, ne vel *Juvenibus* ſuis (quos hoc in Opere alloquitur) *arroganter* quippiam, aut pro Imperio, videretur imponere. Illa porro, cum de *Cicerone* loquitur, quam demiſſe! *Diſſentire vix audeo* (inquit) *à Cicerone*. Similem & illa ſpirant *Quintiliani modeſtiam*. In eandem ſententiam alibi: *De compoſitione non equidem poſt Marcum Tullium ſcribere auderem* (*cui neſcio an ulla pars Operis hujus ſit magis elaborata*) *niſi & ejuſdem ætatis homines ſcriptis ad ipſum etiam literis reprehendere id collocandi genus auſi fuiſſent, & poſt*

eum

eum plures multa ad eandem pertinentia memoriæ tradidiſſent. Quam etiam & illa non *elate*, ſed cum ſumma *Ciceronis* majorumque *reverentia* conjuncta!

Etiam in *ſermone*, (quod rarum illo Seculo) *bonis moribus* adverſa improbat *ſcurrilitatem, maledicentiam, obſcœnitatem.*

XLIV. Idem à *morum* vitiis, etiam in *ſermone*, puriſſimus eſt. Suo quem inſtituit formatque *Oratori* viro *Optimo* ne quidem *loqui* illa concedit quæ viro gravi indigna eſſent atque indecora. *Scurrilitatem* ille atque *maledicentiam* averſatur prohibetque. Ab eo abeſt quam longiſſime ut *obſcœnitatem* aliquatenus probet. Eam tamen *majores* illo *junioreſque* probavere *Gentiles*. Tuetur ipſe *Cicero*, tuentur etiam à coævorum *Quintiliano* virorum maximorum ſanctiſſimorumque exemplis *diſcipulus Quintiliani Plinius*, & *Plinio* paulo junior *Apuleius*. Non dico jam peccantiſſimum in hoc ſermonis vitio *Juvenalem*, quamvis & ipſum neſcio quem Philoſophiæ honorem præ ſe ferentem. Hinc ſane intelligimus quam revereri illum atque erubeſcere & veniam rogare oportuerit *Martialem*. Ait (*t*) ille quidem laſcivam ſibi eſſe paginam, at vitam tamen bonam. Plane tamen metuebat ne de eo fidem noſtro facturus eſſet *Quintiliano*. Idque jure merito. Sic enim ille de veteri Poeta *Afranio*: (*u*) *Utinamque non inquinaſſet argumenta fœdis puerorum amoribus, mores ſuos faſſus.* Urbanitatem ille quandam dicacitatemque in ſuo patitur Oratore. Sed talem illam quæ à ſcurræ mimique perſona aliena eſſet, quæ virum gravem conſtantemque minime dedeceret, nec dicentis Auctoritatem aliquatenus imminueret. (*x*) *Oratori minime convenit diſtortus* (inquit) *vultus, geſtuſque, quæ in mimis rideri ſolent. Dicacitas etiam*

(*t*) *Mart.* L. I. Ep. 4. (*u*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 462. (*x*) *Quint.* L. VI. Inſt. c. 3, 4. p. 283.

ſcurrilis & ſcenica huic Perſonæ alieniſſima eſt. Iterum : (*x*) *Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id plane nolo. Quapropter ne dicet quidem ſalſe quoties potuerit, & dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem.* In eandem ſententiam paulo antea : (*y*) *Ludere nunquam velimus, longeque abſit propoſitum illud, potius Amicum, quam dictum, perdendi.* Sic enim libentius legerim quam, ut vulgo legitur, *perdidi.* Et paulo poſtea : (*z*) *Ea quæ dicit vir bonus omnia ſalva dignitate ac verecundia decent. Nimium enim riſus pretium eſt, ſi probitatis impendio conſtat.* Quam illa ad mentem ὑπραπειλίαν prohibentis (*a*) *Apoſtoli*? Niſi quod *Sanctitatis* ea eſt (apud *Apoſtolum*) *dignitas* cui parum *decoram* illam cenſet *Urbanitatem*, quæ (apud *Quintilianum*) viri boni *gravitas* eſt atque *verecundia.* Idem noſter alibi de jocis ita : (*b*) *Id tamen in declamationibus eſt notabilius, laudarique, me Puero, ſolebat.* Incidit, pro noſtris rationibus, Pueritia illa *Quintiliani*, qua declamationibus ille in Scholis Rhetorum operam dabat, in finem *Claudii*, & initium *Neronis.* Illo autem tempore melius audiviſſe dicacitatem illam è *Senecæ* fratriſque *Junii Gallionis* in *Claudium* Satyris intelligimus, & *Domitii Afri* de illo Argumento libris. Erant enim illi certe tunc temporis in foro Oratores omnium celeberrimi. Immodica tamen jocandi licentia *Junius Baſſus*, illa ipſa noſtri Pueritia, *Aſinus albus* cognominatus eſt. Ita factum ut deinceps minus fortaſſe probaretur. Inde diſcimus quam opportune dicacitatem prohibuerit, *Quintiliano Puero*, noſter *Apoſtolus.* (*c*) Ille nimirum qui ea omnia præcipiebat ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴτις ἔπαινος. Ad receptas enim

(*x*) Ibid. (*y*) Ib. p. 282. (*z*) Ib. p. 283. (*a*) *Eph.* V. 4. (*b*) *Quint.* l. VIII. Inſt. c. 3. p. 357. (*c*) *Philip.* IV. 8.

hominum

hominum opiniones voces illæ pleræque referendæ ſunt, & ad receptam adeo viri gravis honeſtique dignitatem. Diſcimus præterea quam fuerit, ſupra vulgus Oratorum, gravis & ſeverus ipſe *Quintilianus*.

Ne quidem *colores* adhiberi voluit niſi *bonis, honeſtiſque de cauſis.*

XLV. Sed vero *colores Quintiliano* noſtro *convitii* loco *Juvenalem* putat objicere *Rigaltius*. Quaſi nimirum artem ille profiteretur *ſtruendi & deſtruendi verſutia ancipitem*, atque excuſandis ſceleribus utilem & idoneam. Proinde illum putat, cum Auctores *Satyrarum* recenſeret, laudato *Perſii* libro, *Juvenalem* prætermiſiſſe. Sequelam illam falſiſſimam eſſe abunde jam, ni fallimur, evicimus. Jam enim oſtendimus, cum ſcriberet *Quintilianus*, nondum *Satyras* vel cogitaſſe *Juvenalem*. Oſtendimus etiam dedita opera illum à nominibus *viventium* abſtinere. Ita nimirum ut ne *Turnum* quidem nomine deſignarit quem in eo ipſo Argumento celebrem, & quidem illo ipſo (ſub quo ſcripſit noſter) *Domitiano* Imperante, è *Juvenalis* ipſius vetere Scholiaſte ſcimus atque *Martiali*. Idem (*d*) Scholiaſtes addit præterea *Lenium* & *Silium*, omnes ex *Aurunca*, quos adeo potuerit *Auruncæ* alumnos appellare *Juvenalis* pariter ac *Lucilium*. Et ſane plures fuiſſe coævos in hoc *Poeſis* ſtylo celebres, quanquam tacitis nominibus, docet ipſe *Quintilianus* : (*e*) *Sunt clari* (inquit) *hodieque, & qui olim nominabuntur*. Quod vero *Perſium* etiam de nomine deſignarit, quod jam olim in vivis eſſe deſiiſſet. Sed nec illud convitium erat quod *Quintilianum* à *coloribus* laudarit, ſed potius elogium. Nec enim adeo *Quintilianum* hic perſtringit *Juvenalis* ipſum, quam *Quintiliani* nomine *Rhetorem* quemvis. Illa nimirum cauſa, quod eſſet noſter, cum

(*d*) Schol. ad Sat. I. v. 20. (*e*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 461.

ſcriberet Poeta, in ſua facultate inſigniſſimus. Si illum intellexit vetus Scholiaſtes. *Quintilianus*, ait, *Orator egregius. Dic, Orator, colorem ad defenſionem hujus cauſæ.* Nec ſane fuit *Quintilianus* colorum *inventor.* A *Græcis* illi, ut alia pleraque artium liberalium ad *Latinos* emanaverant. *Colores* etiam è *Latinis* memorat aliquoties (*f*) *Seneca* pater. Imo *Othonis Junii* librum carpit de hoc ipſo Argumento. Sed nec ipſe magis ſceleribus excuſandis colores adhibuit quam coævi alii ſui temporis Oratores. Non potuit certe ſcelerum excuſandorum cauſam ex profeſſo agere vir ille quem (*g*) informat optimus, & à ſceleribus abhorrentiſſimus. Ars illa defenſionum ut adfuiſſet, non potuit tamen adeſſe animus. Tam ille malos à juſtis legum pœnis eripere nolebat, quam nec juſtos ſub legum prætextu calumniari & opprimere. Occurrunt tamen in reis alioqui bonis aliquoties cauſæ excuſandæ potius quam defendendæ, cum ſcilicet vir alioqui non malus peccat imprudens, & bono etiam animo. Hic certe artem illam colorum atque excuſationum callere oportebat illum, quem inſtituebat noſter, bonum peritumque Oratorem. Sed & ipſe Judex aliquoties in cauſa eſt cur colores adhibendi ſint, affectibus deditus, & malis apparentibuſque rerum fucis magis quam veris ſolidiſque rationibus obnoxius. Hic certe artibus viro tamen bono & ingenuo dignis eſt fallendus, ut vel æquum ab illo obtineas. Hic coloribus minus in ſpeciem honeſtis, & fallacibus circumveniendus eſt; eo tamen fine ut honeſtum ab eo & verum extorqueas. Ita nimirum ut mendacium interim nullum, aut quid aliud à viri boni officio alienum Orator ipſe dicat aut admittat. Imo in hoc ſita erat ars illa Oratoris honeſti ſi, pro captu Auditorum, Ar-

(*f*) Controv. 3. lib. 3. Cont. 21. Cont. 25. l. 4. Præf. L. V. Cont. 33. Excerp. L. IV. Cont. 8. (*g*) L. I. Cont. 3.

gumenta

gumenta quibus bonos tamen honeſtoſque fines aſsequeretur, accommodaret. Nec aliud erat, in coloribus ſuis adhibendis noſtri *Quintiliani* conſilium. (*g*) *Honeſta quidem* (inquit) *honeſtis ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diverſam vitæ ſectam, cavendum eſt. Et animus deliberantis, non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, promovendus: ſed laude, vulgi opinione, & ſi parum proficiet hæc vanitas, ſecutura ex his utilitate: aliquanto vero magis objiciendo aliquos, ſi diverſa fecerint, metus.* Pergit deinde paucis interpoſitis: *Aliquando bonis quoque ſuadentur parum decora, dantur parum bonis conſilia, in quibus ipſorum, qui conſulunt, ſpectatur utilitas.* Sed magis fieri *ſolere* illa quam ſibi *probari*, oſtendit in ſequentibus. *Nec me* (inquit) *fallit quæ ſtatim cogitatio ſubire poſſit legentem*: HOC ERGO PRÆCIPIS? ET HOC FAS PUTAS? Quibus ita Reſpondet: *Poterat me liberare M. Cicero, qui ita ſcribit ad Brutum, Propoſitis plurimis quæ honeſte ſuaderi Cæſari poſſent, ſimne bonus vir ſi hæc ſuadeam?* MINIME. Addit deinde poſt pauca: NEC EGO QUICQUAM FIERI TURPITER VELIM, *verum interim hæc vel ad Scholarum exercitationes pertinere credantur. Nam &* INIQUORUM *ratio noſcenda eſt, ut melius æqua tueamur.* Hinc ſane conſtat ab eo non probari ſi quis mala, quocunque demum prætextu, ſuaderet. Itaque ſequentia ad aliam illam ejus rationem referenda ſunt, qua iniquorum rationem noſcendam eſſe dixerat quo quis melius poſſet vel æqua tueri. Pergit ergo: (*h*) *Interim ſi quis bono inhoneſta ſuadebit* (alius quis nimirum ab eo quem hic informat bono Oratore) *meminerit non ſuadere tanquam inhoneſta; ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, pro-*

(*g*) *Quint.* L. III. Inſt. c. 8. p. 149. (*h*) Ib. p. 150.

pter hoc ipſum quod turpis & crudelis ſit, impellunt : ſed dandus illis deformibus COLOR, idque etiam apud malos. Nec enim eſt quiſquam tam malus, ut malus videri velit. Quid hic apertius quam malum omnem colorum uſum à *Quintiliani* mente eſſe alieniſſimum ? Conſtat præterea, quæ alibi de *coloribus* tradit (*i*) *Quintilianus*, ea ad *colorum artem*, non autem ad *malum* Artis *uſum*, eſſe referenda. Vidit enim ille certe quantum pugnaret cum viri boni quem ille Oratorem inſtituit, officiis uſus ille colorum. Sic ergo alibi ipſe ſibi eadem objicit quæ vult *Rigaltius* objeciſſe *Juvenalem*: (*k*) *Quid ergo tantum eſt Artis in Eloquentia ? Cur tu de COLORIBUS, & difficilium cauſarum defenſione, nonnihil etiam de confeſſo locutus es, niſi aliquando vis & facultas dicendi expugnat ipſam veritatem ? Bonus enim vir non agit niſi bonas cauſas ; eas porro etiam ſine doctrina ſatis per ſe tuetur veritas ipſa.* Reſpondet ut antea : *Pertractare quo modo aut pro falſis, aut etiam pro injuſtis aliquando dicatur, non eſſe inutile, vel propter hoc ſolum, ut deprehendamus* (inquit) *& refellamus ; quemadmodum Remedia melius adhibebit, cui nota, quæ nocent, fuerint.* Tum etiam oſtendit bono nonnunquam, nec viro bono indigno, conſilio auferendam eſſe aliquando Judici veritatem ; eoque facere colorum illam artem. Videat Lector, ſi libeat, quo pacto illa colligat. Nec enim longius evagandum eſt. Mihi ſatis eſt impræſentiarum malarum cauſarum, per quæſitos in ſpeciem colores defendendarum artem nunquam profiteri voluiſſe noſtrum *Quintilianum.*

Vix tamen defendenda

XLVI. Unica tamen eſt in moribus ejus macula quam Ego nec eluere, nec

(*i*) *Quint.* L. IV. Inſt. c. 2. p. 186, 187. (*k*) *Quint.* L. XII. Inſt. c. 1. p. 543.

tueri

tueri volo, effuſa nimirum illius in *Domitianum* tyrannum adulatio. Tanta quidem illa ut ne quidem hominis nomine dignum divinis ille tamen laudibus extollat. Quarti enim Libri Proœmio pro numine illum habet, & primo etiam loco invocandum cenſet. *Nunc omnes* (inquit) *in auxilium Deos, ipſumque in primis, quo neque præſentius aliud, neq; ſtudiis magis propitium numen eſt, invocem.* Morum ille (*l*) ſanctiſſimum Cenſorem appellat, cujus in neptem *Juliam* flagitia, dum morum ſtudium profiteretur, irridet *Juvenalis*. (*m*) *Quis* (inquit) *caneret Bella melius quam qui ſic gerit*? Cum ne Bella quidem ab eo recte geſta compertum eſſet, poſt emtam Pacem, emtoſque de quibus triumphari poſſet captivos; poſt proditas machinas, fictaſque Decebali nomine deditionis literas. *Virtutum* neſcio quem *fulgorem* in eo deprædicat qua laus ejus in re Poëtica præſtringeretur, quem tamen novit à ſævitia, avaritia, libidine, infamiſſimum. Hæc ille poſt tot illa annorumque plurimorum experimenta, ne adhuc latere *Domitiani* vitia potuiſſe ſuſpicemur. Hæc nos libentius in coævis *Martiali*, *Statio*, & viro cæteroqui maximo, ſed tamen militari, ferremus *Julio Frontino*. Sed in viro bono, Philoſophiæque ſtudioſo; ſed in animo erecto vereque generoſo magis eſt profecto quod miremur tam projectam illam & ſervilem *adulandi* humilitatem. Licuit enim fortaſſe quem merito laudare non potuit, ſaltem tacere. Neſcio tamen idne ipſum licuerit, ſi vellet eſſe ſalvus. *Reor quidem aliter quam invocato numine maximi Imperatoris* NULLUM OPUSCULUM *meum cœpiſſe*, inquit (*n*) *Statius*. Hæc ille neceſſario fecerintne officio non conſtat fateor. Ita tamen

ejus in *Domitianum* tyrannum *adulatio.*

(*l*) Ib. (*m*) *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 461. (*n*) *Stat.* Sylv. IV. Præf.

ſe

ſe rem habuiſſe ſuſpicor. Sic enim itidem coævus *Statio* (*o*) *Martialis Domitianum* ipſum compellat: OMNES *quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam, id eſt, vitam dediſti, tibi ſupplicant: & puto propter hoc leguntur.* Fieri ergo poteſt, ut viri celebres, niſi ſui mentionem cum laude feciſſent, hoc ægre fuerit laturus. Maxime vero hoc expectare potuit à *Quintiliano*, qui & ſalarium publicum è fiſco, & honeſtam miſſionem, & nepotes ſororis inſtituendos in ſpem Imperii ab ipſo *Domitiano* accepiſſet. Fecit certe præter morem ſuum cum vivum illum à ſtudio Poetico laudaret, qui alios laudare non ſolet præterquam mortuos. Erat enim ingenio laudis avidiſſimo & ſuſpicaciſſimo Princeps, ſi quis alius, certe *Domitianus*. Utriſque enim, & colentibus eum, & non colentibus pariter ſuccenſebat: illis quod aſſentari, his quod negligere viderentur. Ita (*p*) *Dio*. Itaque ne negligere videretur, adulandum cenſuit noſter *Quintilianus*. Sic alia ejus illuſtria facinora fœdo tandem adulationis vitio ſimiliter dehoneſtavit pater *A. Vitellii* Imperatoris *L. Vitellius*. Ita nulla ſunt ſine maculis hominum, præſertim Ethnicorum, ornamenta.

Quintiliani in Arte ſua Oratoria experientia, & memoria.

XLVII. Quantus vero fuerit, & quam diligens in ſua Arte Oratoria, obſervator, ipſe nobis obiter oſtendit. De movendis affectibus illa ſunt ejus verba: *Sed mihi in animo eſt, quæ latent penitus, ipſa hujus loci aperire penetralia; quæ quidem non aliquo tradente; ſed experimento meo, ac natura ipſa duce, accepi.* Itaque etiam obſervavit ipſe quæ antea penitus latuerant, ipſa nimirum Artis penetralia. Obſervaverat lugentes utique in recenti dolore diſertiſſime quædam exclamare, & iram nonnunquam indoctis quoque eloquentiam facere;

(*o*) *Mart.* L. VIII. Præf. (*p*) *Dio* L. LXVII.

hæc

hæc ideo facere quod illis ineſt vis mentis, & veritas ipſa morum. Inde colligit in iis quæ veriſimilia eſſe volunt Oratores, eorum qui vere patiuntur affectibus ipſis ſimiles eſſe oportere, & à tali animo proficiſci debere Orationem, qualem facere Judicem volet. Nec in vita modo communi, verumetiam in ludis, qui vitam illam imitantur, hiſtrionicis, hoc idem obſervavit, quod fictio illa perſonæ alienæ faceret movendis veris affectibus. *Vidi ego ſæpe hiſtriones* (inquit) *atque Comœdos, cum ex aliquo graviore actu perſonam depoſuiſſent, flentes adhuc egredi. Quod ſi in alienis ſcriptis ſola pronunciatio ita falſis accedit affectibus ; quid nos* (pergit) *faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice poſſimus ?* Tum poſt alia ita concludit : *Hæc diſſimulanda mihi non fuerunt, quibus ipſe, quantuſcunque ſum, aut fui ; (nam perveniſſe me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus ſum, ut me non lacrymæ ſolum deprehenderint, ſed pallor & vero ſimilis dolor.* Hæc ille è propriis hauſit experimentis. Quæ quam doctum illum artificem fecerint, docet alibi ubi agit de ſententiarum figuris : (*q*) *Equidem quandoque & in perſonas* (ait) *incidi tales, & in rem quoque, (quod eſt magis rarum) quæ obtineri niſi hac arte non poſſet. Ream tuebar, quæ ſubjeciſſe dicebatur marito teſtamentum, & dicebatur chirographum marito expirante heredibus dediſſe : & verum erat. Nam quia per Leges inſtitui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum pervenirent. Et caput quidem veri facile erat, ſi hoc diceremus palam : ſed peribat hereditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut Judices illud intelligerent factum, delatores non apprehenderent ut dictum : & contigit utrunque. Quod non inſeruiſſem,*

(*q*) *Quint.* L. IX. Inſt. c. 2. p. 407.

veritus opinionem jactantiæ, niſi probare voluiſſem, in foro quoque eſſe his figuris locum. Idem (*r*) alibi ſuam in diſpoſitione Argumentorum artem experientia oriundam aliquoties memorat. Inde peritiam ejus, Inde & prudentiam habemus exploratam. Nec inferior ei fuit memoria, accurata licet rerum dicendarum diſpoſitione ac methodo, ut fatetur, adjuta. (*ſ*) *Sic enim contingit*, (inquit) *ut etiam quæ ex tempore videbantur effuſa, ad verbum repetita reddantur: quod* MEÆ *quoque memoriæ mediocritatem ſequebatur, ſiquando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegiſſet: nec eſt mendacio locus, ſalvis qui interfuerunt.* Ita inſtructus artem Oratoriam ornandam ſuſcepit excolendamque noſter *Quintilianus.*

Hæc tamen obiter. Nec enim *vitam Quintiliani* nos, ſed *tempora* ejus indaganda, cenſuimus.

(*r*) *Quint.* L. VII. Inſt. c. 1. p. 306, 307. (*ſ*) L. XI. c. 2. p. 508, 509.

ANNALIUM

ANNALIUM QUINTILIANEORUM SYNOPSIS *Chronologica*:

Obiterque Poetæ etiam *Juvenalis*, rerumque ad *vitam* illius attinentium.

Anni vitæ.	Anni Ær. Chriſtiane.
NATUS *JUVENALIS* Poeta. Hoc certe anno, vel ſequentis initio. §. 39. *Juvenal.* 1	38
Pater *Neronis* Imp. *Domitius* prior *Agrippinæ* maritus mortuus, *Nerone trimulo*. Tum ſtuprata à fratre *Caligula*, hoc eodem anno. Poſtea *relegata*, nec ante annum ſequentem à *Claudio* revocata. §. 8.	40
NATUS *QUINTILIANUS*, anno *exeunte*. §. 4, 5, 6. *Quintil.* 1	42
Inter ann. XLI. & hunc annum cum uxore priori *Domitia* vixit *Criſpus Paſſienus* Orator, & poſtea *Agrippinam Neronis* matrem uxorem duxit, ab ea tandem veneno ſublatus. Poſterius hoc matrimonium hoc ipſo fortaſſe anno. Hæc *Quintiliano puero*, Inſt. L. X. c. 1. Ea viz. *Pueritia*, quæ nec *Oratores* audiret in *foro*, nec in *Schola Rhetores*. Nempe ſupra *Infantiam*, & tamen infra annum *majoris Pueritiæ* XII. §. 8. 6 / 7	48
AGRIPPINA CLAUDIO nupſit ipſis hujus anni Kal. *Januariis*. §. 8. 7 / 8	49
Togam ſumit *Quintilianus* hoc anno *virilem*, anno *Ætatis* XIV. *expleto*. Inde etiam incipit ejuſdem *Adoleſcentia*, ſeu *Juventus*. §. 1, 2, 3, 4. 14 / 15	56
Itaque ante hujus anni *finem* ea omnia contigerint oportet quæ, ſe *puero*, contigiſſe *Quintilianus* ipſe teſtatur. *Nobis* (inquit)	

pueris Junius (vel potius fortaſſe *Julius*) *Baſſus, homo in primis dicax, Aſinus albus vocabatur.* Inſt. L. VI. c. 3. p. 286. Proinde *Domitia Paſſieni* uxor ſub *Claudio* vixerit, in quam *Baſſi* jocum ipſe memorat. p. 288. Vid. ann. 48. *Nobis pueris inſignes pro Voluſeno Catulo, Domitii Afri, Criſpi Paſſieni, Decimi Lælii Orationes ferebantur.* Inſt. L. X. c. 1. p. 452. Sed cum unus horum *Criſpus* fuerit *Paſſienus*, proinde ante finem anni 48. Orationes illas fuiſſe oportet. Vid. §. 8. De urbanitate in Declamationibus ait : *laudarique me puero ſolebat.* Inſt. L. VIII. c. 3. p. 357. Vid. §. 44.

57 15/16 Hoc anno *Coſſutianus Capito* repetundarum poſtulatus à *Cilicibus*, damnatuſque. §. 6. *Nobis* (inquit) ADOLESCENTIBUS. *Quintil.* Inſt. L. VI. c. 1. p. 266. Hoc etiam eodem anno *mortuus* eſt *Aufidius Baſſus*, poſt *Senecæ* Ep. 30. ſed ante Ep. 91. in qua mentio eſt Incendii *Lugdunenſis*; Et ante mortem *Servilii Noniani.* Dialog. de Orat. c. 23. §. 7.

58 16/17 Incendium *Lugdunenſe* poſt *centum* annos ex quo *coloniam* illam deduxerat *L. Munatius Plancus. Senec.* Ep. 91. quæ adeo ipſa etiam hoc anno ſcripta eſt. §. 7.

59 17/18 Hoc anno exeunte *mortuus* eſt *Domitius Afer*, à *Quintiliano* auditus JUVENE *Quint.* Inſt. L. X. c. 1. p. 460. & ADOLESCENTULO. *Quint.* Inſt. L. IV. c. 7. p. 267. §. 4. Eodem anno mortuus etiam *Servilius Nonianus* à *Quintiliano* auditus. *Quint.* L. X. Inſt. c. 1. p. 462. Ea nimirum *ætate* quæ *Oratoribus* in *foro* audiendis addici ſolita eſt, ab anno XIV. expleto ad XVII. ſimiliter expletum. §. 1, 2, 3, 7. *Natus* etiam hoc anno *Tacitus.* §. 28. Hoc anno forte, *Juvenali* primam *barbam* metente, *Romæ* tonſor erat *Criſpinus. Juv.* Sat. I. v. 25. 27.

Ante hujus anni *finem* ea contigiſſe puto, &

& poſt anni 56. ſimiliter *finem*, quæ ſe JUVENE aut ADOLESCENTE eveniſſe dicit *Quintilianus*. De *Nicoſtrato* Athleta dicit: quem ADOLESCENTES *ſenem vidimus*. Inſt. L. II. c. 8. p. 80. Meminere illius *Nicoſtrati* Auctor Dialogi de Oratoribus c. 10. & *Pauſanias* in Eliacis. Rurſus: *Memini* JUVENIS ADMODUM *inter Pomponium & Senecam etiam Præfationibus eſſe tractatum, an gradus eliminat, apud Accium in Tragœdia dici oportuiſſet*? Inſt. L VIII. c. 3. p. 358. Vid. §. 30. Eſt enim certe illa ADMODUM JUVENIS ætas eadem quæ ADMODUM ADOLESCENTIS, ſeu ADOLESCENTULI, Adoleſcentiæ nimirum *imberbis* quæ *barbatulæ* opponitur, quæ ambitu prædicto continebatur. §. 2, 3. Alibi: *quorum utrunque in iis eſt, quæ me* JUVENE *ubique cantari ſolebant*. Inſt. L. VIII. c. 3. p. 364. Iterum: *Atrῆς quem nobis* JUVENIBUS *doctiſſimi ſenes acuta prima dicere ſolebant*. Inſt. L. I. c. 5. p. 27. Hoc tamen in loco quo *Juvenum* nomen *ſenibus* opponitur, fieri poteſt ut ad annum uſque ætatis XXXV. *Juventus* extendatur. Non item in illo: *Clarum auctorem* JUVENIS *audivi, cum lecta è capite cujuſdam oſſa, ſententiæ gratia, tenenda matri dediſſet, Infeliciſſima fœmina, nondum extuliſti filium, & jam oſſa legiſti*. Inſt. L. VIII. c. 5. p. 375. Denique: *Nobis* (inquit) ADOLESCENTIBUS *ſeniores præcipiebant ne unquam jusjurandum deferremus*. Inſt. L. V. c. 6. p. 205. Hic *Adoleſcentes Senioribus* opponi videmus; ſed illis *præcipientibus*. Ut facile intelligamus illos hic *Adoleſcentes* intelligendos qui eſſent *ſeniorum Præceptis* imbuendi, eoſdem nimirum qui *Oratores* ſequebantur & *Grammaticos*. Suntque ſane *ſenes* illi in ſuperiori etiam loco non alii quam *Grammatici*, qui vocem *Atrῆς* docebant qua *ſyllaba* eſſet *acuenda*. Eſt tamen

Adoleſcendi ſignificatio paulo *arctior* quam *juveneſcendi*. Vid. §. 3. Ut tamen ultra annum hunc extendi poſſit *Quintiliani* illa *Adoleſcentia*, nihilominus ultra annum Æræ noſtræ 61. extendenda non eſt, quo *Romam* reliquit, & in *Hiſpaniam* conceſſit. Erat enim cum rediret, jam penitus *adultus*, anno nimirum Æræ ejuſdem 68. exeunte. Infra hos certe limites concludendi erunt, quos *Romæ* memorat à ſe *auditos viſoſque* Præceptores. Nec enim reverſus *Præceptores* deinceps ullos *audiit*, ſed ipſe potius aliis *Adoleſcentibus præcipiebat*. §. 9. Huc ergo referenda & loca etiam illa: *Eorum, quos viderim, Domitius Afer & Julius Africanus, longe præſtantiſſimi.* Inſt. L. X. c. 1. p. 464. Sic *vidit* ille *Domitium* ut ſe *audiviſſe* teſtatus eſt eodem, quo *Domitius*, anno mortuum *Servilium Nonianum.* Iterum de *Domitio* ita: *Vidi ego longe omnium quos mihi cognoſcere contigit, ſummum Oratorem valde ſenem quotidie aliquid ex ea quam meruerat Auctoritate perdentem.* Inſt. L. XII. c. 11. p. 576. Ad eundem modum de aliis: *In his etiam quos ipſi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Criſpi, ſonum Trachali, elegantiam Secundi.* Inſt. L. XII. c. 10. p. 566. Hoc intervallo *docuiſſe* illos omnes exiſtimo, non item eſſe *mortuos*. Nonnullos enim illorum *nupera* memoria recenſet, de qua ejus loquendi forma infra pluribus agemus.

61 | 19/20 *Galba* in *Hiſpaniam Taraconenſem* (in qua patria *Quintiliani Calagurris*) miſſus à *Nerone*. Illum ſecutus *Quintilianus* Artem ſuam *Oratoriam* in *patria* profeſſus eſt. §. 9, 10, 11.

68 | 26/27 *Galba* poſt *octennium*, cæſo *Nerone*, ſub hujus anni finem, *Novembri* menſe ineunte, *Romam* rediit, & cum eo *Quintilianus*. §. 11. Inde incipiunt XX. anni quibus *Rhetoricam* in *Schola publica*, & *ſalario publico*, *Romæ*

Romæ profeſſus eſt. §. 12, 13. Et quibus *Oratoriam* etiam exercuit in *foro*. §. 16.

Cauſa *Apruniani* à *Quintiliano* acta jam adhuc *juvene*, & *juvenili cupiditate gloriæ emiſsa*. *Quint.* Inſt. L. VII. c. 2. p. 315. Vid. §. 17. *Nata* etiam hoc anno prior *Quintiliani uxor*. §. 24. 28/29 70

Plinius junior *Quintilianum* audit ADOLESCENTULUS, uſque ad annum LXXVIII. §. 15. *Tacitus* etiam hoc eodem anno *Dialogo* de *Oratoribus* adeſt VI. *Veſpaſiani* anno, ipſe *admodum juvenis*, natus nimirum annos XVI. *Illi* non *Quintiliano*, Dialogus aſſeritur. §. 28. 33/34 75

Pro Regina Beronice apud ipſam egit *Quintilianus*. Inſt. L. IV. c. 1. p. 165. *Hoc* ſcilicet anno vel ſequentis *initio*. §. 18. 34/35 76

Ad mediam fere ætatem declamavit (inquit vitæ *Juvenalis* Auctor Anonymus) *animi magis cauſa, quam quod Scholæ aut foro præpararet*. Inde poſtea *Martialis* illum *facundum* appellat. §. 40. 36/37 78

A *Veſpaſiano* in *Britanniam* miſſus *Agricola*. Tranſacta *æſtate Britannos vicit*. Inde *Titus* IMP. XV. T. P. IX. COS. VII. §. 22. 37/38 79

Hujus anni initio natus *Marcelli Victorii filius* cujus meminit *Quintilianus*. Inſt. Procem. p. 2. & L. IV. Procem. p. 160. §. 27. *Marcellus* ipſe *Victorius*, annis XXXIII. major, & XXXV. minor. ibid. Et Annal. *Statian*. §. 4. Nomen Pueri *Gallus*. *Stat*. L. IV. Sylv. IV. v. 20. 39/40 81

Nupſit *Quintiliano* prior uxor annos nata *duodecim*. §. 21. 40/41 82

Natus *Quintiliano* filius *major* anno *matris* ſuæ XIII. §. 21. *Domitiano* natus filius *Cæſar Divus* à *Domitia*, cujus *Conſecrati* meminit *Quintilianus*. §. 24. 41/42 83

Nata *Domitiano filia* è *Domitia*. §. 24. Natus *Quintiliano* filius *minor* anno *matris* XIV. §. 21. *App. Junio Sabino* Bellum primum *Dacicum*. §. 22. 42/43 84

Sabinus

85 | 43 / 44 | *Sabinus* Conſularis à *Dacis* oppreſſus. *Fine* anni *Domitiani* de *Dacis* falſus triumphus. §. 22. Hoc adhuc *Domitia* in matrimonio *Domitiani*. §. 24.

86 | 44 / 45 | *Juventutem* egreditur *Domitianus*. §. 23. Agones *Capitolini* à *Domitiano* inſtituti, in quibus *laudes Jovis Capitolini perpetua ſacri certaminis materia*. *Quint*. Inſt. L. III. c. 7. p. 140. §. 22. *Britannia Inſula* circumvecta ab *Agricola* VIII. ejus in *Britannia* Præfecturæ anno. Jam *Inſulam* eſſe conſtabat cum ſcriberet *Quintilianus*. Inſt. L. VII. c. 3. p. 326. §. 22.

88 | 46 / 47 | Finis annorum XX. quibus *Romæ Quintilianus Rhetoricam* profeſſus eſt. §. 12, 13, 14, 15, 21. Tum *Scholæ* abdicationem à *Domitiano* impetravit, ſimulque uſum Artis ſuæ *Oratoriæ*, etiam in *foro*. §. 16.

Hoc ambitu XX. annorum quibus *Romæ* docuit *oravitque* cauſas noſter, ea omnia concludenda arbitror quæ ille *ætate ſua, ſuiſque temporibus* contigiſſe teſtatur. Ita nimirum ut *ſuam* ille *ætatem* cenſuerit & *ſua tempora* cum in *Schola* celebraretur, & in *foro*. *Palæmonem* Grammaticum *ætate ſua* fuiſſe ſcribit. Inſt. L. I. c. 4. p. 21. Eundem nimirum *Palæmonem*, de quo *Suetonius* in Libro de *Grammaticis*, virum ingenii jactantiſſimi. Fuit quidem *Remmius* ille *Palæmon Vicentinus Quintiliano* noſtro *ætate* aliquanto *major*. Sic tamen ut ad illa, quæ dixi tempora pervenerit. *Tiberium* ſub quo *primum* profiteri cœpit, & mox *Claudium, nemini minus inſtitutionem puerorum vel juvenum committendam, prædicaſſe* teſtatur *Suetonius*. Proinde ad *Claudii* tempora illum pertigiſſe certum eſt. Et quidem ſub *Claudio* anno ejus VIII. Æræ nimirum receptæ XLVIII. ejus cum *Antonino Liberali* æmulationem in *Euſebiano* Chronico apponit *Hieronymus*. Adhuc illum ad tempora recentiora deducit *Plinius*. N. H. XIV.

XIV. 4. Ait illum *infra XX. annos mercatum rus in agro Nomentano* quod infra VIII. cultus annum ad *vix credibile* feracitatis *miraculum* perduxerit, intra X. autem *fere* curæ annum *Annæo Senecæ principi tum eruditionis ac potentiæ*, immani pretio vendiderit. Si quidem ab anno quo illa *Plinius* commentatus eſt Æræ receptæ LXXVII. retro ſupputentur anni illi, ſic anno Æræ ejuſdem LVII. *rus* illud *mercatus* fuerit *Palæmon*, & anno LXVII. *Senecæ* vendiderit. Fieri hoc non potuit cum anno LXV. inter *Aprilis* XIX. quo conjuratio in *Neronem* proceſſura erat, & menſis ejuſdem diem XXX. quo ſublatus eſt Poeta *Lucanus*, *Seneca* ſeſe, juſſu *Neronis*, interfecerit. Itaque numero rotundiori uſus eſt *Plinius*. Sic tamen X. ille annus anno *Senecæ ultimo* conveniet, quo *vindemiam* ipſe videre non potuit, ut proinde *fere* X. ille annus à *Plinio* ſupputetur. Hoc ergo anno ſalvus adhuc erat *Palæmon*. *Inviſo* enim & *oſtentaturo palmam* illam peritiæ Ruſticæ *Senecam* teſtatur tradidiſſe *Plinius*. Nec eouſque modo perſeveravit ille. Nihil ſane innuit *Plinius* quo vel, cum ſcriberet ille, jam ſaltem obiiſſe colligamus. Niſi forte liberior illa, quam in *vivum*, oſtentationis cenſura faciat ut illum anno LXXVII. jam defunctum ſuſpicemur. Atqui eodem quo *Quintilianus* tempore ſtudiis *Juventutis Romanæ* præfuit, *pueris* etiam *Romanis* præfuiſſe *Palæmonem* indicat *Juvenalis*. Inde factum ut, quo exemplo, *Quintiliani* nomen pro *Rhetore* poſuit Sat. VI. v. 75. 279. ſic etiam pro *Grammatico Palæmonis* nomen poſuerit, artemque adeo *Grammaticam* ipſam *Palæmonis artem* appellarit Sat. VI. v. 451. Non equidem qua forma artem *Rhetoricam* artem *Theodori* vocat Sat. VII. v. 177. cum multi fuerint ante *Palæmonem*, etiam apud *Romanos*, *Grammatici*; imo *Romæ Grammaticam*, cum ad *Scholam pueros* quorum ip-

ſe *Pædagogus* erat, comitaretur, *Palæmon* ipſe didicerit, ut è *Suetonii* conſtat libro de *Grammaticis*. Plane itaque pro exemplo illo, quod dixi, *Quintiliani*. Proinde etiam, ut *Rhetoricæ* Inſtitutionis mercedes *Quintiliano* ſolutas docet Sat. VII. v. 186, 187. ſic etiam *Grammaticæ* Inſtitutionis mercedes idem ſolutas teſtatur fuiſſe *Palæmoni*. v. 215, 216, 217, 218, 219, 220. Hæc ille eadem illa Satura qua *Domitiani* tempora, & in illis *Paridem* laceraverat. Vix ſane ita illos conjuncturus niſi uno eodemque *tempore* alter Scholam *Rhetorices*, alter *Grammatices*, fuiſſet moderatus. Et ne *Juvenalem* ſolum in ea fuiſſe ſententia cenſeamus, ſimiliter *Palæmonem* cum *Quintiliano* eodem Epigrammatum Libro II. Ep. 86. 90. quaſi *coævos* committit, ipſe etiam *Quintiliano* ipſi coævus *Martialis*. Et tamen *Palæmonem* magiſtrum *Quintiliani* noſtri facit *Juvenalis* vetus *Scholiaſtes* ad Sat. VI. v. 451. Docuitque ſane illis ipſis temporibus quibus *puer* erat noſter, *ætate* illa quæ *Grammaticis* credebatur, ſub finem *Claudii* & initio *Neronis*. De eadem formula ita alibi noſter: *& ætatis noſtræ Virginius, Plinius, Rutilius*. Inſt. L. III. c. 1. p. 113. *Plinius* ille major eſt, quem hoc ipſo ſpatio, quo Scholam tenuit *Quintilianus*, extinctum conſtat è noſtris *Plinii* nepotis *Annalibus*, anno nimirum Æræ vulg. LXXX. Eſtque ſatis commodus ille nominum *ordo*, ut qui *Plinium* præcedit *Rhetor* ille *Virginius*, & qui ſequitur *Rutilius*, ambo tamen in *Quintiliani* noſtri *vicennium* inciderint. Idem alibi: *quod factum noſtris temporibus eluſit Vibius Criſpus*. Inſt. L. V. c. 13. p. 252. Quaſi nimirum ſuo quoque *vicennio* cauſas egiſſet *Criſpus*. Et tamen alio in loco *viſis* à ſe (cum ſcilicet *Præceptores* ipſe *juvenis audiret*) eundem *Criſpum* accenſet. Inſt. L. XII. c. 10. p. 566. Denique eundem inter clara *nuper* ingenia numerat.

merat. L. X. c. 1. p. 473. Recte nimirum omnia, &, pro noſtris hypotheſibus, ſatis accurate. Florebat in *foro Vibius* ille *Criſpus* illo præſertim tempore quo *forum* noſter, non *actor* ipſe ſed *auditor* tantummodo, *ſtudiorumque* cauſa, frequentabat. Sic tamen ille, ut in *foro* adhuc, cum reverſus ex *Hiſpania* cauſas in *foro* oraret ipſe *Quintilianus*, ageret *Vibius Criſpus*. Hæc nos vera fuiſſe docet Auctor Dialogi de *Oratoribus*. Ait enim ibi *M. Aper Vibium Criſpum Marcellumque Eprium, donec libuit principes fori*, tunc etiam *principes* fuiſſe in *Cæſaris amicitia*, anno nimirum illo *Veſpaſiani* VI. *Chriſti* LXXV. Sic ille c. 8. Erat ergo *Vibius Criſpus* adhuc in *vivis*, & *forum* tamen abdicaverat. Mox etiam oſtendemus, ad *Domitiani* tempora nuperamque *Quintiliani*, cum *Inſtitutiones* ſcriberet, memoriam eundem perveniſſe *Criſpum*. Hinc denique & illud intelligi poteſt, quod ait noſter: *duapondo & trepondo uſque ad noſtram ætatem ab omnibus dictum eſt*. Inſt. L. I. c. 5. p. 26. Id ſcilicet illum velle, ne quidem, cum ipſe profiteretur, adhuc illas in deſuetudinem abiiſſe formulas.

Mortua *uxor Quintiliani*, nondum expleto anno ætatis *undeviceſimo*. Itaque anni *initio*. Erat ætate *puellari*, ſi ad *Quintiliani ætatem* conferretur. *Paucis* poſtea *menſibus* mortuus filius *minor* V. annum ætatis *egreſſus*, cum ſcribere Pater eſſet *aggreſſus*, *de cauſis corruptæ Eloquentiæ*. Hæc è Prooem. L. VI. Inſt. §. 14. 20. 28. Finem *Argonauticis* hoc eodem anno impoſuit fortaſſe *Valerius Flaccus*. §. 25. *Martialis* Epigrammata edere cœpit VI. anno ante annum XCV. L. IX. Ep. 85. §. 14.

47 / 48 — 89

Julia Titi filia à *Domitiano* conſecrata. *Quint.* L. III. Inſt. c. 7. p. 140. §. 24.

49 / 50 — 91

Inſtitutiones exorſus eſt *Quintilianus*. Hoc anno ſtudiis filiorum *ſororis* à *Domi-*

50 / 51 — 92

tiano præfectus eſt cum Libros *tres priores* Operis abſolviſſet. Eodem *affecto*, vel potius *exeunte*, filium *majorem* amiſit cum Librum V. ad *finem* perduxiſſet. §. 14. 19. 21. Filius *Marcelli Victorii*, in cujus uſum *Inſtitutiones* ſcripſit *Quintilianus*, annum egit jam *ætatis* ſuæ XI. & *Marcellus* ipſe annum vel XXXI. vel XXXII. §. 27. Hoc anno *Quintilianus* inſignitus *ornamentis Conſularibus*, ſi quidem propter *Domitiani nepotes* à ſe inſtitutos, & *patre* eorum *Flavio Clemente* impetrante, honorem illum conſecutus eſſet. §. 34.

93 51/52 *Secundus annus* eorum quos *Inſtitutionibus* concinnandis impendit. §. 21.

Hoc anno ineunte *Inſtitutiones abſolvit Quintilianus, cum paulo plus quam biennium* illis impendiſſet. Ep. ejus ad *Tryphonem* Bibliopolam. §. 32. Poſtea *Philoſophos* expulit Urbe *Domitianus*. §. 14. Poſtea etiam *Quintilianus* aliam *uxorem* duxit *Tutilii filiam*. §. 32.

94 52/53 Hoc denique ambitu inter *finem* anni, quo *Scholam* abdicavit, LXXXVIII. & hujus anni *initium*, ea omnia concludo quæ ipſe *nuper* eveniſſe dicit. *Multum*, ait, *in Valerio Flacco nuper amiſimus*. Inſt. L. X. c. 1. p. 461. *Mortuo* nimirum, ut jam conjecturam fecimus, poſtquam utrumque tam *docendi* quam *orandi* munus *Quintilianus* abdicaverat. Ita de *Cæſio Baſſo* Poeta, *quem* NUPER (inquit) *vidimus*: *Eum longe præcedunt ingenia viventium*. Inſt. L. X. c. 1. p. 462. Sic illum *viventibus* opponit quaſi de illorum numero NUPER eſſe deſiiſſet. Et alio in loco: *Erant clara & NUPER ingenia*: *Trachalus, Vibius Criſpus, Julius Secundus*. Inſt. L. X. c. 1. p. 465. *Tres* hic recenſeri videmus conjungique invicem à *Quintiliano nuperæ* memoriæ *Oratores*. An forte propter *temporis*, quo deceſſerant, *vicinitatem*? *Tres* certe ſimiliter conjunxit

conjunxit *Martialis Rhetoras* qui uno eodemque *anno* perierint. L. II. Ep. 64. Suſpicabar eoſdem utrobique intelligendos. Nec id, (ut videbatur) abſurde. Ita periiſſent eodem anno quo erat in *Schola Quintilianus*, cujus hoc eodem Libro meminerat, & quidem *Epigrammate* poſteriori 90. Sed nec *ordinem temporis* in *ejuſdem Libri* Epigrammatibus diſponendis obſervavit *Martialis*; nec *uno* ſaltem *eodemque anno* ſcripta ſunt quæ in *prioribus libellis* continentur; & poſt *Scholam* certe *Quintiliani* depoſitam vel *primum Librum* collegit ediditque *Martialis*. Eſt tamen præterea cur dubitemus *iidemne* ſint cum *Quintilianeis*, *Martialis* illi *Rhetores*. Facit ut dubitemus vox ipſa *Rhetorum* quos *cauſſidicis*, id eſt *Oratoribus* opponit *Martialis*. Imo ita *opponit*, ut *Rhetoribus* illis *Scholas* fuiſſe innuat in quas ſuccedere poſſet *Taurus* ille ad quem ſcribit, ſi vellet profiteri. Hi quantum à *Senatoribus* diſcreparint, jam ſupra oſtendimus. §. 30. Erant autem *Quintilianei* illi omnes, ni fallor, *Senatores*. Prior ille *Trachalus* etiam *Conſularis*, ſi quidem idem cum *Silii Italici* collega anno LXVIII. *M. Galerio Trachalo*. *Bis* etiam *Conſularis Vibius Criſpus* ſi quidem de illo intelligendus ſit *Criſpo* de quo loquitur *Juvenalis* ipſe, Poetæ *Scholiaſtes*. Sunt tamen fateor, quæ de *Auctoris* ſui *Criſpo* tradit *Scholiaſtes*, de *Criſpo Paſſieno* veriora, quem ſub *Claudio* ſublatum probavimus, quam de noſtro *Criſpo Vibio*. Idque ipſum de *Paſſieno* teſtatur, *bis Conſulem* fuiſſe *Plinius*. N. H. XVI. 44. Sed aliunde veriſimile eſt, qui Principibus adeo *familiaris* erat, ut è Dialogo de *Oratoribus* c. 8. conſtat, & *Juvenali* Sat. IV. v. 81. qui *cenſu* erat pluſquam *Senatorio* teſte *Dialogi* Auctore *Tacito*; qui *concilio procerum Domitiani* aderat, Auctore *Juvenali* v. 73. 144, 145. quod certe *Senatoribus* conſtabat; quem jam olim in

foro Princeps esse docuit ibidem *Tacitus*; illum profecto *Rhetorum* numero qui *Scholis* præerant, esse ne quidem potuisse, quos eodem anno testatur decessisse *Martialis*. Nec alium denique fuisse puto *Julium Secundum*. Dum enim in Dialogo illo *Maternus Aprum* nondum à *Scholasticis controversiis* recessisse testatur c. 14. recessisse *Secundum* videtur innuere. Alii itaque quærendi erunt *Rhetores* quos potuerit designare *Martialis*. Utcunque tamen ad *hæc* illos *tempora* vixisse verisimile est. De *Vibio* certe *Crispo* certum est ad *Domitiani* saltem *tempora* illum pervenisse. Responsum ejus interroganti, *essetne quis intus cum Cæsare, ne musca quidem*, inter *initia Principatus Domitiani* factum testatur *Suetonius*. Dom. c. 3. Postea aderat & in illo ridiculo de *Rhombo* consilio quod traducit *Juvenalis* Sat. IV. v. 81. Nec enim alterius erat *Crispi jucunda* illa *senectus* quam illius, cujus *stylum* à *jucunditate* celebrat aliquoties noster *Quintilianus*. L. V. c. 13. p. 252. L. XII. c. 11. p. 576. Erat quidem consilium illud *antea* quam in *Dacos* mitteretur *Fuscus*. Eo tamen tempore quo se jam *metuendum* præbuerat *Domitianus*. Eo etiam quo è *Britannia* nuncii expectabantur. v. 126, 127. & à *Cattis* & *Sicambris*. v. 147. Anno, ad minimum LXXXII. *Initio* enim Imperii *Pacem* fuisse docent *numi*. Et hoc demum anno titulos *Imperatorios* multiplicare incepit. Sed quocunque demum tempore illud fuerit consilium, *plures* sane sub *Domitiano* vixisse annos ex illo ipso *Juvenalis* loco facile colligitur. Sic enim *Crispum* ad *octogesima* dicit pervenisse *Solstitia*, ut *multas hyemes* transegerit *illa quoque tutus in aula*. v. 92, 93. Sic potuit ille satis commode ad tempora illa vivere quibus noster *Quintilianus* abdicavit. Sic tamen ille ut ante V. operis Librum sit *mortuus*, cum non soleat noster aliorum *mentionem* facere præterquam

mortuo-

mortuorum. Julium Secundum æqualem ſuum fuiſſe dicit. Inſt. L. X. c. 3. p. 473. Proinde *tribus* aut ad ſummum *quatuor* annis ſeſe juniorem. Aliter ſimul pueri aut Adoleſcentuli, eorundemque ſtudiorum ſocii eſſe non poterant. §. 28. Sic autem de illo loquitur quaſi ante juſtam perfecti Oratoris *ætatem interceptus* fuerit. L. X. Inſt. c. 1. Si maturitatem illam, pro modo *Quintiliani* ipſius æſtimemus, qui munere deceſſit *antequam deficeret*, ætatis ſuæ anno XLVI. ſic proximo ab *abdicatione Quintiliani* anno defunctus fuerit, aut non *multo* poſtea; antea nimirum quam ipſe eandem, quam in *abdicatione* ſua *Quintilianus*, ætatem expleviſſet. Denique eadem forma noſter alibi: ***Riſimus*** (inquit) ***& merito*** NUPER ***Poetam, qui dixerat: Prætextam in ciſta mures roſere Camilli.*** Inſt. L. VIII. c. 3. p. 357. Quis ille Poeta fuerit, jam melius judicabunt qui, quo tempore concludendus eſt, intelligent.

Poſtquam abſolviſſet *Quintilianus Inſtitutiones*, *unus* ad minimum *annus* acceſſit ad earundem *editionem*. §. 20. Menſe *Julio* jam *togam virilem* ſumſerat *filius Marcelli Victorii*. §. 27. *Marcellus* ipſe *Victorius* hoc anno *infra* annum ætatis XXXV. & *ſupra* XXXIII. §. 27. Nata *Quintiliano filia Tutilii neptis*. §. 32. 53 / 54 — 95

Marius Priſcus damnatus repetundarum, memoratus à *Juvenali*. §. 38. 58 / 59 — 100

Juvenalis hoc anno *Romæ*, non in *exilio*, teſte *Martiali*. §. 38. 61 / 62 — 103

Filiæ Quintiliani jam ætate *nubili*, viz. annorum XII. *dotem* obtulit *Plinius*. §. 29, 30, 31, 32. 65 / 66 — 107

Terræ motus Antiocheni meminit *Juvenalis* Sat. VI. v. 409, 410. qui hoc anno contigit, pro *noſtris rationibus*. §. 40. 72 / 73 — 114

Romam venit hujus anni *initio Hadrianus*. Tum turba *Poetarum* recitantium in *M. Cornelii Frontonis platanis*. §. 40. Tandem poſt illos 76 / 77 — 118

illos recitat *Satyras* ſuas *priores* XIV. *Juvenalis*. Inde illi *exilii* occaſio. Cum *exul* eſſet, *octogenarius* erat. §. 39, 40. *Recitavit* forte *Juvenalis feriis vindemialibus*. §. 40. QUINTILIANO, cum *Romam* veniret *Hadrianus*, data *ornamenta Conſularia*. §. 36, 37, 38, 39, 40, 41.

119 | 77 | 78 — COS. JUNIO RUSTICO *exul* in *Ægypto Juvenalis*. §. 39. Hujus anni *initio* in exilium *miſſus*. §. 40.

120 | 78 | 79 — Scripſit in *exilio Juvenalis Satyram* XV. & (ſi ejus ſit) etiam XVI. Eodem, ut videtur, anno *mortuus*. §. 40.

ANNALES

ANNALES
STATIANI:
SEU
VITA
P. PAPINII STATII

Per *Annales* diſpoſita.

Immiſcentur etiam aliorum à *Statio celebratorum* tempora, quà licuit, ad *Annales* redacta.

I. QUO *tempora Statii* explorata habeantur, *ortum* Ego inde potiſſimum capiendum exiſtimo unde fluunt exordia omnium certiſſima. Hinc enim normam accuratiſſimam eliciemus ad quam reliqua ejuſdem tempora exigenda ſint. Eſt autem annus unus in illius Scriptis longe omnium certiſſimus, ille nimirum quo *Conſulatum* XVII. geſſit *Domitianus*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XCV. In illum ſcripſit Conſulatum *Papinius* noſter Sylvam Libri IV. primam, & quidem in ipſas, quibus *Conſulatum* illum inivit *Domitianus*, Kalendas *Januarias*. Id ſane innuit ipſe v. 11. &c. Iiſdem, ni fallor, *Kalendis Convi-*

Sylvam IV. Libri IV. ann. Ær. *Chriſt.* XCV. menſe *Julio* ſcripſit *Statius*.

vium illud habuit *Domitianus* à *Statio* celebratum Sylva II. Ut proinde parva admodum intercapedine Sylvæ illæ duæ altera alteram ſecuta ſit. Tertia deinde *viam* celebrat *Domitianeam* hoc demum tempore, ut videtur, dedicatam, idque fortaſſe in honorem *Conſulatus*. Id certe innuit ipſe *Statius*, cum illius *viæ* beneficio *Marcellum* dicit, cui Librum illum inſcripſit, (*a*) *Epiſtolam* ſuam, quæ Sylva IV. eſt, maturius accepturum. Sequitur proinde Epiſtola illa loco quarto, pro *temporis* ordine diſpoſita, poſt *viam* ſcilicet, qua perlata eſt, jam *dedicatam*. Hanc autem ſcripſit circa *menſem* illius anni *Julium*. Poſt *fugam veris aquoſi* v. 12. Poſt *Icarios latratus* v. 13. *Canis* nimirum *Sirii*. *Æſtivis ſolibus* v. 19. *nimio Hyperione* v. 27. Quo anni tempore Ludi Olympici haberi ſolebant v. 31, 32. Non tamen anno Olympico. Cum jam eſſet *Juſtitium* v. 39. *Meſſivæ feriæ* v. 40. Sole *Leonem* tenente v. 28. Cum propterea *Romæ* alioqui *denſæ mœnia rareſcerent* v. 14. Concedentibus nimirum in *villas* ſuas ſuburbanas ditioribus. Hinc certe *tempus* hujus Sylvæ habemus exploratiſſimum.

Is *annus* fuiſſe videtur *Statio Juventutis* ultimus. Sed *cœptus* tantummodo, nec ante annum ſequentem *affectum* deſiturus.

II. Cæterum hac ipſa *Sylva ætatis* ſuæ notam illam dedit ipſe *Statius*:

Nos facta aliena canendo
Vergimur in ſenium: propriis tu pulcher in armis
Ipſe canenda geres.

Juventus Senectuti reſpondebat pro illorum temporum cenſu *militari*, & *Centuriæ* adeo *juniorum ſeniorum Centuriis*. Ita nimirum ut *medium* eſſet nullum in tranſitu à *Juventute* in *Senectutem*, ſed tranſmiſſo quis Juventutis *ultimo* limite deinde *ſe-*

(*a*) Præf. L. IV.

nioribus

nioribus accenſendus eſſet. Non tamen locutione illa: *Vergimur in ſenium*, ſe *jam* eſſe in citimis *Senectutis* limitibus indicat *Statius*, ſed in *ultimis* potius *Juventutis*, unde mox brevis admodum tranſitus futurus eſſet in *ſenium*. Ita certe vocem illam *coævi Statio* uſurpare ſolent Auctores ut *finem* potius deſignet *præcedentis* quam *initium ſequentis*. Sic (*b*) *vergente die* apud *Suetonium* tantundem valet quod *die* ad *exitum* declinante. Similiter phraſim illam eandem *vergente die* adhibuit (*c*) *Tacitus*. (*d*) *Ætatem* præterea *vergentem* ille pro *declinante* ponit aliquoties. Sic etiam (*e*) *vergentes annos*, & *vergentem ſenectam* idem (*f*) *Tacitus*. *Vergi* itaque non *ſenium* ſuum, ſed ætatem *ſenectuti proximam* dixit *Statius juventutem*, declinantem ſcilicet, moxque in ſenium *deſituram*. Sed nec *vergentem Juventutem* illam intellexit quæ in *proximo* ſita eſſet *ſenectutis* confinio. Libro ſequenti Sylva IV. v. 1. rurſus ſeſe *Juvenem* appellat. Hæc ille ſequenti, ut videtur, anno, *Domitiani ultimo*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XCVI. cum jam *morbo* illo laboraret qui *ſomnum* ei eripuerit, quemque adeo *fatalem* illi fuiſſe ſuſpicamur. Alterius anni illum fuiſſe Librum exinde colligimus, quod ultima hujus IV. Libri Sylva Carmina habeamus *Saturnalitia*. Et tamen *vivo* etiamnum *Domitiano* ultimum quoque illum Librum abſolvit, collegit, ediditque *Statius*, ut è *Præfatione* manifeſtum eſt. Proinde *annum* Juventutis *ultimum* deſignavit, ut videtur, *Statius*. *Labentem* tamen illum, nec ante annum *ſequentem*, aliquatenus *affectum*, penitus *abſolvendum*.

III. Erant autem apud *veteres*, etiam *Romanos*, *Juventutis*, diverſis tempori- *Juventus*, his *Statii* temporibus, ad annum

(*b*) *Sueton.* Oth. c. 7. (*c*) *Tacit.* Ann. XIII. 38. (*d*) *Tacit.* Ann. II. 43. Ann. IV. 8. (*e*) *Tacit.* Ann. XII. 44. XIII. 19. (*f*) *Tacit.* Ann. IV. 41.

ætatis censebatur XXXV.

bus, diversi etiam limites. Duo tamen erant omnium insignissimi. Ætatem *militarem Juventutis pubisque* nomine censent veteres, eamque ad annum usque XLV. extendebat *Servius Tullius*, & ab eo deinceps libera sub *Consulibus* Respublica. Inde *Varro* ætates per *quindecennia* ita secrevit, ut primo quindecennio *Pueros*, secundo *Adolescentes* censeret, tertio autem, usque ad XLV. annos *Juvenes* appellaret, *eo* (inquit apud (*g*) *Censorinum*) *quod Rempublicam in re militari possunt juvare.* Hæc fuerat olim disciplina florente, uti dixi, *Republica.* Alia autem erat his, de quibus agimus, temporibus *Imperatorum. Pueritiam* illi *veterem* ab annis XVII. ad XIV. contraxerunt, eademque proportione alias similiter *ætates. Juventutem* certe toto decennio breviorem faciebant, ab annis nimirum XLV. ad annos contractam XXXV. Proinde ut *Consulatus* inibant, ante mutatam *Rempublicam*, anno ætatis XLIII. ita sub *Principibus* anno ætatis XXXIII. Hoc nos alibi observavimus etiam in *privatis*, in quibus nihil est quod suspicemur *Legis* Annariæ factam esse *indulgentiam.* Sic etiam *Præturam* veteres anno ætatis XL. gesserunt. Illo certe anno *Cicero*, qui honores omnes *annis*, ipso teste, gessit *legitimis*, Præturam inivit. Atqui justo decennio juniores τριακοντούτεις ad *Præturam* admittit Oratio *Mæcenatis* (*h*) *Dioniana*, quam in administranda Republica, pro norma habuit *Augustus*, & *Augusto juniores* deinde *Principes.* Sic itaque se res habuit in honoribus *Senatoriis* ætate *militari* atque *juvenili* capiendis. Quinetiam in *Principibus* Imperii *hæredibus tricenariis* majores *Principes Juventutis* in numis Inscriptionibusque sæpe legimus, majores annis XXXV. qui illo titulo ornarentur, nusquam legimus. Similiter etiam in

(*g*) *Varr.* apud *Censorin.* de d. nat. c. 14. (*h*) *Dio* L. LII. p. 479.

militia

militia *gregali ſtipendia* à *tyrocinio*, quod mox à toga *virili* inire ſolebant, *viceſima* infra prædictum ætatis annum XXXV. ſatis commode concludebantur. Sic undiquaque *Juventute* illa cenſebatur, ſub *Imperatoribus*, ætas *militaris*. Et quidem illo ipſo anno XXXV. ætatem hominis IV. diſcrevit *Hippocrates* teſte *Cenſorino*. Sic ille nimirum ut proxima ætate *ſenem* faciat ex eodem *Hippocrate* (*i*) *Pollux*. Ἡ πέμπτη ἀνήρ· ἡ ἕκτη, γέρων. Loquitur enim de *hebdomadibus*. Cur ita ſcriberet ad *Commodum Cæſarem Pollux* ſi alius fuiſſet calculus ille à recepto cenſu *Romanorum*? Et quinta annorum *hebdomade* maturitatem ad *ſtirpem* relinquendam claudit *Solon* qui *ſeptenariis* vitam humanam univerſam diſtermina-vit. Ut proinde vita reliqua *maturitatem* egreſſa *marceſcenti* adeo *declinantique ætati*, pro ejus ſententia, fuerit aſſignanda. Nec ſane alium terminum ob oculos habere poterant qui *Servii Tullii juventutem*, in honoribus capiendis juſto *denario* cenſebant contrahendam. Ad hanc ergo normam exigenda erit *Juventa Statii*.

Confirmatur illa *Statii* ætas ex ætate *Marcelli Victorii*.

IV. Itaque hujus *Juventutis* annum, ni fallor, ultimum egit anni XCV. menſe *Julio* noſter *Papinius*, *cœptum* tantummodo, nec anno etiam ſequenti, quo illum deceſſiſſe ſuſpicamur, abſolvendum. Proinde annum XXXIV. duntaxat compleverat illo, quem dixi, *menſe*. Fieri autem vix potuit ut *junior* fuerit. Certe *Victorio Marcello* paulo ſe *majorem* indicat, quem mox (*k*) *juvenem* appellat. Et ea quidem *ætate* juvenem quæ rebus eſſet idonea *gerendis*, quam ipſe ætatem *ſuam* geſtis *canendis* inſumſiſſet alienis. Sumſerat *Marcelli* filius illo ipſo *anno* togam (*l*) *virilem*, & quidem ante illum ipſum

(*i*) *Pollux* L. II. c. 1. (*k*) Lib. IV. Sylv. IV. v. 45. 74. (*l*) Annal. *Quintil.* § 27.

anni *menſem.* Sic *natus* fuerit anno ad minimum Æræ noſtræ LXXXI. & ante menſem illius anni ſimiliter *Julium.* Fuerit ergo *uno* ſaltem *anno* major *Marcello Statius.* Ita quo anno *Statius* XXXIV. impleverat, eodem XXXIII. oportet impleviſſe *Marcellum.* Sic *Patris* anno XIX. labente natus fuerit *Marcelli filius.* Nec ſane *antea* naſci potuit, cum ne quidem *matrimoniis* viri ea ætate *maturi* cenſerentur antea quam XVIII. annum *expleviſſent.* Ita anni XIX. exitu *naſci* oportebat *filios* etiam *primogenitos.* *Faſces* præterea *Marcelli* à *Statio* memorati, ſi *Conſulares* fuerint, hoc ipſo *anno* antiquiores eſſe non poterant per leges Conſulatus *annarias.* Et *Conſulatum* illum, qui nullus legitur in *Faſtis*, inter initium anni & finem *Junii* geſſerit neceſſe eſt. Jam enim in aliam ſucceſſerat curam *viæ publicæ.* Sin *Prætorii* fuerint, ſic ante annum XCII. quo XXX. abſolvit *Marcellus* annum *Præturæ* legitimum, haberi non poterant, ut nullam paſſus fuiſſet in *Prætura* ambienda repulſam. Et quidem *curam* illam viarum publicarum, Prætoriorum propriam, teſte (*m*) *Dione*, fecerat *Auguſtus.* Poſtea tamen neſcio quis alius (poſt *Auguſtum*) Princeps non *Prætoriis* illam, ſed *Conſularibus*, aſſignavit. Tales fuere certe *Cornutus Tertullus* & (*n*) *Plinius*, (idque indicat ipſe *Plinius*) cum *viarum* curam illis crederet *Trajanus.* Et vero è *Plinii* coævi teſtimonio magis ſtatuendum de *Victorii Marcelli* ætate cum honorem illum obiret. Sic notam *temporis*, eamque accuratam dabit ætas *Marcelli* ne *major* eſſe poſſet illa, quam dixi, *ætate* noſter *Statius.*

Annus ætatis XVIII. apud *Romanos*,

V. Sic *natus* fuerit anno Æræ *Chriſtianæ* LXI. ineunte, ante menſem certe *Julium.* Ita nimirum ut *major* anni

(*m*) *Dio* L. LIII. p 526. (*n*) *Plin.* L. V. Ep. 15.

ejus

ejus primi pars in illum *ipſum* inciderit annum, *minor* in ſequentem. Sic togæ *virili* maturus fuerit anno LXXV. ſimiliter *ineunte*. Sequitur ejus cum *Claudia matrimonium*, cujus *annus* à nobis diſquirendus eſt. Inde enim pendent tempora ejus reliqua omnia celebritatis in Arte ſua *Poetica* univerſæ. Imprimis autem ante annum certe Æræ receptæ LXXIX. ineuntem nondum compleverat annum ætatis XVIII. quem *primum* jam probavimus (o) *Adoleſcentiæ barbatæ*, quem etiam *matrimoniis* apud *Romanos* virorum receptiſſimum fuiſſe probavimus. Erant quidem, pro *veteri* diſciplina *Romana* poſt annum XIV. matrimonia *legitima*. Idque ſupponebat Lex *Papia Poppæa* quæ XX. ætatis anno illos ad honores ambiendos admittebat qui quinque liberos habebant. Non poterant *quinque* liberi ante annum XX. ſuſcipi niſi è *matrimoniis* anno demum ætatis XV. poſt togam *virilem* initis. Sed pugnabat pars illa Legis *Papiæ Poppææ* cum lege alia de matrimoniis *Julia*. Obſervavit hoc (p) *Tertullianus* : *Nonne & vaniſſimas Papias leges, quæ ante cogunt liberos ſuſcipi, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem heri Severus conſtantiſſimus Principum excluſit.* Ita nimirum intelligendus, non quaſi verbis expreſſis cum *Julia* pugnaret lex *Papia Poppæa*. Sic enim fieri non potuit ut utraque ſimul pro *Lege* haberetur. Sic itaque *Tertullianum* intelligo ut lex *Julia Uxorium* quod *uxoris nondum ductæ* nomine ſolutum docet (q) *Feſtus* non antea ſolvendum conſtituerit quam poſt annum ætatis XVIII. Non tamen legi illi derogabat ſi uxoris etiam *antea* ductæ non quidem *pœnæ*, ſed tamen *præmia* conſtituerentur, quod fecit *Lex Papia Poppæa*. Et veram hanc eſſe *Tertulliani* ſententiam

matrimoniis legitimus.

(o) Annal. *Quinti* i.m. § 3. (p) *Tertull.* Apol. c. 4. (q) *Feſt.* Uxor.

exinde

exinde colligo, quod *disertum* aliquod utriusvis Legis de *matrimoniorum ætate* caput nullum repererit (*r*) *Lipsius*. Itaque *ratiociniis* quæ dixi illis *contrariam* illam Legum sententiam elicuit *Tertullianus*. Collegit nimirum in lege *Julia probari* illam matrimoniorum *ætatem* annorum XVIII. quod *ante* illam nullam constituerit *Uxorii* pœnam. Collegit rursus *probari* à Lege *Papia Poppæa* minorem illam aliam receptæ *Pubertatis ætatem*, quod *præmia* illa *vicenariis* assignaverit propter *liberorum numerum* illum qui nullus esse potuit nisi mox à *Pubertate* matrimonium ineuntibus. Nec tamen ulla erit in illis *Legibus* vera ἀντινομία si & *majorem ætatem* ad matrimonia *obligarent* propositis *supplicitis*, & ad matrimonia etiam *minori ætate* ineunda, non quidem *pœnæ metu obligarent*, sed propositis tamen *præmiis hortarentur*. Utcunque tamen erant ambæ illæ Leges, ut ex Historia *Romana* constat, apud *vulgus* ingratissimæ. Nec adeo tantum proficere potuit *spes* illa *præmiorum* quam *metus* illē *pœnarum*. Illud certe manifestum est *prætextus* omnes quæsitos esse *differendis*, quam possent longissime, *matrimoniis*, præcipue sponsarum (*s*) *impuberum* sponsalibus. Proinde consentaneum erat ut laxius illud legis *Juliæ* spatium potius obtineret quam arctius illud aliud legis *Papiæ Poppææ*. Hoc vero fuisse laxius illud Legis *Juliæ* spatium, exinde collegimus quod qui *tres* haberent liberos illi XXII. anno ad honores admitterentur, & sic deinceps. Hi enim *liberorum* numeri respondebant matrimoniis anno ætatis XIX. i. e. anno XVIII. absoluto, contractis. Nec aliam *matrimoniorum* normam hoc intervallo quo vixit *Statius*, fuisse verisimile est, post *Augustum* scilicet, & tamen ante

(*r*) *Lips.* ad *Tacit.* Ann. III. c. 25. Excurs. c. (*s*) *Suet.* Aug. c. 34.

Severum.

Severum. Proinde *ante* hunc, quem dixi, annum matrimonium illud cum *Claudia Statii* expectandum non eſt. Vim porro legi *Juliæ* novam dedit *Domitianus*, ut è (*t*) *Juvenali* colligitur atque (*u*) *Martiali.* Sed recentius erat, ut videtur, matrimonio *Statii* Edictum illud *Domitiani.*

VI. Hoc ergo, ut videtur, anno de *matrimonio* per *leges* ineundo cogitavit *Statius.* Nec licuit ei diu illud protrahere quin pœnam *Uxorii* incurreret per eaſdem *Auguſti* leges. Vacationem *triennii* ab *Auguſto* conceſſam docet (*x*) *Suetonius.* Quod ſane veriſſimum eſt. Poſtea *biennium* duntaxat conceſſiſſe ipſum habemus teſtem ſua ad cœlibes Oratione apud (*y*) *Dionem.* Hæc ſcilicet ante legem *Papiam Poppæam.* Poſtea *annuum ſpatium* cœlibibus præſtituit intra quod, ſi paruiſſent, à pœna liberarentur. Lenivit, fateor, legem illam *Tiberius, exſolvitque pleroſque legis nexus*, teſte (*z*) *Tacito.* Sed potius, ut puto, *vim* legis quoad *delatores*, à quibus præcipuus erat illis temporibus metus, quique *nexus legis* captabant, aliquatenus refregit, quam *legem ipſam.* Et *modicum* ſane fuiſſe, & *in præſens* tantummodo, illud *Tiberii* levamentum, idem teſtatur ipſe *Tacitus.* Nec aliam poſtea legis laxationem memorat, cum tamen poſt *Statii* noſtri tempora illa ſcripſerit. Proinde *Statio* noſtro *annua* major eſſe non potuit *Legis indulgentia* ad *matrimonium* ab anno XVIII. expleto ineundum. Ita anno LXXX. uxorem duxerit, ſi quidem duxerit infra ſpatium à lege præſti-

Poſt illam ætatem *vacatio* vel *annua* vel (ad ſummum) *biennis* antequam *Uxorium* penderent *cœlibes.* Proinde anno vel LXXX. vel LXXXI. uxorem *Claudiam* duxit *Statius.*

(*t*) *Juv.* Sat. II. v. 37. Sat. VI. v. 38. (*u*) *Martial.* L. VI. Ep. 2. 4. 7. vid. *Suet.* Dom. c. 8. (*x*) *Suet.* Aug. c. 34. (*y*) *Dio.* (*z*) *Tacit.* Ann. III. c. 25.

tutum. Et ſane *legitimo* tempore duxiſſe ex illis ejus colligo ad illam verbis : (*a*)

Etenim tua (*nempe benigna*
Quam mihi ſorte Venus, junctam florentibus annis,
Servet & in ſenium) *tua, quæ me vulnere primo*
Intactum thalamis, & adhuc juvenile vagantem
Fixiſti, tua frena libens, dociliſque recepi.

Primam eſſe ejus Uxorem *Claudiam* ipſe palam agnoſcit, cum *intactum* ſe *thalamis* ei junctum fuiſſe teſtatur. Nec illud modo. Se etiam *florentibus annis* junctum agnoſcit. De *ſuis* enim potius quam *Claudiæ* annis *florentibus*, quæ *vidua* erat, & è prioris viri nuptiis ad illius nuptias tranſierat, illum intelligo. *Florem* ille proculdubio intelligit, pro more Sæculi, *ætatem matrimoniis maturam.* Hanc enim *Græci* ἀκμὴν, ὥραν, ἄνθος, *Latini* etiam *florem* appellant. Sed & illud quoque rationi conſentaneum eſt ut *florem* ille è coævis Sæculi ſui legibus moribuſque æſtimarit. Sic eam ipſam *ætatem* intelligit quæ à *legibus* coæviſque *moribus* ſolebat *matrimoniis* deſtinari. Et ſane ita, dum *juvenile vagaretur*, ſe ab ea *vulnere primo fixum* fuiſſe dicit. *Juvenilis* illa *vagatio* nihil aliud erat quam vaga illa atque adhuc incerta quærentium matrimonia juvenum, antequam *figerentur*, annorum mutatio, & plane in *ætatem* illam eandem quadrat, quam dixi, matrimoniis *idoneam*, atque *legitimam.* Ita *Claudiam* duxerit *ætate* matrimoniis *legitima.* Sic intelligimus *initium* quo concludendum ſit hoc *matrimonium.*

Eodem anno *Claudiam* duxit

VII. Ait ergo *Statius* cum uxore *Claudia* ſuam una *creviſſe Thebaidem.*

(*a*) *Stat.* L. III. Sylv. 5. v. 22. &c.

Ait

Statius, cœpitque Thebaidem, quam poſt annum XII. emiſit, paulo ante I. *Sylvarum* Librum, anno nimirum XCII.

Ait illam *longi* (*b*) *laboris* ſui *ſolam* fuiſſe *conſciam*. *Longus* ille *labor longum* eſt (*c*) *æquor* in fine *Thebaidos*. *Biſſeni* nimirum anni quibus vigilatam dicit ibidem fuiſſe *Thebaidem*. Facile inde colligimus mox à *matrimonio* Operi illi manum illum admoviſſe. Ut proinde *duodecimus* ille *Thebaidos* annus cum *duodecimo* etiam concurrerit, maxima ſaltem ex parte, anno *matrimonii*. Elapſis illis *duodecim* annis, tum demum edidit. Sed vero *editam* jam fuiſſe docet cum primum ederet *Sylvarum* librum. Adeo tamen *nupera* memoria editam, ut nondum pro ea timere deſierit. *Quid enim* (*d*) (inquit) *oportet hujus quoque Authoritate Editionis onerari, quod adhuc pro Thebaide mea* (*quamvis me reliquerit*) *timeo*? Videamus ergo cui Æræ receptæ anno conveniat illa primi *Sylvarum* libri Editio. Et quidem certum eſt, uti jam antea obſervatum eſt, à IV. Libri Sylvis incipere annum Æræ receptæ *Chriſtianæ* XCV. Proinde & illud certum eſt anno XCIV. convenire Librum III. Luget autem in eo *Statius*, mortem *Etruſci* Sylv. III. quod facit *Martialis* Libr. VII. Ep. 39. Sed & Libri II. Sylva VII. *Genethliacon Lucani* Poetæ rogatu *Pollæ Lucani* uxoris celebrat *Statius*, quem celebrat ejuſdem, ut videtur, rogatu *Martialis* eodem Libro VII. Ep. 20, 21, 22. Proinde & illa utriuſque Poetæ opera concurrere vix eſt quod dubitemus. Sic III. Liber *Statii*, & II^i. finis cum *Martialis* Libro VII. concurrent. Initium Libri II. *Statiani*, cujus Sylva I. *Glauciam Atedii Melioris* delicatum luget *Statius*, cum Libro *Martialis* VI. potius committendum, cujus Ep. 28, 29. eundem *Glauciam* deflet *Mar-*

(*b*) *Stat.* L. III. Sylv. V. v. 35, 36. (*c*) *Stat.* Thebaid. L. XII. v. 809. 811, 812. (*d*) *Stat.* Ep. Dedic. ad *Stell.*

tialis. Et quidem cum *Martialis* Libro VI. convenit etiam *Statii* Liber I. Illius enim Sylva II. *Epithalamion Stellæ* & *Violantillæ* canit *Statius* quod Libri VI. Ep. 21. 47. cecinit *Martialis.* Et *balneum Etruſci* Sylva illius Libri V. laudat *Statius* quod fecit L. VI. Ep. 42. *Martialis.* Sed vero Libro ſuo VII. de nova *Domitiani* expeditione agit *Martialis. Loricam* ejus memorat Ep. 1, 2. Et locum, quo expeditio deſtinata eſt, deſignat *Sarmatiam. Sarmaticas* memorat *ſagittas.* Ep. 2. *Sarmaticas laurus.* Ep. 5. *Hibernam Arcton, rudem Peucen,* & *ungularum pulſibus calentem Iſtrum.* Ep. 6. Inde *hyeme* geſtum illud Bellum intelligimus, qua *Iſter* congelatus fuerit. Sic tamen ut partem aliquam in hoc eodem Bello habuerit *Germania. Fractum* enim ait *cornu jam ter improbo Rhenum.* Ep. 6. Etiam *Pacem* ſecutam memorat apud *Odryſios Triones*, ubi *Marcellinus* Ep. 79. *Perdomitas gentes ad Geticam Peucen, Iſtrumque tacentem*, ubi *Cæcilius* erat *Secundus*, cui cum *Carminibus* mittebat ſuam etiam *imaginem.* Ep. 83. Spectant illa plane ad *Sarmaticam laurum* quam *Capitolino Jovi Domitianum* de *Sarmatis* teſtatur retuliſſe (*e*) *Suetonius.* Nec ſane alio referenda *Statii* illa in quibus dicit MODO *Domitianum Marcomanos poſt horrida Bella vagoſque Sauromatas Latio non fuiſſe dignatum triumpho.* L. III. Sylv. III. v. 170, 171. Diu enim ante *reditum,* & ſub *hujus* adeo anni *finem* victoriam illam *Domitiano* gratulatus fuerat *Martialis.* Nempe ad primum *Victoriæ nuncium triumphum Domitiano* decreverat *Senatus,* quo ille recuſato, quaſi *hoſte* prorſus, de quo triumpharetur, *indigno, lauro* ſe contentum fore reſcripſerat in gremium *Jovis Capitolini* inferenda. Ita certum eſt concurrere hæc *Statiana* cum illis, quæ

(*e*) *Suet.* Dom. c. 6.

dixi,

dixi, *Martialis*. Et quidem ante novum illum victoriæ *nuncium* certum eſt *Thebaidem* ſuam emiſiſſe *Statium*. *Bis* (*f*) enim duntaxat *jugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum* agnoſcit *Statius* cum *Thebaidi* mox edendæ manum ultimam imponeret. Cum tamen *tertia* illa numeraretur, uti vidimus, quæ hac ultima *Domitiani* expeditione fuiſſe credebatur, *Rheni victoria*. Sed vero affecto anno XCIV. convenit initium illud Libri *Martialis* VII. cum in expeditione eſſet *Domitianus*. Jam enim alibi (*g*) menſe *Maio* expeditionem illam à *Domitiano* ſuſceptam oſtendimus. Et ſane annum *exeuntem* deſignant notæ *temporum* omnes quotquot in illo libro *Martialis* occurrunt. Menſe *Decembri* nuncium memorat de *reditu Domitiani* mox futuro Ep. 7. *Decembris* rurſus Ep. 27. 35, 36. 71. 94. meminit. Etiam *Saturnalium* Ep. 52. 90. quæ in *menſem* illum incurrere manifeſtum eſt. Etiam *Domitiani reverſi* Ep. 98. quem tamen menſe *Januario* ſequenti reverſurum nuncius prædixerat. Ep. 7. Sic anno XCIV. exeunte ſcripſerit Libri illius VII. pleraque *Martialis*. Imo anno, quo *Domitianus* eſt reverſus, XCV. ediderit. Ut *prior* illius pars ſit ad Librum ejus VI. conferenda. Sunt tamen in hoc eodem Libro VI. *diverſi* etiam *anni*, & quidem *præcedentis exeuntis* notæ. *Bellum* memorat *Septentrionale* in quo erat *Marcellinus* Ep. 25. in quo etiam *A. Pudens* Ep. 58. in quo ceciderit *Fuſcus*, cujus legimus *Epitaphium* Ep. 76. Cum ſcilicet *nondum* ſeſe ad expeditionem illam accinxiſſet *Domitianus*. *Cornelio* enim *Fuſco* præfecto cohortium Prætorianarum Belli ſummam ab eo commiſſam ſcribit (*h*) *Suetonius*. Inde *neceſſario* illam in *Sarmatas* expeditionem à *Domitiano* ſuſceptam, *le-*

(*f*) Thebaid. L. I. v. 19. (*g*) Præl. IV. ad *Sp.* Adrian. §. 3. (*h*) *Suet.* Dom. c. 6.

gione cum Legato ſimul cæſa, idem teſtis eſt *Suetonius*. Idem *Martialis* & *brumam* memorat Ep. 80. Non *hujus* certe anni cujus adeo multa in Libro dedit ſequenti, ſed *ſuperioris*. Proinde *alteri* anno convenjat oportet *Statiana* II. Libri Sylva I. cujus Argumentum cum *Martialis* Libri VI. Epigr. 28, 29. legimus commune. Ita ergo, ni fallor, Libros *Statianos* diſponemus aptiſſime, ſi ſingulis annis ſingulos aſſignemus Libros. Ut ſcilicet Librum III. ediderit anno XCIV. Librum II. anno XCIII. Librumque adeo I. anno XCII. Sic infra annum ab anno ætatis XVIII. expleto uxorem duxerit, & *Thebaidem* inchoarit. Et quidem illa reliqua noſtri *Statii* ipſo illo anno ab illo ſcripta, quo edita ſunt, exiſtimo. *Primi* Libri omnia paulo antiquiora. *Saturnalitia* certe illa *Statii* quæ in Libri I. Sylva VI. ad alium aliquem prioremque annum ſpectant. Certamina illa *fœminarum nanorumque* ante *Trajani* Conſulatum & *Glabrionis* qui anno conveniebat XCI. referebat *Dio*, ſi tamen vel *Dionis* ſaltem *ordinem* conſervarit breviator illius *Xiphilinus*. Edidit ergo *Statius* Librum I. *Sylvarum* anno quo dixi XCII. Et proinde *Thebaidem* jam *ante* illum ſaltem *elapſum* emiſerit. Imo illo *ipſo*, ni fallor, *anno. Bis jugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum* ipſa, ut vidimus, *Thebaide*, cecinerat *Statius*.

Primum *Rheni* jugum anno LXX. Inde ſe *Germanicum* anno LXXXI. jam *Imperator* appellavit *Domitianus*.

VIII. Primo *Rhenum* jugo addixit, ni fallor, cum *ſpontaneam* illam in *Cattos* expeditionem de qua c. 6. *Suetonius*, ſuſciperet. Illam nimirum de qua ita c. 2. idem *Suetonius* : *Expeditionem* (inquit) *quoque in Galliam Germaniaſque neque neceſſariam, & diſſuadentibus paternis amicis inchoavit* : *tantum ut fratri ſe & operibus & dignatione adæquaret.* Meminerunt hujus expeditionis, præter *Suetonium*, coævi alii,

(*i*) *Silius*

(*i*) *Silius Italicus*, (*k*) *Joſephus*, (*l*) *Tacitus*, (*m*) *Frontinus*. *Paternum amicum* qui diſſuaſerit, *Mucianum* refert (*n*) *Tacitus*. *Frontinus* ita illius meminit, ut ne alium fuiſſe dubitemus. *Germanos* (inquit) *in armis eſſe audiens profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum*. Plane illa genuina *Suetonio*. Illos in *ſaltibus ſylviſque* teſtatur viciſſe *Frontinus*, qui & *Cattos* fuiſſe docet. Imo illo ipſo Bello *Germanico* quo *Galliam* etiam ſolicitavit *Julius Civilis* hanc *Domitiani* expeditionem fuiſſe idem teſtis eſt *Frontinus*. Conveniunt hæc anno Æræ *Chriſtianæ* LXX. eidem nimirum quo Bellum etiam *Judaicum* abſolvit frater *Titus*. Satis nimirum opportune ut *fratris* gloriam in eo fuerit æmulatus. Et tamen inde multis poſtea annis, jam *Auguſtus Germanici* nomen reportavit, quod neſcio quiſquamne antea obſervarit. Innuit, ut puto, (*o*) *Martialis*. Sic enim ille:

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine, Cæſar, eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
Quæ datur ex Cattis laurea tota tua eſt.

Sic enim lego verſu ultimo non *Dacis*, ſed *Cattis*. Et ſic legendum jam olim ante me monuit maximus *Lipſius*. Illud ſane manifeſtum eſt de *titulo Domitiani* agere hoc in loco *Martialem*. Tali nimirum illo qualem à victa *Creta* habuit *Metellus Cretici*, qualem item ab *Africa Scipio* eſt adeptus *Africani*. Illud præterea manifeſtum eſt à *Martiali* titulum alium

(*i*) *Sil.* It. L. III. (*k*) *Joſeph.* Bell. Jud. L. VII. c. 11. (*l*) *Tacit.* Hiſt. IV. 85. (*m*) *Frontin.* Strateg. L. I. c. 1. 8. c. 3. 10. L. II. c. 3. 13. c. 11. 7. L. IV. c. 3. 14. (*n*) *Tacit.* Hiſt. IV. 85. (*o*) *Mart.* L. II. Ep. 2.

non

non intelligi quam quem à *domito Rheno* traxerit *Domitianus* atque *Germania.* Sic planum erit in verſu ultimo locum nullum habere *Dacos* ſed *Cattos* quorum res geſtæ vere ſpectabant ad *Germaniam.* Ne dicam jam titulum *Germanici* in *Domitiano* quam *Dacici* longe eſſe & *notiorem* atque *frequentiorem.* Non alius eſſe certe potuit quo *puerum Domitianum* dignum fuiſſe potuit affirmare *Martialis.* Res enim illi cum *Dacis* nullæ prorſus erant, ſed tantummodo cum *Cattis* aliiſve *Germaniæ* populis in illa, quam appellant coævi adulatores, illius *Pueritia.* Imo illam ipſam intellexit *Martialis* expeditionem quam eo nomine à *Domitiano* ſuſceptam indicat *Suetonius* ut *fratri ſe & operibus & dignatione adæquaret.* Animum enim *Domitiani,* in hoc ipſo *Germanici* titulo, *fratris* æmulum prodit *Martialis* dum victoriæ *Titi Judaicæ* victoriam illam *Domitiani Germanicam* etiam anteponit. Eo nimirum nomine quod *patrem* habuerit victoriæ *Judaicæ* participem *Titus,* victoria autem *Germanica* ſolius fuerit tota ſine ſocio *Domitiani.* Veteris ergo ante annos XI. victoriæ nomine *Germanici* titulum ſibi arrogavit *Domitianus,* primumque adeo illud fuerit, de quo loquitur *Statius, Rheni jugum.* Patrem enim fratremque pro iniquis habebat meritorum ſuorum cenſoribus, ut è *Dione* conſtat & *Suetonio.* Negatum ergo ab illis victoriæ *Germanicæ* honorem ipſe ſibi Imperator aſſeruit. Mox certe ab *initio* Imperii *Germanicum* illum legimus in *numis.* Non tamen propter res *poſt* Imperium geſtas. *Pacem* enim *Aug.* venditant primi illi *numi.* Et *pacem* fuiſſe illud præterea oſtendit, quod pulſum propter ſuam *Romanorumque* amicitiam à *Cattis* (*p*) *Chariomerum* nondum tamen *auxiliis,* ſed *pecunia* tantummodo remunerarit.

(*p*) Dio Theodoſ.

IX. Itaque

IX. Itaque primum illud erat *Rheno à Domitiano jugum.* Secundum erat, ni fallor, cum deficeret L. *Antonius.* Tunc enim *barbaros ne ad Antonium transirent, exundatione fluminis impeditos* fuisse testis est *Suetonius.* Tunc etiam in *armis* fuisse *Germanos* docet in *Æmilii Pauli* vita *Plutarchus,* ne alios *Suetonii barbaros* fuisse dubitemus. Victoriam in *Antonium* anno LXXXIX. jam alibi assignavimus. Sed nondum victi *Germani* illi qui, nisi per *Rhenum* stetisset, ad illum fuissent transituri. Sed multos habemus in *Domitiani* numis Inscriptionibusque *Tribunitia Potestate* VIII. (cujus pars longe maxima in hunc annum quadrat, ante Idus *Septembres*) signatis titulos *Imperatorios.* Aliquot, ut videtur, propter victorias alias in gentes *Germanicas.* Imo numis COS. XIV. inscriptis legimus GERMANIA CAPTA & GERMAN. & RHENUS SC. è quibus certo constat ante initium anni XC. quo COS. XV. processit, victam jam fuisse *Germaniam,* pro sententia Triumvirorum monetalium. Obstat vero quo minus ad annum superiorem referri possent quod nondum victus fuerit *Antonius.* Scio quidem in Consulatus XI. numis *Quadrigam* apparere, & *captam* legi *Germaniam,* & *Jovem victorem.* Sed *juvenis,* ni fallor, intelligebatur ille *Jupiter,* qualis in X. Consulatus numis etiam legitur. Quo scilicet titulo gloriatus est *Domitianus* de rebus à se ætate *juvenili* & Patre Imperante gestis. Estque id certe in numis satis frequens ut veterum triumphorum memoriam sæpe renovent. Estque præterea in *Suetonio* manifestum Consulatu illo *Domitiani* XI. cum *Dacis* potius rem fuisse quam cum *Germanis.* Imo *Rhenum ter victum* non ante expeditionem *Sarmaticam* memo-

Secundum *Rheni* jugum anno LXXXVI quo victus fuerat *Antonius.*

rat *Martialis*. Proinde de *tertio* aliquo in *Germanos* triumpho intelligi nequeunt numi *Consulatus* XI.

Bellum *Domitiani Dacic.* I. in *Diurpaneum* anno LXXXV. II in *Decebalum* anno LXXXIX.

X. Sed vero præter duplex illud *Rheni* jugum, bis etiam, ante emissam *Thebaidem*, *addictum legibus Istrum*, memorat *Statius*. *Istri* nimirum nomine *gentem Istro* accolam intelligens ut *Rheni* nomine *Germanos* designaverat. *Gens* illa alia non erat quam *Dacorum Istro*, qua etiam à *Danubio* distinguitur, finitima. Et quidem duplici illo Bello *Dacico* cum duplici res erat *Dacorum* Rege. Priori Rex erat *Diurpaneus*, ut è *Tacito* nos docet *Orosius*. *Dorpaneum* illum appellat *Jornandes*, quem tamen suspicor ex *Orosio* potius, quam ex ipso *Tacito*, nomen depravasse. Sed *Duram* illum nominant excerpta *Dioniona Porphyrogeneti*. Fieri potest ut alius ille fuerit mediusque inter *Diurpaneum* atque *Decebalum*. Hoc duce fusus occisusque *Appius Sabinus* anni Æræ nostræ LXXXV. *Consul*, sed, cum cæderetur, tantummodo *Consularis*, hoc ipso anno an sequenti potius incertum est. Imo *Fusci* prælia *Romanorumque* sub eo duce *clades* ab eodem *Diurpaneo*, eodemque *Tacito* teste, narrat *Orosius*. Sic etiam magnam in *secundo* quoque Bello *Dacico* partem habuerit *Diurpaneus*, si tamen tenuerit ad *Fusci* usque *cædem*. Jam *falsus* erat ille è *Germania triumphus* cujus meminit in *Agricolæ* vita (*s*) *Tacitus*. Post *Agricolæ* reditum anno, pro nostris rationibus, LXXXVI. & tamen ante annum ejus emortualem XCIII. *exercitus* (*t*) memorat in *Mœsia Daciaque*, & *Germania Pannoniaque temeritate aut per ignaviam ducum amissos*. Nec *uno* illos *anno*. Imo *omnem* ait *annum funeribus & cla-*

(*s*) c. 39. (*t*) c. 41.

dibus

dibus fuiſſe *inſignitum.* Sic *longo Marte Dacos* hac *ſecunda* vice domuerit, & quidem hoc ſecundo Bello exeunte agentes ſub *Decebalo.* Non quidem ipſe ſed per duces *Domitianus,* quos otioſus ipſe ſpectabat. *Fuſci* Epitaphium L. V. Ep. 76. habet *Martialis.* Cujus Libri pleraque cum primi Sylvarum Libri editione concurrere obſervavimus. Tum vere *Decebalum* in *Tapis* vicit *Julianus,* quem, ne *Regiam* ejus dirueret, ſtratagemate arcuit *Decebalus.* Tum in *Quados Marcomanoſque* quod auxilia negaverant in *Decebalum,* converſus ipſe *Domitianus* ab illis victus fugatuſque eſt. Tum demum Pacem à *Decebalo,* conditionibus tamen parum honeſtis impetrat, quod nec *Decebalus* ipſe ſatis commode ſeſe habebat, propter recentem *Juliani* victoriam. Tum miſſum legati loco *Degidem* fratrem *Dacis* Regem dedit *Domitianus,* cujus meminit *Martialis* L. V. Ep. 3. L. VI. Ep. 10. Hæc *Dio Xiphilinianus* eodem tempore contigiſſe ſcribit quo defecerit *Antonius.* Id quoque ſatis commode pro temporum ratione quo & *Fuſcus* occiſus fuerit, & *Degis* Rex factus, pro diſpoſitione *Martialis.*

XI. Itaque ante illum ſaltem annum LXXXIX. edi non potuit *Thebais Statiana.* Poſt illum potuit anno quolibet ſequenti uſque ad XCIV. quo *tertium Rheno* jugum à *Domitiano* impoſitum credebatur. *Domitianum* hortatur *Statius* in *Thebaide* I. 31. ut *donare* potius *ſidera* quam in ea migrare ipſe vellet. Gratulatur ſcilicet *Domitiano* morem illum, quem pro ſuorum *temporum decore* habuit *Quintilianus,* familiæ Imperatoriæ alios à Principibus cognatos in *cœlitum* numerum adſcribendi. Et certe præter *patrem fratremque* & *filium Cæſarem, ſororem* etiam conſecratam memorat

Claudiam uxorem duxit *Statius* anno LXXXI. ante menſem *Julium.*

morat non uno in loco *Statius*. Paulo, ut videtur, ante *Juliam* neptem, quod *Juliam* illis *Statius* non accenſeat. Proinde anno, ut videtur, XC. Eadem, ni fallor, illa ſoror, quæ *Clementi Conſuli* filios peperit à *Domitiano* poſtea adoptatos, & *Quintiliano* anno XCII. in *diſciplinam* traditos. Sed incertiorem illam Argumentationem eſſe fateor cum tot alios è ſuis jam olim conſecrarit *Domitianus*. Certiorem illam exiſtimo quam è commiſſis *Statii Martialiſque* Librorum temporibus deduximus, & à *Statii* matrimonio. *Sylvam* I^i. Libri V. in *balneum Etruſci*, eodem quo priorem Libri VI. partem ſcripſit *Martialis*, anno XCIII. *Statium* ſcripſiſſe diximus. Atqui nondum *Thebaidi* manum *ultimam* impoſuerat cum *Sylvam* illam ſcriberet *Statius*, ut è verſ. illius 8. 9. facile colligitur. Proinde anno XCIII. *affecto* ediderit neceſſe eſt. Sic anno LXXXI. uxorem *Claudiam* duxerit *Statius*, inter anni *initium*, menſemque *Julium*, antequam *annus* ab anno XVIII. expleto *matrimoniis* legitimus exiret. Compoſitis autem poſt matrimonium familiæ rebus, cum *ſtudiis* eſſet rurſus otium, tum demum ille *Thebaidem* aggreſſus eſt, anno illo, ut videtur, *affecto*. Sic annus *Thebaidis* XII. in annum delinet XCIII. ſimiliter affectum. Et *Epiſtola* adeo illa ad *Stellam* Poetam, cui Librum jam collectum editumque dicavit, paulo poſt emiſſam *Thebaidem*, eidem anno, ſed *magis* adhuc *affecto*, pro hiſce noſtris calculis, erit ſimiliter aſſignanda. Convenitque ſane cum hoc *matrimonii* anno ætas *filiæ* à *Claudia* è priori viro ſuſceptæ. Cum *receſſum* cogitaret in Patriam *Neapolim*, jam illam queritur *ſolam* (x) *viduo cubili terere otia, jam pulchræ terere infœcunda juventæ*. Additque poſtea:

(x) *Stat.* L. III. Sylv. V. v. 60, 61.

Nonne

Nonne leves pueros, non te Cytherea pudebat
Hoc ceſſare decus?

Facile inde conſtat *egreſſam* eſſe annos connubiis legitimos, nec *longe* tamen egreſſam, adhuc nimirum in *pulchra juventa.* Hæc ille ſub finem anni XCIV. quo Librum illum ab eo editum diximus. Atqui certum eſt illam, ut poſtuma fuiſſet, ne quidem *naſci* potuiſſe in *matris* ſuæ cum *Statio* matrimonio. Ne id enim contingeret, cavebant Leges *Romanæ decimeſtrem viduitatem* ante novas nuptias à priorum virorum morte præcipientes. Ita neceſſe erat ut anni XCIV. ſine XIV. *ætatis* annum vel abſolverit, vel admodum affectum haberet, cum tamen XII. in *fœminis* haberetur, pro *Romanorum* moribus, (*y*) *matrimoniis* maturus. Nec ſane multo *majorem* illam fuiſſe veriſimile eſt.

XII. Jam & *Patris Papinii* tentanda Chronologia eſt. Ea potiſſimum ratione, quod inde pendeant etiam *filii* tempora proxime ſequentia. Habemus quidem *Patris* Epicedium Libro V. Sylva III. Sed quale jam habemus aliquot certe poſt *mortem* ejus *annis* à *filio* exaratum. Ait ſe *patrias* duntaxat *frondes*, *Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ*, ſub *patre teſte* tuliſſe v. 225, 226. Ludos *Neapolitanos* Quinquennales intelligit in quibus *patre* adhuc *ſuperſtite coronatus* fuerit. Negat tamen *patrem* per illum *Albana ſerta* tuliſſe *Cæſarea donata manu.* v. 227, 228, 229. *Ter* illum *ſerta* illa accepiſſe conſtat è Carmine ad *Claudiam* uxorem. Ita *tribus* ad minimum *annis* poſt *mortem Patris* hoc *Epicedium*

Pater Statii aliquot annis antea mortuus quam ſcriberet filius *Epicedium.* Vixit poſt ann. *Dom.* LXXIX. Imo LXXXII.

(*y*) *Plutarch.* Num.

ſcripſit, aut ſaltem edendum *retractavit.* Erant enim *certamina* illa à *Domitiano Albæ* in honorem *Minervæ* inſtituta, ut è *Suetonio* conſtat, *annua.* Imo *tribus* antea quam Epiſtolam illam ad *uxorem* ſcriberet *annis* (quam anno XCIV. tribuendam jam oſtendimus) & *quinque* adeo ante Librum V. quem anno edidit XCVI. *Domitiani* ultimo, quo etiam *Statius* ipſe deceſſit. Sed nec vidit *Pater* Ludum illum quo *victus* eſt *Statius* filius, v. 231, 232, 233. Hic, ſi in alium *annum* inciderit à *Ludis* illis *Albanis*, efficiet, ne poſt annum etiam XC. *Pater* ſuperſtes eſſe *potuerit.* Ita certum eſt è *tempore Epicedii* annum quo *deceſſerit* Pater, colligi non poſſe. Jam enim certe Libri II. Sylva I. qua *Glauciam Atedii Melioris* deflet, ſe antea *Patrem* luxiſſe indicat, v. 28, 29. 33, 34. Idem etiam agnoſcit Lib. III. Sylv. III. v. 39, 40. Ita manifeſtum eſt jam *antea* mortuum eſſe *Patrem*, quam aut *Thebaidem* abſolveret, aut I. etiam *Sylvarum* Librum *ederet Statius* filius. Viceverſa certum eſt poſt *Veſuvina incendia* quæ carmine elegantiſſimo defleverat, *Patrem* ſuperfuiſſe. Hoc Paternorum operum ultimum recenſet filius L. V. Sylv. III. v. 205, 206, 207, 208. *Titi* I°. annoque *Domini* LXXIX. hoc incendium aſſignandum (z) alibi probavimus. Inde & ſua quoque in re *Poetica* ſtudia arceſſit, in quibus *Patrem* maximam habuiſſe partem agnoſcit. Hic autem Patrem eouſque ſuperfuiſſe docet ut ſe jam apud *nobiles Romanos celebrem* ipſe viderit, eaque de cauſa admodum gaviſus fuerit. Sic enim ille :

Qualis eras, Latios quoties ego carmine Patres
Mulcerem, felixque tui ſpectator adeſſes
Muneris ? Heu quali confuſus gaudia fletu,

(z) Annal. T'in.

Vota

Vota pioſque metus inter lætumque pudorem!
Quam tuus ille dies, qua non mihi gloria major!

Gemina plane illa ſunt cum (*a*) *Juvenalis* illis de eodem noſtro *Statio*:

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidis, lætam fecit cum Statius urbem,
Promiſitque diem; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur.

Thebaidem fuiſſe in qua *Patrem* adjutorem habuit agnoſcit ipſe v. 233, 234, 235, 236, 237, 238. Et *Patres*, ut videtur, eoſdem quibus placuerat in *Thebaide*, Auditores habuit ſuorum in *Patris exequiis* luctuum. L. II. Sylv. I. v. 30, 31. Proinde ad eadem *tempora* referenda ſunt *Statii* noſtri illa atque illa *Juvenalis*. Utraque nimirum ad primas *Thebaidis* recitationes, quas, florente in *Domitiani* aula *Paride* teſtatur fuiſſe *Juvenalis*. Nondum ſcilicet *repudiata Domitia* cujus cauſa *Paris* occiſus eſt. *Cœptam* itaque *Thebaidem* vidit *Pater*, ejuſque ſaltem Librum *unicum*, qui *recitaretur*, abſolutum. Ita ad annum pertigerit ſaltem LXXXI. Æræ, ſi quidem ut XII. annis Libros XII. ita etiam annis *ſingulis* Libros *ſingulos* abſolverit. Tum demum favore illo *Patrum* accenſus noſter cogitare cœpit de *certaminum* præmiis. Ea autem *unica*, vivo *Patre*, reportavit, ex agone patrio *Neapolitano*. Videamus ergo cui anno proximus ille agon *Neapolitanus* conveniat. Illum enim *Patrem* attigiſſe veriſimillimum eſt.

XIII. Redibant autem certo annorum circuitu hi agones *Neapolitani*. Et qui- *Ludi* illi quibus certavit *Pater Statii* a-

(*a*) Juv. Sat. VII. v. 82.

dem

dem *Quinquennia* illa & *luſtra* appellat *Statius*. Sic autem voces illas uſurpant coævi illorum temporum ſcriptores, ut è vocibus ipſis colligi nequeat *quinque* fuerint *plenorum*, an vero *quatuor* duntaxat annorum. *Luſtra* enim *Romana quinque* annorum fuiſſe certum eſt. Et agones nonnullos, quos pro *Quinquennalibus* habebant, *pleni* fuiſſe *Quinquennii*, id quoque exploratum eſt. Tales erant certe *Neroniani*. Iidem tamen Auctores, cum *Quinquennalium luſtrorumque* nomine *Olympiades* deſignant, *Græcorum* πενταετηρίδας vocibus illis reddunt, quas *quatuor* annorum ambitu abſolvi, obſervavit (*b*) *Cenſorinus*, eratque *illis* certe *temporibus* compertiſſimum. Sic *luſtra Elæa Olympiades* appellat (*c*) *Statius*, & *luſtra* illas, & tamen alia à *luſtris Romanis* agnoſcens. Sed *quatuor* tamen annorum *plenorum* illos fuiſſe puto agones *Neapolitanos*. Nec ea duntaxat ratione ductus, quod *Græca* illa civitas habeatur tam à (*d*) *Strabone* quam etiam (*e*) *Tacito*; is autem fuerit modus *Græcarum*, uti dixi, πενταετηρίδων. Confert enim præterea *Statius* agones illos ſuos patrios cum *luſtris Capitolinis* à *Domitiano* inſtitutis, L. III. Sylv. V. v. 92. Illa autem *quatuor* fuiſſe *annorum* tam è (*f*) *Clemente* colligimus *Alexandrino* qui illa numerat ad mortem *Commodi*, quam è (*g*) *Cenſorino* qui ad ſui anni deducit, quo ſcripſit, COSS. *Ulpium* atque *Pontianum*. Et quidem primum *Claudii* annum Æræ nimirum *Chriſtianæ* XLI. *Agoniſticum* fuiſſe colligo ex (*h*) *Dione*. *Muſicæ* certe θεωρίας fuiſſe teſtatur, & γυμνικὸν ἀγῶνα, quibus *Claudius* quaſi privatus quiſpiam, & pro

lii erant ab *Auguſteis Quadriennes* nimirum, non, ut illi, *Quinquennes*.

(*b*) *Cenſorin.* de die Nat. c. 18. (*c*) *Stat* Sylv. (*d*) *Strab.* Geograph. (*e*) *Tacit.* (*f*) *Cl. Al.* Strom. I. (*g*) *Cenſorin.* de die Nat. c. 18. (*h*) *Dio.*

more

more Civitatis *Græcæ* veſtitus interfuit. Reſpondent illa plane Quinquennalium *Neapolitanorum* deſcriptioni apud *Strabonem.* Conveniunt præterea quæ de *patriis Quinquennalibus* tradit ipſe (*i*) *Statius.* Ait enim :

poſt patrii lætum quinquennia luſtri,
Cum ſtadio jam pigra quies, canuſque ſederet
Pulvis, ad Ambracias converſa gymnade frondes,
&c.

Ambraciæ illæ *frondes* Ludorum erant *Actiacorum* qui erant etiam ipſi *Quinquennes*, ſed *quaternorum* duntaxat annorum *ſolidorum.* Concurrebantque cum *Olympicis* ; Eo tamen diſcrimine, quod *Æſtate media*, & menſe *Romano Julio* committerentur *Olympici*, cum in menſem potius *Septembrem* ineuntem, quo *victoria* potitus eſt *Auguſtus*, incurrerent *Actiaci.* Primum certe Agonem *Actiacum* anno *Varronianæ* Æræ DCCXXVI. celebratum docet *Dio.* Nec IV. nimirum anno, nec V. à *victoria* ipſa anno, ſed tantummodo III. Unde ideo, ni vellent ut, pro *Græcorum* modo haberentur, & cum *Græcis Olympicis* concurrerent, inſtituti illi ab *Auguſto* in *Nicopoli* Civitate *Græca* Ludi? Ita fiet ut qui in eundem concurrunt cum *Actiacis* annum Ludi *Neapolitani*, iidem etiam concurrant cum *Olympicis.* Eſtque ſane *Olympicus* is quoque annus quo *Claudium* Ludis *Neapolitanis* interfuiſſe modo è *Dione* obſervavimus. Reſpondentque adeo invicem hic annus Ludorum *Neapolitanorum Statianus* atque *Claudianus* in intervallo annorum *quaternariorum* accuratiſſime. Neque porro opus eſt ut Ludos *Actiacos Olympicos* fuiſſe noſtris conficiamus *ratiociniis*, cum hoc ipſum fateatur verbis diſertiſſimis

(*i*) Lib. II. Sylv. II. v. 6.

(*k*) *Strabo*, qui illud etiam nos docet, à *Græcis* ipsis illos fuisse jam olim institutos, ab *Augusto* autem tantummodo locupletatos. Agnoscitque hoc, observavitque, ante nos, ipse (*l*) *Scaliger*. Potuit proinde vel exinde colligere male se Ludos *Quinquennales* in annum *Augusti* ultimum, Æræ nostræ *Christianæ* XIV. contulisse, cum è Ludis *Neapolitanis* Gymnastas ad Ludos *Actiacos*, non tamen *Nicopoli*, sed *Romæ* potius eodem anno celebrandos, sese contulisse testetur *Statius*. Nec sane illud voluerunt quod illos voluisse credidit Vir Maximus, seu *Dio*, seu *Suetonius*. *Dio* ita: (*m*) Ἀγῶνα τε ἐν Νεαπόλει ἆθλεις, ἔπειτα ἐν Νώλῃ μετήλλαξε. *Suetonius* ita: (*n*) *Mox Neapolim trajecit, quanquam & tum infirmis intestinis morbo variante: tamen & QUINQUENNALE certamen gymnicum HONORI SUO institutum perspectavit.* Ait quidem *Dio* agoni *Augustum* præsedisse. Et *Quinquennalem* illum agonem docet nos fuisse *Suetonius*. Sed multi erant præterea *Neapoli* agones præter illum, de quo agimus, omnium celeberrimum. Erat & *Quinquennalis*, & quidem in honorem *Augusti*. Et *gymnicus* ille, qualis fuit noster, atque *Musicus*. Spectavit enim ibi *Ephebos* exercentes *Augustus*. Et cecinit ibi *Nero*, unde & *Musicum* illum fuisse colligimus. Sed *Quinquennalis* ille fuerit oportet, non autem, ut noster, *quatuor* duntaxat *annorum*. Cecinit enim *Nero Neapoli* anno Æræ nostræ LXIV. qui erat ab anno quo decessit *Augustus*, ejusdem Æræ XIV. *quinquagesimus*.

Hoc ex ipso *Statio* probatur.

XIV. Sed fieri omnino non potest ut *Quinquennalia* illa *Neapolitana Augustalia* eadem fuerint cum *Statianis*. Id quod ex ipsa illa, quam dedimus, nota colligitur,

(*k*) *Strab.* Geogr. L. VII. (*l*) *Scalig.* Em. Temp. (*m*) *Dio* L. LVI. p. 589. Ed. Leunclav. (*n*) *Suet.* Aug. c. 98.

quod

quod concurrerint *Statiana* cum annis agonum *Actiacorum*, seu (quod eodem redit) cum annis *Olympicis*. *Bis* enim, per omnem *Statii* vitam, concurrebant cum annis *Actiacis* Quinquennalia illa *Augusti Scaligerana*, anno nimirum Æræ *Christianæ* LXIX. & LXXXIX. de quorum *neutro Statius* intelligendus est. Imo annum ipsum, quem cum *Actiaco* docuit concurrisse *Statius*, habemus ex ipso *Statio* exploratissimum. Is plane alius esse non potuit ab eo quem numeramus Æræ nostræ XCIII. Jam supra ostendimus III. *Statianarum Sylvarum* Librum anno convenire XCIV. In illius Libri I. Sylva ædem *Herculis Surrentini* à *Pollio* in secessu agente *annuo* spatio testatur conditam v. 2. 18. Addit præterea struendæ etiam occasionem, cum ille *Pollium*, è villa sua *Albana* in villa *Pollii Surrentina Augusti Idibus Dianæ* sacris, visitaret. v. 60, 61. 68. Conveniunt hæc cum tempore quo *villam* illam *Pollii Surrentinam* L. II. Sylva II. descripsit *Statius*. In illa enim *Sylva* dicit se post *patria* illa *Quinquennalia*, & *ad Ambracias conversa gymnade frondes* ad *Pollium* contulisse, v. 6. 8, 9, 10. Et quidem *testem Pollium* Libro II. *auctorem* autem III. in III. Libri, quem *Pollio* inscripsit, *Præfatione* agnoscit ipse *Statius*. Plane inde familiaritatem illam cum *Pollio Statii* à Libri II. *Statiani* temporibus cœpisse constat, quam tamen ab *Idibus Augusti* anni XCIV. superioris inchoatam ostendimus. Et quidem admodum accurate respondet *tempus* ibi à *Statio* designatum tempori *medio* inter *Neapolitanum* agonem, pro nostris calculis eodem anno quo & *Olympicus*, celebrari solitum, & *Actiacum*. Nempe mense *Romano Julio* agonem illum, pro *Olympicorum* exemplo, celebraverint *Neapolitani*, mense autem *Septembri* in victoriæ *Actiacæ* memoriam *Nicopolitani*, seu potius, hoc in loco,

fortaſſe *Romani.* Mediumque adeo locum recte occupant Idus *Auguſti* quibus cum *Pollio* ſuo in ſeceſſu ſuo *Surrentino* noſter erat *Statius.* Non potuit autem cum anno illo concurrere Quinquennium *Scaligeranum.* Fefellit virum egregium quod *duos* fuiſſe agones *Neapolitanos*, *quinque* alium, alium *quatuor* (uti vidimus) annorum, ignorarit. Quanquam & illum monere potuit ejus illa obſervatio, quod *ſpicea* eſſet *corona* agonis illius de quo loquitur *Statius*, L. V. Sylv. III. v. 226. *Cereri* enim illa videtur potius ſacra fuiſſe quam *Auguſto.* Hinc etiam certo colligitur Libri II. Sylvas anno XCIII. convenire. Ut proinde recte Libri etiam I. *collectio* & *editio* anno XCII. poſſit, ſed affecto etiam, competere.

Ludi illi *Neapolitani* fortaſſe anni LXXXV. Vixeritq; adeo *Pater Statii* ad *finem* anni LXXXVI.

XV. Hi ergo *ludi* erant de quibus intelligendus eſt *Statius.* Sic enim ille loquitur ubique quaſi *Quinquennia* unis *plura* ignoraret. Itaque in deſuetudinem, quo quidem caſu neſcimus, abiiſſe videntur Ludi illi alii *Quinquennes* in honorem *Auguſti.* Sed vero *primus* illorum ludorum, qui poſt initium *Thebaidis* contigit, in annum incurrit Æræ noſtræ LXXXV. Proinde ad illius anni menſem *Julium* Pater *vixerit* oportet, ſi hujus anni Ludis *primam* illam *coronam* reportarit filius, cujus teſtem etiamnum in *vivis* Patrem habuerit. Nec ſane patiuntur *filii* geſta alia ut *poſt* illum annum *diu* Pater ſuperſtes eſſe potuerit. *Victus* eſt poſtea in agone *Domitiani Capitolino.* Sic tamen ille, ut antea quam vinceretur, *tres* jam *coronas* è certaminibus *Albanis annuis* reportarit. Utrobique certe, tam in *Sylva* ad *Claudiam* uxorem, quam in *Patris Epicedio*, dedecori ſuo *decora* illa præponit, non ob aliam, opinor, cauſam, quam *temporis.* Ita anno LXXXVI. quo primum agonem *Capito-*

Capitolinum inſtituit *Domitianus*, vinci *Statius* omnino non potuit. *Tertius* item *agon* qui anno convenit XCIV. paulo *ſerior* erat quam ut mentionem illius facere potuerit *Statius* in *Sylva* ad *uxorem* hoc ipſo, ut probavimus, anno ſcripta. Nec enim ille quaſi *nuperam* memorat ſuam illam ignominiam. Imo *morbum* memorat *nuperum*, & ſibi pene *fatalem* qui potuit obſtare quo minus ille Ludis *Capitolinis* certare poſſet, etiamſi maxime voluiſſet. Nec ſane adeo mariti ſeceſſum *Claudia* eſſet averſata, ſi nupera illa fuiſſet illius ignominia. Proinde *medio* potius *agone*, qui in annum incidebat XC, fruſtratus fuerit *Capitolina* corona *Statius*. Sic *tribus* antea ludis *Albanis* annorum LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX. *Quinquatruis*, utpote *Minervæ* ſacris, vicerit, & *Domitiani auro*, *propria* quoque Principis *manu* indutus fuerit. Sic inter anni LXXXV. menſem *Julium*, quo celebrata diximus *Quinquennia* illa *Neapolitana*, & anni LXXXVII. *Quinquatrua* ſenior ille *Papinius* deceſſerit. Imo anni LXXXVI. *fine*. *Tribus* enim à Patris obitu *menſibus*, nihil tentaſſe in Arte ſua *Poetica*, filius ipſe teſtis eſt, v. 29, 30, 31. Nihil ergo potuit parare ad anni LXXXVII. *Quinquatrua*, ſi eodem anno Pater *mortuus* fuiſſet.

XVI. Fieri tamen fortaſſe poteſt ut non *temporis* ordinem obſervarit noſter, cum *tres* illas coronas *Albanas* ante infortunium ſuum recenſet in agone *Capitolino*. Cur ita ſuſpicemur, facit locus *Statii* ſane difficillimus, proinde antea à nobis explicandus, quam inde liceat argumentari. Sic autem habet: (*o*)

Explicatur locus *Statii* difficillimus.

Nam quod me, mixta, quercus non preſſit, oliva,
Et fugit ſperatus honos, cum dulce, parentis

(*o*) L. V. Sylv. III. v. 231. &c.

Invida Tarpeii, caneret, Te, noſtra, Magiſtro,
Thebais: Urgebant priſcorum exordia Vatum.
Tu cantus ſtimulare meos; Tu pandere facta
Heroum, bellique modos, poſituſque locorum,
Monſtrabas: labat incerto mihi limite curſus
Te ſine, & orbatæ caligant vela carinæ.

Non repeto hic quæ jam olim ante nos alii attulerunt. Ne quidem ea quæ Vir vere Maximus *J. Fredericus Gronovius*, ingenioſiora, ut exiſtimo, quam ſolidiora. Ego me ſententiæ illi favere fateor quæ & receptæ *lectioni* faveat, & ſenſum Auctori tribuat conſilio illius aptum atque conſentaneum, non interruptum minimeque ſibi cohærentem. *Nexum* ergo ita diſtinxi, ut puto diſtinxiſſe *Statium*. Et ſenſus Textus ita conſtituti, ni fallor, hic eſt. Gloriam ſuam ita *Patri* in ſuperioribus tribuendam cenſuerat, ut tamen *lapſum* ſuum in agone *Capitolino* ab eo quam longiſſime removeat. Dupliciter ergo *Patrem* purgat. Primo quod *Invidiæ* Poetarum celeberrimorum *initiis* fatali lapſum illum aſſignet. In qua quidem *Invidia* partem Pater aliam nullam habuerit niſi qua *Thebaidem* ornando *laudibus* illis magnis in ſe congeſtis (de quibus non *Juvenalem* modo, ſed *Statium* ipſum habemus teſtem) viam aperuerit; *laudes* vero illæ *numinum*, præſertim *Jovis Capitolini*, *Invidiam* concitarint. Tum deinde quod lapſum illum, ſi cui potius *errori ſuo* quam *Jovis Invidiæ* revera fuiſſet aſſignandus, inde potius arceſſat quod *Patris opera* in canendis *Jovis Capitolini laudibus* caruerit quam fuerat adeo utilem expertus in *Thebaide*. Sic fluent omnia ſatis commode, atque ad Poetæ mentem apte facient, pro receptis illorum temporum opinionibus. *Quercus oliva mixta* corona erat in agone illo στεφανίτης. Mixta nimirum illa propterea quod in duplicis *Numinis* honorem

honorem illum inſtituiſſet *Domitianus*, *Jovis* nimirum *Capitolini* cujus laudes erant *perpetua illius certaminis materia*, teſte (*p*) *Quintiliano*; & *Minervæ*, quam *Domitiano* chariſſimam fuiſſe teſtantur coævi Auctores, teſtantur Hiſtorici. *Jovis* enim arborem *quercum*, *Minervæ olivam* fuiſſe notiſſimum eſt. Ait ergo quod coronam illam non acceperit, in eo ſe fatalem *veterum Poetarum initiis Invidiam* urſiſſe. Illa nimirum cauſa, quod *Thebais* ſua *Patre* Magiſtro cœpta ita *dulciter canendo* laudes audientium extorſerit, ut exinde *Invida parentis Tarpeii* facta fuerit, ſeu (quod eodem redit) in *Invidiam* ejus inciderit. *Jovi* enim exprobrabat, ut ex illis conſtat ad (*q*) *uxorem* verbis:

Sævum ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem.

Nihil hic à veterum ſermone, à ſenſibus, à mente *Statii* aut conſilio alienum. *Invidiæ* numinum in *magna* quæque paſſim extant veterum, qui credebant, teſtimonia. Etiam *laudibus Invidiam* illam concitatam, & *faſcinorum* loco nonnullorum fuiſſe *laudes* obſervavit, è veterum mente, (*r*) *Plinius*. Inde illæ laudantium formæ, *præfiſcini dixero*, quo *faſcinationi laudum*, quæ credebatur, occurrerent. Et ſuperſunt etiamnum, in noſtratium vulgari ſermone, ſuperſtitionis illius reliquiæ. Etiam in *Poetis*, eorumque præſertim *initiis*, illam credebant *laudum Invidiæque faſcinationem*: *Virgilius*: (*ſ*)

Paſtores hedera CRESCENTEM *ornate Poetam*
Arcades, Invidia rumpantur ut ilia Codro.
Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

(*p*) *Quintilian.* Inſt. L. III. c. 7. (*q*) L. III. Sylv. V. v. 32, 33. (*r*) *Plin.* Nat. Hiſt. (*ſ*) Eclog. VII. v. 25, &c.

Inde

Inde *baccarem*, ut hoc in loco, ſic alibi, (*t*) *Aſinii Pollionis* filio, quem Poetam *futurum* auguratur, cum *hederis tellurem* procreaturam pollicetur. Quod ſcilicet per *baccarem hederarum* Poeticarum *faſcinum* depelli crederent. Quod porro dicit *Statius dulce canere* pro *dulciter*, is quoque *Helleniſmus* eſt apud *Latinos* etiam *Poetas* ſatis frequens. Ita *ſuave rubens* bis legimus in Poetarum principe (*u*) *Virgilio*. Et *dulce rubentem muricem* dixit ipſe (*x*) *Statius*. Cum etiam *parentem Tarpeium* noſter *Jovem Capitolinum* appellat, in eo ad nomen *Patris* in voce *Jupiter* videtur alludere. Illud fortaſſe videri poterit, in hac noſtra Interpretatione duriuſculum, quod *invidam Parentis Tarpeii* ita intelligamus ut eam denotat quæ Parentis *Tarpeii Invidiam* ſit *paſſa*. Sed ne quidem illud caret exemplis. Sic autem explicatis præcedentibus, cohærebunt & ſequentia facientque ad conſilium *Statii*. Illud nimirum quo in agone *Capitolino* propterea ſe defeciſſe ſtatuit, quod Patris opera tam neceſsaria caruerit. Id enim agebat, ut ſi quid in ſe eſset laude dignum, id totum *Patri* acceptum referretur. Nihil ergo neceſse eſt ut, quæ ſequuntur nihil huc pertinere, cum Maximo *Gronovio*, agnoſcamus.

Mors *Statii* Patris ann. potius LXXXV. *exeunti* aſſignanda.

XVII. Sic ergo explicato loco, jam tandem plane conſtat poſt Patris obitum illum contigiſse caſum agonis *Capitolini*. Imo inde ſuſpicio eſt ne quidem *diu* poſt Patris obitum contigiſse, & proinde *ante* coronas *Albanas*. Hoc certe queritur ipſo *Epicedii* initio, *defeciſſe* ſe in ſtudio *Poetices* mox à diſceſsu Patris, *dedidiciſſe* ſe *quicquid ab Iſmariis monſtrabat collibus Euan* v. 6, 7. *Generoſos* nimirum ſpiritus *Thebaidis* : *fugiſſe ſuos Parnaſia crines Vel-*

(*t*) Eclog. IV. v. 19. (*u*) *Virgil.* Eclog. III. v. 63. Eclog. IV. v. 43.
(*x*) L. II. Sylv. I. v. 133. 134.

lera,

lera, & *trepidam aruiſſe laurum*. v. 8, 9. Imo *tribus* deinde *menſibus* nihil *Poeticum* vel tentaſſe quidem, v. 29, 30, 31. Et alia habet in eandem ſententiam. Quid ſi ergo hoc ipſo tempore proximus illius conatus fuerit ut ſe pararet ad agonem illum *Capitolinum*? Innuere id fortaſſe videtur cum hoc ſuum certamen confert cum *priſcorum vatum exordiis*. Quod minus apte feciſſet ni in *ſua* etiam certamen incidiſſet *exordia*. *Exordia* nimirum illa cenſet à *morte Patris*, cum proprio jam ingenio res gerenda eſſet. Quanquam etiam cum *Thebaidis exordiis* concurrerit caſus ille *Capitolinus*, non niſi poſt *multos* demum *annos* abſolutæ. Etiam *Exordia* illa fuiſſe veriſimile eſt à *laudibus* illis recitatæ *vivo* Patre *Thebaidis* recentia quæ adeo *Invidiam* moviſſe credi poſſent non *hominum* modo, verum etiam *numinum*, & *Jovis* adeo *Capitolini*. Erant autem *laudes* illæ vivo *Paride*, & ſalvo adhuc *Domitiæ* matrimonio, quo ſoluto *Paris* occiſus eſt, ut nos docet coævus teſtis *Juvenalis*. Quæ ſane notæ vix patiuntur ut ad agonem *Capitolinum* anni XC. differatur noſtri hoc *Papinii* infortunium. Sic intra agonem *Neapolitanum* anni LXXXV. & agonem *Capitolinum* anni LXXXVI. concludetur *obitus Statii majoris*, ut proinde vel ſuperioris *fine*, vel hujus *initio* defunctus fuerit. Ego ſuperioris *fine* potius defunctum crediderim, ut *tres* primum inde deſidiæ *menſes*, tum & ſpatium ſuppetat parandis *Jovis Capitolini* laudibus in agone *Capitolino* canendis. Et neſcio ſane idne innuat filius, non diu Patrem poſt laudes *Thebaidis* & victoriam *Neapolitanam* fuiſſe ſuperſtitem, cum *ſuum Patrem* cum *Olympionicæ Patre* alio contendit qui data filio corona expiravit. Sic tres *alias* coronas *Albanas* poſt annum LXXXVI. & ante annum XCIV. conſecutus fuerit, annis illis quorum *Quinquatruis* in Pa-

latio *Albano* aderat *Domitianus* ut agoni ſuo poſſet, tanquam Agonothetes, ipſe *præſidere*, & *auro*, de quo loquitur, *Statium* induere. In *villa* certe ſua, *Patrem Statium* ſepelivit *filius*, *Albana*. v. 36, 37, 38, 39. Et quidem *aquam* villæ è publicis Aquæductibus *Domitiani* indulgentia conceſsam agnoſcit. Si *villam* etiam ipſam ei donarit *Imperator*, ſic poſtquam *Domitiano* à recitatæ *Thebaidis* laudibus innotuiſset, illam, ut videtur, impetrarit. Et proinde Pater eouſque *vixerit*.

Natus *Papinius* pater anno XX ludis *Neapolitanis* vicit anni XXXIII. *Pythiis* anni XXXVI. *Nemeæis* anni XXXVII. *Iſthmiis* anni XXXVIII.

XVIII. Sic ergo conſtituto *Patris* anno *emortuali*, jam & reliqua ejus *tempora* conſtituenda erunt. Ait filius *non indigum ævi*, *non nimium*, deceſſiſse, *trinis* nimirum *luſtris decem quinquennia* juncta ferentem. v. 252, 253, 254. Hic *luſtra* abſolute ſumta idem, ut videtur, deſignant quod *Quinquennia*. Et ſane *ætas* illa annorum LXV. *non indiga* cenſeri potuit, *non nimia*, media nimirum inter *longævitatem* immaturamque vitæ *brevitatem*. Sic ergo, pro poſteriori illo calculo, *natus* fuerit anno Æræ noſtræ XX. Primum *Patris* in ſtudio *Poetico* decus filius tradit, quod laudarit ſtata Patriæ *quinquennia*. v. 113. 134. Huc illum *protinus*, & dum *vitam ſalutaret*, *raptum* ſcribit filius; ad certamina nimirum *vix implenda* VIRIS, *laudum feſtinum* & *ingenii audacem*. v. 133, 134, 135, 136. Plane hæc *Puerilem* illius *ætatem* deſignant, necdum induta toga *virili*. Proinde *primæva* ejus *carmina* appellantur v. 136. Primæ ſcilicet ætatis *Puerilis*. Et *natis* illum, *prætextatis* proculdubio, Patrem ſuum *monſtraviſſe* dicit coævos eorum temporum *parentes*. v. 137. *Æqualibus* viz. ſeu, ut *Græci* dicunt, ὁμήλιξι vel ἡλικιώταις. Itaque *prætextatus* vicerit in certaminibus hiſce quinquennalibus

libus *Neapolitanis*. Et quidem ſatis commode reſpondet agon anni Æræ *Chriſtianæ* XXXIII. cum XIII. *ætatis* annum, pro noſtris calculis ageret, anno ſequenti exeunte togam ſumturus *puram* & *virilem*. Vix ergo eſt quod illo ipſo anno illum viciſſe dubitemus. Pergit *filius*, & poſt patriam *Græcas* ejus etiam *coronas* recenſet, trium nimirum certaminum *Græciæ* celeberrimorum, *Pythii*, *Nemeæi*, *Iſthmici*. v. 141, 142, 143, 144, 145. *Temporis*, ut videtur, ordo ille eſt quo *coronas* illas conſecutus eſt. (*y*) *Pythia* in *ſecundum* quemque *Olympiadum* annum deſinentem incidebant. Ita coronam *Pythicam* meruit Pater anno Æræ noſtræ XXXVI. ætatis ſuæ XVI. *labente*, non jam amplius *puer*, ſed *vir*, pro cenſu *Romano*. Proximam ordine Patris *coronam* recenſet noſter *Nemeæam*. Agon ille *trietericus* erat, non, ut *Olympicus*, *Pentaetericus*. Id vero difficile eſt ſcire, cum quo anno *Olympico* committendus fuerit. (*z*) *Livius* COSS. *Marcello V.* & *T. Criſpino* à *Philippo* Rege *Perſei* patre ludos illos celebratos ſcribit, anno nimirum Æræ *Varronianæ* DXLVI. Sic in eundem annum convenerint cum ludis *Olympicis*. Idem tamen (*a*) *Livius Nemeæos* alios *M. Porcio Catone* & *L. Valerio Flacco* COSS. alio in loco fuiſſe teſtatur, anno nimirum Æræ ejuſdem *Varronianæ* DLIX. Sed *prioris* anni deſignatio accurata eſt. Sic enim de poſteriori hoc ludo *Nemeæo* ipſe *Livius*: *Læta civitas celeberrimum feſtorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die ſtata propter belli mala prætermiſſum, in adventum Romani exercitus duciſque indixerunt: præfeceruntque ludis ipſum Imperatorem.* Is *T.* erat *Quintius Flamininus Philippi* debellator. Inde conſtat & tempore *alieno* cele-

(*y*) Vid. Annal. *Thucyd.* Ann. B. P. X. (*z*) *Liv.* L. XXVII. c. 30, 31. (*a*) *Liv.* L. XXXIV. c. 41.

bratos esse ludos illos, & qua demum *ratione* sit factum ut ita celebrarentur. Aliter de *priori* ludo *Livius*: *Jam enim Nemeorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat* [Philippus scilicet] *præsentia sua.* Proinde illud *verum* ludi tempus ut anno prorsus eodem haberetur cum *Olympico.* Id quod recte fiet si ad COSS. referatur anni superioris DLVIII. Sic itaque anno Æræ receptæ XXXVII. qui idem *Olympicus* erat, noster etiam vicerit in *Nemeæis* senior *Papinius*, ætatis nimirum suæ anno XVII. similiter labente. Tertiam denique illius *coronam* è *Græcia Isthmiam* recenset filius. Commode & illam *sequenti* deinceps *anno* assignandam. Erat enim & ludus ille *trietericus*, secundo nimirum quoque anno rediens solido. Conveniebat autem anno *Olympiadis* cujusque *primo* exeunti, secundo autem ineunti; & *tertio* item exeunti, ineunti autem quarto. *Isthmia* enim *Corinthii* celebrabant anno Belli *Peloponnesiaci* XX. ut nos docet (*b*) *Thucydides.* Sic autem *æstates hyemesque* suas quibus annos illius Belli singulos digessit, dispositi ille, ut *ver æstati* sequenti accenseat, finem nimirum anni *Olympici* præcedentis initio sequentis. Sic primum Belli annum à (*c*) *Pythodoro Archonte* arcessit, cujus tantummodo *duo* supererant in Magistratu *menses.* Is *Archon* erat *Olympiadis* LXXXVII. anno *primo.* Sic tamen ut *decem* reliqui *menses* primi anni Belli *Peloponnesiaci* ad illum *Archontem* spectarint qui Magistratum illum gessit ejusdem *Olympiadis* anno secundo. Sic etiam annus *Belli* XX. in finem *Archontis* inciderit anni *primi*, & initium illius qui inivit anno *secundo Olympiadis* XCII. Proinde anno Æræ nostræ XXXVIII. ætatis autem suæ XVIII. tertiam hanc reportarit *Statii* pater, & tribus adeo continuis annis coronas illas omnes, & *ramorum*

(*b*) *Thucyd.* L. VIII. (*c*) *Thucyd.* L. II. init.

Phœbi,

Phœbi, & *germinis Lernæ* & *pinus Athamanteæ*. Ita nimirum ut anno *ætatis* XVIII. expleto ad vitæ ſe actiones conferret. Hac enim ipſa ætate *Judices*, *Oratores*, *Rhetores*, etiam *maritos*, cœpiſſe probavimus.

Scholam *Neapoli Grammaticam* aperuit anno XXXIX

XIX. Et quidem hac ætate Scholam publicam *Grammaticæ* tot jam victoriis celebrem patrem *Statii* in urbe patria *Neapoli* aperuiſſe crediderim. Id voluit, ni fallor, verbis illis filius:

Hinc tibi vota patrum credi, generoſaque pubes
Te monitore regi, mores & facta priorum
Diſcere: quis caſus Trojæ, quam tardus Ulyſſes:
Quantus equos pugnaſque virum decurrere verſu
Mæonides: quantumque pios ditarit agreſtes
Aſcræus Siculuſque senex: qua lege recurrat
Pindariçæ vox flexa lyræ, volucrumque precator
Ibycus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Steſichoruſque ferox, ſaltuſque ingreſſa viriles
Non formidata, temeraria, Leucade Sappho,
Quoſque alios dignata chelys, Tu pandere doctus
Carmina Battiadæ, latebraſque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuiſq; arcana Corinnæ.
Sed quid parva loquor? Tu par aſſuetus Homero
Ferre jugum, ſenoſque pedes æquare ſolutis
Verſibus, & nunquam paſſu breviore relinqui.

Ad rem *Grammaticam* omnino pertinebat peritia illa *Hiſtoriæ Mythicæ* & *Poetarum* omnium. Et *Græcam* indicat, in qua docuerit, civitatem, quod non alios hic *Poetas* recenſuerit quam *Græcos*. Talem nimirum qualis revera fuit urbs patria illius *Neapolitana*. In ſolo tamen *Italico* urbem *Græcam* arguunt diſcipuli ab eo inſtituti, *Lucani*, *Rutuli*, *Lavinienſes*, *Campani*, è monte alii *Surrentino*, *Cumani*,

Cumani, Puteolani, Baiani. Nec aliam illi urbem fuisse docent quam *Neapolim* quo fuerint coacti *vicini Neapoli Pueri* & forte *Adolescentes.* Hanc ergo *Scholam* aperuit ille reversus jam à ludo *Pythio*, anno Æræ nostræ receptæ XXXIX. *ætatis* autem suæ XIX.

Postea *Roma* etiam docuit. Certe ante annum LXIX. Forte *Sacerdos.*

XX. Postea majores progressus fecit pater, tam in *Arte* sua, quam in Artis etiam *fama.* Inde factum ut *Romæ* etiam celebre nomen habuerit. Tum & *Romanos* discipulos habuit, & quidem *gentium primariarum, Romuleam stirpem, procereſque futuros.* v. 176. Reliqueritne *Neapolim*, an *Roma* missos discipulos *Neapoli* docuerit Pater, non indicat filius verbis expressis. *Romam* tamen potius illum concessisse crediderim, nec *Græcas* jam, sed *Latinas* potius literas docuisse. *Sacerdotes* enim recenset tantummodo qui ab eo jam instituerentur, *Pontificem* illum cui cura Deorum *Penatium* cum hæc scriberet *Statius* filius, & *Salios*, & *Augures*, & *Quindecimviros*, & *Lupercos.* Imo ipsa illa, quibus imbuendi erant, *Sacra*, ab eo didicisse testatur filius :

> *inde sacrum didicit puer : arma probare*
> *Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis*
> *Auguriis.*

Sic loquitur ille quasi & sacros ritus ab eo didicisset. Erant sane *Poetæ* Juris illius *Pontificii* peritissimi, quod de *Virgilio* fuse docet (*d*) *Macrobius.* Et *Grammaticam* illam fuisse institutionem exinde suspicio est quod fuerit *puerorum* v. 180. & quidem sub *verberum* metu agentium. v. 184. & quod illos in *Patrum vestigia* duceret v. 177. & *corda*

(*d*) *Macrob.* Saturn.

illorum

illorum *juvenilia finxerit* v. 191. Sed *morum* quoque *Puerilium* formationem *Grammaticis* creditam è (*e*) *Juvenali* constat & (*f*) *Suetonio* in vita *Palæmonis*. Nescio tamen an Jus *Pontificium* aliis *docere* concessum sit quam *Sacerdotibus*. Illud constat non alios *consuli* solitos de Jure Pontificio quam *Pontifices* ipsos. *Virginum* præterea *Vestalium* decennium ultimum in virgunculis *erudiendis* insumtum esse. Quidni ergo & in Jure *Pontificio* idem observatum fuerit ne alii illud docerent quam *Pontifices*? Sic verisimile erit, præter peritiam ejus in Arte *Grammatica*, *Sacerdotio* aliquo fuisse ornatum *Statii* nostri patrem. Nec sane hoc absurdum erat si stirpis illam habuerit, quam innuit filius, *nobilitatem*, v. 117, 118, 119, 120. *Sacerdotiis* nempe parem. *Temporis* autem quo à *Neapoli Romam* concesserit, notam aliam nullam filius apposuit, quam quod MOX ab institutione *Neapolitana Romuleam* etiam *stirpem* instituerit v. 176. Sed vox illa non prioris muneris brevitatem denotare potuit, quam quod nullo alio officio medio ad novam illam institutionem *Romanam* vocatus fuerit. Sed quocunque demum *tempore* novum illud officium adierit, illud certum jam *Romæ* illum fuisse, cum flagraret *Capitolium*, turbis *Vitellianis*, anni LXIX. & Poema aliquod ea occasione edidisse quod mirati fuerint *Latii proceres*, & *Cæsar Deorum ultor*. v. 203, 204. *Cæsar* ille *Domitianus* erat, qui exeunte anno LXX. cum *sperni* à senioribus *juventam suam* cerneret, *studium literarum & amorem carminum simulabat, quo velaret* (inquit (*g*) *Tacitus*) *animum, & fratris æmulationi subduceretur*. Sed *facibus velocior ipsis Concinebat* v. 201, 202. major ille *Statius*. Et experimentum adeo dederat in eo indolis, qualis

(*e*) *Juv.* Sat. VII. 237. (*f*) *Suet.* de Illustr. Gramm. c. 23. (*g*) *Tacit.* Hist. L. IV. fin.

in

in filio erat, *extemporaneæ*. Proinde ipſo incendii anno ea cecinisſe veriſimile eſt, limata tamen fortaſſe recitationibus, & ad incudem revocata ſequenti anno edidiſſe. Aliud Patris Scriptum nullum memorat filius, niſi quod mentem illi fuiſſe teſtetur ut *Veſuvina* etiam incendia fleret v. 205, 206. Incendium illud erat anno præcipue LXXIX. Sic tamen ut multis poſtea annis fuerint, ut nos docet ipſe *Statius*, illius *reliquiæ*. Sed *mentem* duntaxat fuiſſe de illo argumento ſcribendi, non item *ſcripſiſſe*, innuit. Nec tamen illud innuit an *morte* fuerit præventus quo minus ſcriberet. Sic *temporis* notam, quo deceſſerit Pater, nullam omnino præbet illa ejus Obſervatio.

Sylvas Libri I. antea aliquantiſper ſcripſit *Statius* quam *ederet*.

XXI. Cæterum jam à *Patre* ad *filii* tempora reliqua pertexenda revertamur. Edidit, uti jam oſtendimus, I. *Sylvarum* Librum anno Æræ *Chriſtianæ* XCII. Non tamen proinde eodem anno *ſcripſiſſe*, quo *ediderit*, exiſtimo. Imo ſingulos Libri primi *libellos* (ſic enim *Sylvas* ſingulas appellat ipſe) *de ſinu ſuo* jam antea *prodiiſſe* quam *congregatos* ipſe ad *Stellam* dimitteret, agnoſcit in Epiſtola *Dedicatoria*. Confert præterea has ſuas *Sylvas* cum *Virgilii Culice* & *Homeri Batrachomyomachia*. Additque : *nec quiſquam eſt illuſtrium Poetarum, qui non aliquid operibus ſuis ſtylo remiſſiore præluſerit*. Erant certe *Præludia* ante *arma decretoria*. Et *præludere Achillem Domitiano* dicit ipſe *Statius*. Secuturo utique ſi & *vixiſſet* ipſe, & *Domitiano adulari* perrexiſſet. Sic ante *editam* ſaltem *Thebaidem* harum *Sylvarum* nonnullas ſcripſerit. Imo *Rutilium Gallicum Valentem*, cui unam dicarat *Sylvam*, jam ſane, cum Librum ederet, *defunctum* agnoſcit. Ait præterea *ſerum* fuiſſe jam illas conti-

(*h*) *Stat.* Achill. I. v. 19.

nere

nere cum haberent Patroni quibus fuerant inſcriptæ. Imo illas ſi ultra differentur, amiſſuras, quam ſolam habuerant, *gratiam celeritatis.* Hæc ille de *aliis* ab illis quorum honori datas eſſe Sylvas cognoſcit. Innuit ergo apud *Patronos Sylvarum* jam *amiſiſſe* illas *gratiam celeritatis.* Itaque aliquantiſper antequam ederentur, in publicum manaverant, quæ ſimul ac ſcriptæ eſſent, Patronis ſaltem, quibus dicabantur, innotuerant. Procurramus ergo, pro virili noſtra, Sylvas ſingulas.

Primam Libri I. Sylvam ſcripſit, ut videtur, anno XC. *Statius.*

XXII. *Primam* ſcripſit *Statius* juſſu, ut in *Præfatione* teſtatur, ipſius *Domitiani*, cui etiam *poſtero die quam equum illum Maximum dedicaverat, tradere juſſus eſt.* Is certe *Equus*, ſeu *Equi* potius *Coloſſus*, idem fuiſſe cum eo videtur cujus meminit Libro I. Ep. 71. *Martialis.* Sic eodem tempore ſcripſerit hanc *Sylvam Statius* quo *Librum* illum *Epigrammatum* I. edidit *Martialis.* Eſt enim ſane manifeſtum *Epigrammā* illud, quo Librum ſuum ad *Julium Proculum* patronum ſuum mittit, non *olim* fuiſſe à *Martiali* ſcriptum, ſed Libro ſuo primo mox edendo paratum. Edidit autem *Martialis* Librum illum anno Æræ noſtræ LXXXIX. ſex annis nimirum ante L. IX. Ep. 85. cum *Norbanus* Bellum gereret in *Antonium.* Sed vero antequam de illius Belli *eventu* conſtaret, expeditionem *Domitianus* ipſe ſuſceperat in *Antonium*, ut è *Plutarchi* diſcimus *Æmilio.* *Statius* noſter, cum *dedicatum* illum *Equum* ſupponit, & cum *Domitiano* ipſi traderet *juſſus*, *reverſum* illum arguit. Proinde paulo poſtea quam Librum illum ediditſet *Martialis.* *Nuper* certe victos fuiſſe *Germanos* atque *Dacos*, cum illa ſcriberet, indicat ipſe *Statius*:

in filio erat, *extemporaneæ*. Proinde ipſo incendii anno ea ceciniſſe veriſimile eſt, limata tamen fortaſſe recitationibus, & ad incudem revocata ſequenti anno ediditſe. Aliud Patris Scriptum nullum memorat filius, niſi quod mentem illi fuiſſe teſtetur ut *Veſuvina* etiam incendia fleret v. 205, 206. Incendium illud erat anno præcipue LXXIX. Sic tamen ut multis poſtea annis fuerint, ut nos docet ipſe *Statius*, illius *reliquiæ*. Sed *mentem* duntaxat fuiſſe de illo argumento ſcribendi, non item *ſcripſiſſe*, innuit. Nec tamen illud innuit an *morte* fuerit præventus quo minus ſcriberet. Sic *temporis* notam, quo deceſſerit Pater, nullam omnino præbet illa ejus Obſervatio.

Sylvas Libri I. antea aliquantiſper ſcripſit *Statius* quam *ederet*.

XXI. Cæterum jam à *Patre* ad *filii* tempora reliqua pertexenda revertamur. Edidit, uti jam oſtendimus, I. *Sylvarum* Librum anno Æræ *Chriſtianæ* XCII. Non tamen proinde eodem anno *ſcripſiſſe*, quo *ediderit*, exiſtimo. Imo ſingulos Libri primi *libellos* (ſic enim *Sylvas* ſingulas appellat ipſe) *de ſinu ſuo* jam antea *prodiiſſe* quam *congregatos* ipſe ad *Stellam* dimitteret, agnoſcit in Epiſtola *Dedicatoria*. Confert præterea has ſuas *Sylvas* cum *Virgilii Culice* & *Homeri Batrachomyomachia*. Additque : *nec quiſquam eſt illuſtrium Poetarum, qui non aliquid operibus ſuis ſtylo remiſſiore præluſerit*. Erant certe *Præludia* ante *arma decretoria*. Et *præludere Achillem Domitiano* dicit ipſe *Statius*. Secuturo utique ſi & *vixiſſet* ipſe, & *Domitiano adulari* perrexiſſet. Sic ante *editam* ſaltem *Thebaidem* harum *Sylvarum* nonnullas ſcripſerit. Imo *Rutilium Gallicum Valentem*, cui unam dicarat *Sylvam*, jam ſane, cum Librum ederet, *defunctum* agnoſcit. Ait præterea *ſerum* fuiſſe jam illas conti-

(*h*) *Stat.* Achill. I. v. 19.

nere

nere cum haberent Patroni quibus fuerant inſcriptæ. Imo illas ſi ultra differentur, amiſſuras, quam ſolam habuerant, *gratiam celeritatis.* Hæc ille de *aliis* ab illis quorum honori datas eſſe Sylvas cognoſcit. Innuit ergo apud *Patronos Sylvarum* jam *amiſiſſe* illas *gratiam celeritatis.* Itaque aliquantiſper antequam ederentur, in publicum manaverant, quæ ſimul ac ſcriptæ eſſent, Patronis ſaltem, quibus dicabantur, innotuerant. Procurramus ergo, pro virili noſtra, Sylvas ſingulas.

Primam Libri I. Sylvam ſcripſit, ut videtur, anno XC. *Statius.*

XXII. *Primam* ſcripſit *Statius* juſſu, ut in *Præfatione* teſtatur, ipſius *Domitiani*, cui etiam *poſtero die quam equum illum Maximum dedicaverat, tradere juſſus eſt.* Is certe *Equus*, ſeu *Equi* potius *Coloſſus*, idem fuiſſe cum eo videtur cujus meminit Libro I. Ep. 71. *Martialis.* Sic eodem tempore ſcripſerit hanc *Sylvam Statius* quo *Librum* illum *Epigrammatum* I. edidit *Martialis.* Eſt enim ſane manifeſtum *Epigrammā* illud, quo Librum ſuum ad *Julium Proculum* patronum ſuum mittit, non *olim* fuiſſe à *Martiali* ſcriptum, ſed Libro ſuo primo mox edendo paratum. Edidit autem *Martialis* Librum illum anno Æræ noſtræ LXXXIX. ſex annis nimirum ante L. IX. Ep. 85. cum *Norbanus* Bellum gereret in *Antonium.* Sed vero antequam de illius Belli *eventu* conſtaret, expeditionem *Domitianus* ipſe ſuſceperat in *Antonium*, ut è *Plutarchi* diſcimus *Æmilio.* *Statius* noſter, cum *dedicatum* illum *Equum* ſupponit, & cum *Domitiano* ipſi traderet *juſſus*, *reverſum* illum arguit. Proinde paulo poſtea quam Librum illum ediditſſet *Martialis.* *Nuper* certe victos fuiſſe *Germanos* atque *Dacos*, cum illa ſcriberet, indicat ipſe *Statius*:

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem MODO *fræna tenentem*
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci?

Rurſus:

Das Cattis Daciſque fidem.

Iterum:

Tu bella Jovis, Tu prælia Rheni,
Tu civile nefas, Tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Verba illa, *modo*, *das*, *domas*, nuperam illam fuiſſe, quæ ferebatur, victoriam indicant. Et cum ait *longo Marte domitam* fuiſſe *Daciam*, ſic plane loquitur quaſi *unicum* fuiſſet & *continuum Bellum* illud de quo loquitur *Dacicum*. Proinde loquitur de Bello *Dacico priori*. Inde nulla *triumphi* mentio, quæ ſane expectanda erat ſi hoc Bellum *Dacicum ſecundum* fuiſſet de quo *ſecundum* egit *Triumphum Domitianus*. Cœperat Bellum *Dacicum* COS. *Appio Sabino*, ut nos docet ipſe *Statius* L. III. *Sylv.* III. v. 115, 116, 117, 118. Anno nimirum LXXXIV. Et proximo anno triumphatum indicant *quadrigæ* in numis *triumphales*. Inde *novi* illi *Dacorum* motus pro *primi* Belli *Dacici* reliquiis habiti. Et recte *longo Marte domitos* hoc anno docet, ab illo nimirum anno quem dixi LXXXIV. *Longus* autem eſſe non potuit ab initio Belli *Dacici ſecundi*. Recte etiam cum *prælis Rheni civile nefas* junxit *Statius*, defectionem ſcilicet *Antonii*. Metum enim fuiſſe à *Germanis*, cum deficeret *Antonius*, indicat ubi ſupra *Plutarchus*. Et *tranſituras ad*

Anto-

Antonium barbarorum copias, ni ipſa dimicationis hora reſolutus repente Rhenus inhibuiſſet, memorat (*i*) *Suetonius*. Sed Librum edidit *Martialis* ipſo *Belli* tempore antequam ſtatua *dedicaretur*. Scripſit hanc Sylvam *Statius* reverſo, cum *Coloſſus* dedicaretur, qui jam fortaſſe cudebatur cum Librum ederet *Martialis*. Bellum certe geſſit in *Antonium*, non *Domitianus* ipſe, ſed *Norbanus*, ut è *Martiali* conſtat. Et *victoriæ* nuncium in ipſo *itinere* accepiſſe *Domitianum* docet *Plutarchus*. Senatus populique munus erat *Coloſſus* ille, ut oſtendit *Statius*, v. 99, 100. *Abſenti* fortaſſe decretus, *dedicatus* tamen poſt *reditum*. Proinde anno potius ſequenti XC. *Statium* illa ſcripſiſſe arbitror. Diu certe poſtea *Domitianum* vixiſſe teſtatur *Dio Xiphilinianus*, qui mox ante Conſulatum *Trajani* collega *Glabrione* harum rerum meminit. Et ſolet certe, etiam in *Excerptis* ſuis *temporis* ordinem *Dionianum* obſervare plerunque *Dionis* ille *breviator*. Vixdum *Bellum* cum *Antonio* finem accepiſſe, cum illa ederet *Martialis*, exinde colligimus, quod IV. demum Epigrammatum Libro Ep. II. *Antonii* meminerit, *reverſo* jam, nec ullas illius Belli *aleas* metuente, *Domitiano*.

XXIII. *Stellæ Epithalamion* & *Violantillæ* proximo, ni fallor, anno ſcripſit ab ipſis nuptiis. Idem *matrimonium* celebravit *Martialis*, L. VI. Ep. 21. *Exuvias* hic & *laurus Domitiani* memorat *recentes*, v. 180, 181. Sed de *Dacis* illas, non autem (ut volunt Interpretes) de *Sarmatis*. De *lauro Sarmatica* agit *Martialis* Libro ſequenti. Eratque ea *Domitiano* unica. Sed cum *recentes* appellat, jam ſane & *alias* fuiſſe de eodem hoſte *laurus* innuit, ſed paulo, quam fuerint illæ, *vetuſtiores*. Bello *Domitiani Dacico*, & cum *lauru triumpho* etiam

Epithalamium Stellæ & Violantillæ ſcripſit anno XC.

(*i*) *Suet.* Dom. c. 6.

de iiſdem *ſecundo* conveniunt ad amuſſim illæ notæ. Ita duxerit *Violantillam Stella* anno LXXXIX. qui annus erat *Victoria Dacica Domitiani* II. ut proinde *laurus* illæ fuerint *nuptiarum* tempore *recentes*. Sunt enim verba illa in Perſona *Veneris Violantillam* ad nuptias hortantis. Itaque jam ante nuptias *Domitianus* iterum de *Dacis* triumphaverat. Sic autem honores *Stellæ* deſcribit ibi *Venus*:

certe jam nunc Cybeleia novit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.
Jamque parens Latius (cujus prænoſcere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, Juvenique curule
Indulgebit ebur, Dacas (quæ gloria major?)
Exuvias, lauroſque dabit celebrare recentes.

Duos hic *Stellæ*, cum *nuptiæ* ſuaderentur, *honores* memorat; alium quo *jam* potitus eſſet, *futurum* alium, nec adhuc niſi *Deæ* (cui *fas* erat Principis *mentem prænoſcere*) compertum. Erat nimirum jam *Quindecimvir ſacris faciundis*. Ominatur autem Dea *futurum* ſequenti anno *Prætorem*, ut *laurus Domitiani* adhuc *recentes* poſſet *Ludis* (quorum cura *Prætori* incumbebat) celebrare. Sic tranſitum fecit (*k*) *Tacitus* Hiſtoricus, his ipſis noſtri *Statii* temporibus, à *Quindecimviratu* ad *Præturam*, vel in ipſo potius *Quindecimviratu Præturam* ita accepit ut *Quindecimviratum* nihilominus non exueret. Nec ſane aliud quam *Præturam* innuunt verba quibus honorem *Stellæ Quindecimviratui* proximum deſignat *Statius*. *Novos* enim fuiſſe innuit in *Juvene purpureos* illos *habitus*, & *novum curule ebur*. *Nova* enim illa eſſe poterant in *Prætura*, non item in *Conſulatu* qui *Præturam* ſemper ſupponebat. Itaque cum *nuptias Venus* ſuadere ſuppo-

(*k*) *Tacit. Ann. XI. 11.*

nitur,

nitur, adhuc *Quindecimvir* tantummodo erat *Stella*, ne quidem adhuc *Prætor* vel *deſignatus* aperta aliqua *Domitiani* diſpoſitione. Alioqui opus non fuiſſet ut *Venus* ea *prænoſcendi fas* ſibi vendicaret quæ jam in omnium notitiam venera...t. Sic *fine* anni LXXXIX. fuerit *matrimonium* antequam vel *rediiſſet* ab expeditione *Domitianus*, vel ſequentis anni diſpoſitionem *evulgaſſet*. Proximi enim à *victoria* anni *Prætura* fuerit oportet quæ *victoriam* ipſam erat celebratura, *lauros* nimirum jam tum, cum celebrarentur, etiam *recentes*. Ita conveniet *Stellæ* etiam *Prætura* anno Æræ noſtræ XC. Sed & *Conſulatum Stellæ Venus* verbis proxime præcedentibus ominata fuerat, & quidem *propiorem* illum quam per *Leges* licuerat *Annales*. Sic enim verba ejus illa intelligo :

Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonii) cernes attollere faſces
Ante diem.

Sed plane *remotiorem* illum non modo *Quindecimviratu* verum etiam *Prætura*. Præter honorum *ipſorum* ordinem, id certe innuunt *verba* illa : *Certe jam nunc* &c. & *Jamque parens Latius* &c. *Biſſenos* ergo *faſces* ita auguratur ſi qua cœpiſſet ea pergeret *indulgentia Præſidis Auſonii*. Itaque de *Conſulatu* conjecturam tantummodo in perſona *Veneris* fecit Auctor ab ejuſdem *Prætura*, quæ nec ipſa erat, cum fieret *matrimonium*, explorata. Quia nimirum uno *citius*, quam per *Leges* oportebat, anno *Prætoram Stella* conſequutus eſt, inde colligebat *Conſulatum* etiam uno ſaltem anno, quam licuit, maturiorem. Ita *Conſul* fuerit oportet eo ipſo anno quo Librum hunc collegit ediditque *Statius*, XCII. Sed fefellit *Statium*, fefellit perſonatam

ſonatam illius *Venerem*, calculus. Vovet certe *Stellæ* Conſulatum, & *cito* dandum ſimiliter (*l*) *Martialis*. Sed Libro illo qui cum *Statii* Libro IV. concurrebat *Domitiani* Conſulatu XVII. inſignito. Etiam *geſtum* ſupponit, non *deſignatum* tantummodo, illum *Conſulatum*, L. XII. Ep. 3. Imo eo geſtum tempore quo & *Hyperboreus Domitiani triumphus*, & *laurus*, (non alia utique quam *Sarmatica*) *Domitiano* ipſo *ſpectatore*, celebrandi erant, L. VIII. 78. Ni *Conſulatum* voluiſſet, inepte *præmia* à *Stella* in *Ludis* ſuis data cum ſolitis *utriuſque Conſulis* præmiis contuliſſet. Quæ certe notæ annum XCV. quo reverſus eſt ab expeditione *Sarmatica Domitianus*, deſignant accuratiſſime. Scripſit ergo *Statius* poſt initium anni XC. quo jam innotuerat mens *Domitiani* de anni *Magiſtratibus* quæ nondum innotuerat tempori *Matrimonii*, poſt ipſum utique *Matrimonium*. Et tamen ante annum XCII. quo Librum collegit ediditque, cum de *Stellæ Conſulatu* illo anno adeo ſit hallucinatus. Ego anno XC. ſcripſiſſe arbitror.

Stella majoris *Statii* diſcipulus fuiſſe videtur, minori condiſcipulus & *coævus*.

XXIV. Atque hinc obiter tam *Stellæ* tempora, quam *Statii* etiam noſtri, ſtabiliri poterunt. Jam enim conſtat ex illo *Statii* de futuro Conſulatu ratiocinio, *uno* ſaltem ante legitimum *Præturæ* tempus anno *Prætorem* fuiſſe *Stellam*. Anno ergo XC. XXIX. ætatis annum abſolverit, cum XXX. fuerit ad *Præturam* legitimus. Et recte adeo illum *juvenem* appellat Poeta noſter tam in Epiſtola Libri *Dedicatoria*, quam in ipſo etiam *Epithalamio* v. 71. *Ætate* ſcilicet, pro noſtris rationibus, vere *Juvenili*, cum nondum annum XXXV. impleviſſet. Erat enim, pro hoc calculo, eadem plane *ætate* qua ipſe *Statius*, natus eodem

(*l*) *Martial.* L. IX. Ep. 43.

anno

anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LXI. Idque verum fuiſse innuit, ni fallor, illis verſibus ipſe *Statius*:

tecum ſimiles, junctæque Camœnæ
Stella mihi, multumque pares bacchamur ad aras,
Et ſociam doctis haurimus ab amnibus undam.

Non *ſimilia* duntaxat ſtudia ſibi gratulatur, ſed plane *paria*, ſed *ſocia*, qualia eſſe ſolebant in *coætaneis*, etiam ſub eadem *Scholæ* diſciplina agentibus. Vix aliter fuiſſet de *aris* ſibi *paribus* gloriaturus. Vix aliter de *unda ſocia* ni ſocium illum *diſcipulum* habuiſset. *Propriam* certe ſibi quandam indicat, nec cum *veteribus* paulo antea memoratis, *Phileta*, *Callimacho*, *Propertio*, *Naſone*, *Tibullo*, communem gloriam, quibus tamen omnibus communia cum *Stella* fuerant ſtudia *Poetices*. Imo *condiſcipulum* ſuum ſub *Patre* hunc ipſum, ni fallor, *Stellam* indicat illis in Patris *Epicedio* verbis:

cui Chalcidicum fas volvere carmen.

Sunt enim illa in hoc ipſo *Epithalamio* de *Stella* plane gemina:

Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

Erant præterea illi *Patris* diſcipuli *natalibus* clari, *Epiced.* v. 176. Fuitque *Stella nobilis* & *Patritiis* majoribus ortus *Epithalam.* v. 71, 72. Sic *Romam* conceſſerit Pater ante annum certe LXXIII. ſi quidem *Romæ* illos majorum gentium diſcipulos inſtituerit, & infra *majoris Pueritiæ*, quæ annorum erat XII. limites *Stellam* erudierit, *ætate* nimirum ea quæ *Grammaticis* credi ſolebat. Et ſane *Pueros* illos

los fuiſse Patris diſcipulos, & *verberibus* obnoxios teſtatur ipſe *Statius* Epiced. v. 180. 184. Convenit porro quod ſcribit in *Epicedio* Patris diſcipulos nonnullos fuiſse Provinciarum *præſides*, v. 185, 186, 187, 188. Qui enim anno LXXIII. vel *decennes Pueri*, hi erant certe anno, quo *Epicedion* ſcripſit XCVI. ætate jam *Conſulari*, & *Provinciis* adminiſtrandis idonei. Forte *liberorum* Jure hanc Legis *Annariæ* gratiam *Stella* conſecutus eſt.

Manlii Vopiſci villam *Tiburtinam* laudavit anno XCII.

XXV. In proxima *Statii* Sylva quæ de *villa* agit *Manlii Vopiſci Tiburtina* temporis nota prorſus nulla eſt. Sed *nuperam* fuiſse, cum ederetur, innuunt, ni fallor, Epiſtolæ Dedicatoriæ de ipſo *Manlio Vopiſco* verba illa: *ſolet ultro quoque nomine meo gloriari, & villam Tiburtinam ſuam deſcriptam à nobis uno die.* Dicit *ſolet*, de eo nimirum qui, cum illa ſcriberet *Statius*, jam ſolebat. Addit *ultro quoque* illum ſuo *nomine gloriari.* Quaſi non *rogatus* gloriaretur, nec opus haberet ut tanquam rei diu præteritæ *memoria* illi refricaretur. *Nuper* illam *villam* deſcripſerit oportet *Statius*, & *recens* adeo *Manlii Vopiſci* de deſcriptione voluptas, cum *captaret* etiam non oblatas eo nomine laudandi *Statii* occaſiones. Itaque eodem *anno* deſcripſiſse puto quo & *Librum* ipſum edidit.

Domitiani Ludi *Sæculares* anno LXXXVIII. habiti, ipſo, ut videtur, *Domitiani Natali.*

XXVI. *Soteria Rutilii Gallici*, (quæ Sylva eſt hujus Libri IV.) ſcripſit, ni fallor, *Statius* anno Æræ noſtræ receptæ LXXXVIII. mox ſcilicet à *morbo* ipſius *Rutilii.* Illud certum, poſt *ludos Domitiani Sæculares* fuiſse illum *Rutilii morbum.* Sed aliam à recepta ſententiam ſequitur Amicus doctiſſimus, *Aſaphenſis* nuper, jam vero *Lichfieldenſis* & *Coventrenſis* Epiſcopus, quæ nec *Pagio* diſplicuit aut *Noriſio*, ipſis quoque Chronologiæ laude

laude celeberrimis. Obſervavit ille *numos* qui *ludorum* illorum mentionem faciunt, cum *Tribunitia Domitiani Poteſtate*, non VII. ſed VIII. committere. Hinc ſane colligitur poſt diem *Septembris*, quo deceſſit *Titus*, XIII. *ludos* illos fuiſſe celebratos. Viderat hoc olim *Onuphrius*, & proinde *Domitiani* ipſo natali *Octobris* XXIV. fuiſſe ſuſpicatus eſt. Ratione tamen alia nulla quam quod *diem* illum, qui in Tribunitiam ejus Poteſtatem VIII. vere incidebat, commodiſſimum proinde judicaret. Sed cujus ille *teſtem* ſententiæ nullum dedit, nos coævum damus (*m*) *Martialem*, qui de illo *natali* ita ſcribit:

Hic colat ingenti redeuntia Secula luſtro,
Et quæ Romuleus Sacra Terentus habet.

Optat nimirum *Domitiano* tot *natales* ut ad novos ludos *Seculares* pertingeret, *natali* proinde ejuſdem celebrandos. Alioqui perperam ad *natalis* laudem *ludos* illos retuliſſet ſi nihil illi cum *natali* commune habuiſſent; nec illos fuiſſet, elapſa annorum integrorum *Periodo*, *natalis* ipſe reſtauraturus. Firmat præterea, non convellit, ſententiam hactenus receptam, quod anno U. C. DCCCXLI. Ludos *Domitiani* Seculares attribuant marmora *Capitolina*. Recte quidem, fateor, Argumentatus fuiſſet ornatiſſimus *Epiſcopus*, ſi pro Faſtorum *Capitolinorum* hypotheſibus deſignatus is fuiſſet *Ludorum Secularium* annus. Nec enim dubium quin uno anno diſcrepet à calculo *Varroniano* calculus *Capitolinus*. Sed *Verrii Flacci*, qui ſub *Auguſto* vixit & *Tiberio*, non potuit eſſe recentior illa interpolatio de Ludis *Domitiani*. Imo manifeſtum eſt coævum illum, quicunque demum fuerit, Auctorem, *Flaccuſne* an alius, ad exitum *Auguſti* ſua perducere decreviſſe.

(*m*) L. IV. Ep. 1.

Poſtea nihil ibi legimus exceptis hiſce *Ludis Sæcularibus.* A manu utique *aliena*, & *Domitiano* coæva. Atqui *medio* illo ſpatio inter exitum *Auguſti* & Imperium *Domitiani* DCCC. Urbis annum celebraverat *Claudius*, non *Capitolinis* tamen calculis, ſed *Varronianis.* Exemplumque dederat *Ludorum Sæcularium* ſequentium ſimiliter celebrandorum. Inde in uſum *vulgi* recepta eſt ſupputatio illa *Varroniana.* Proinde nihil eſt quod dubitemus quin junior ille interpolator *Varroniano* more ſuos ab *Urbe Condita* annos numeraverit. Id quod obſervavit ante nos Cl. *Pagius.* Sed *meſſis* tempore ludos illos fuiſſe obſervavit è *Claudiano* Præſul clariſſimus. Fieri quidem poteſt, ut poſt cædem *Domitiani* inſtitutos ab illo ludos à *natali* ejus ſejunxerit Princeps aliquis *Domitiano* junior, antiquior tamen *Claudiano.* Nos certe in illo ipſo tempore *Domitiani* verſamur, de quo magis audiendus eſt *Martialis* quam *Claudianus.* Satis tamen apte quadrabit in illius Principis *natalem* nota etiam illa *Claudiani.* Erant enim multæ *meſſes* aliæ aliis ſeriores, & quidem nonnullæ tales ut in *Octobrem* incidant, ut è *Ruſticis* conſtat *Kalendariis.* Et quidem eam *meſſis* ſignificationem fuiſſe conſentaneum eſt, qua *temporis* nota eſt, ut *quadrantem* anni *Autumnalem* denotet. Ita complectetur *Octobrem*, pro illa anni partitione, quæ à *mediis* intra puncta *Cardinalia* ſpatiis tempeſtates arceſſebat, quæ erat in humanæ vitæ uſibus receptiſſima. *Aſtrologorum* enim erat illa alia quæ à *punctis* ipſis deducebatur *Cardinalibus.* Sed nihil eſt neceſſe ut *certam* aliquam *anni* duntaxat *partem* meſſis nomine deſignaverit *Claudianus.* Annum potius ipſum *integrum* uſitatiſſima illa partis Synecdoche denotant Poetæ. Sic annos integros *ariſtarum* nomine ſignificare

(*n*) *Vir-*

(*n*) *Virgilium* in confeſſo eſt. Sic etiam *meſſium* voce uſus eſt (*o*) *Martialis*, & (*p*) *Statius*. Imo *morem* illum obſervavit ipſe (*q*) *Claudianus*. Sic enim ait :

Frugibus alternis, non Conſule, computat annos.

Ut ergo *Conſulibus Ordinariis* res anni *univerſi* geſtas deſignabant, non ea duntaxat anni *parte* qua erant in *Magiſtratu* Conſules *Ordinarii* ; ſic in *meſſium* voce factum fuiſſe veriſimillimum eſt. Certe à *Claudiano*, qui ipſe illum vocis uſum obſervaverat.

Eodem anno convaluit è morbo *Rutilius Gallicus.*

XXVII. Poſt illos certe *ludos* fuiſſe hæc *Rutilii Soteria* è v. 17, 18. manifeſtum eſt. Nec *diu* tamen illos excepiſſe, id quoque nos docet *Statius*. Ait apud illum Apollo NUPER fuiſſe carmina illa quæ in honorem *Apollinis* cantare ludis Sæcularibus *pueri* nobiles ſolebant, *Camilli* appellati, *patrimi matrimique*, ἀμφιθαλεῖς, ut ſimiliter *Dianam* in iiſdem ludis celebrabant pari cantilenarum religione *virgines patrimæ* ac *matrimæ*. Inde factum quod *Apollinem* redintegratæ *Rutilio* ſalutis præcipuum auctorem faciat *Statius*, cum filio tamen Medicinæ præſide *Æſculapio*. Quoniam nimirum *Apollinem* ipſis illis *ludis* placaverant illis, quas dixi, *puerorum* cantilenis ; & quoniam morbos Epidemicos *Apollini* tribuebant qui ab illa ipſa *perdendorum* hominum vi nomen ipſum fuerit conſecutus *Apollinis*. Ita certe morbum iſtiuſmodi Epidemicum *Chryſeidis* cauſa, apud *Homerum* immittit *Apollo*, quem habent pro norma Poetæ juniores. Sic nihil potuerit, pa-

(*n*) *Virgil.* Eclog. I. v. 70. Meſſes *Martialis* L. X. Ep. 103 vocat quas brumas Ep. 104. (*o*) *Martial.* L. I. Ep. 102. (*p*) *Stat.* L. I. Sylv. IV v. 77. (*q*) *Claudian.*

tre invito, vel ipſe *Æſculapius*. Proinde ambo erant in beneficio invicem conjungendi. Atqui locum illa nullum habebat Argumentatio niſi in memoria expiationis admodum recenti. Non certe in *ſequenti* anno. Et ne quidem in illa ejuſdem anni parte quæ expiationem præceſſerat. *Annorum* enim fuiſſe *portenta*, portentorumque *procurationes*, è veterum *Romanorum* fere omnibus conſtat, quotquot habemus, *Annalibus*. Ita nimirum ut, nec metuenda crederentur annis *ſequentibus* quæ *ſuperioribus* fuiſſent annis rite procurata prodigia, nec viceverſa proficere putarentur ad ſequentium annorum omina *averruncanda* ſuperioris anni *procurationes*. Sic nulla fuiſſet è *Rutilii* morbo ſuſpicio ne forte nondum placatus fuiſſet *Apollo*, ſi in alium *annum* morbus incidiſſet ab illo quo luſtralia illa Sacra edebantur *Ludorum Sæcularium*. Nec id in aliis duntaxat malis publicis locum habebat, verumetiam in virorum præſtantium *mortibus*. Illum nimirum annum *funeſtum* cenſent *Livius* atque *Tacitus* quo viri egregii deceſſiſſent, illum viciſſim *purum* qui nullo iſtiuſmodi obitu fuiſſet inſignitus. Sed fruſtra futura indicat *puerorum* nobilium illa Sacra, ni convaluiſſet *Rutilius*, v. 96, 97. Imo *crimen* futurum *novi Sæculi*, nec rite editi Sacri *Terentini* argumentum, v. 17, 18. Quare hoc *anno* fuerit oportet & *morbus* ille *Rutilii*, & redintegrata ejuſdem *ſalus*.

Natus *Rutilius* anno XXVIII.

XXVIII. Conſtituto ergo hujus *Sylvæ tempore*, jam poterit de reliquis *Rutilii Gallici temporibus* aliquatenus judicari. *Ætatem* moribundi *Rutilii* eam deſcribit *Statius* quæ *vix dum orſa* eſſet *biſſenis excedere luſtris*. Itaque *duodecim luſtris* jam major eſſe cœperat, quanquam parvum admodum progreſſum in *luſtro* fecerat *decimo tertio*. Sic natus fuerit

fuerit anno Æræ *Chriſtianæ* XXVIII. menſe ſaltem *Octobri*, ut *excedere luſtris* XII, cum *ludi Sæculares* agerentur, poſſet vel ægre. *Luſtrum* enim hic *Romanum* intelligo annorum *quinque* integrorum. Quanquam aliter ſcio apud *Statium* vocem illam uſurpari pro quolibet annorum *circuitu*. Ita *unius anni luſtrum*, licet *velox* illud, agnoſcit. L. III. Sylv. I. v. 45. Et *Olympiades luſtra* appellat, ſed *Elæa* .... Eo, ut videtur, conſilio ut à receptis, pro *Romanorum* more, *luſtris* illa diſtingueret. Hac ætate mortem pro *gravis fati* habet *inclementia* v. 50. appellatque *ſubiti præceps juvenile pericli* v. 51. nec *culpam* futuram exiſtimat *ſenectæ* v. 52. Itaque *ætatem* illam & pro *Juventute* cenſet & pro *Senectute*, licet minime culpanda, mediam nimirum exiſtimans, & in utriuſque confinio. Ne quidem illud alienum à more ſuo *Statius* qui patrem ſuum LXV. annorum *nec indigum ævi*, *nec nimium* agnoſcit, L. V. Sylv. III. v. 252, 253. Sic potuit integro *Quinquennio* minor ætas *Juventus* eſſe, ſed *præceps*; & *ſenectus*, nondum tamen in mortis cauſa culpanda.

Honores *Rutilii* à *Statio* memorati quibus *annis* aſſignandi.

XXIX. Jam & *honores* hujus *Rutilii* à *Statio* memoratos, (quod tamen fateor hoc, quo verſamur, Sæculo, in quo tam paucæ occurrunt certe temporum notæ, eſſe difficillimum) pro virili tamen noſtra conſtituam. Si tamen eo, quo ſunt geſti, *ordine* illos *Statius* recenſuerit. *Primam* illi *togæ virtutem* fuiſſe ait, in quo & *clarum* fuiſſe teſtatur v. 71. Hanc ego *virtutem* ad annum *ætatis* XVIII. elapſum, inchoatumque XIX. annumque Æræ receptæ XLVII. libenter retulerim. Primam enim quamque *Oratoriæ* in *foro* exercendæ occaſionem arrepturum exiſtimo, qui præter *togam* etiam *arma* meditabatur, qui *ſtirpe* nimirum erat *nobili*, & *honores* adeo *Senato-*

rios ſperabat ambiebatque, ipſe præterea, propria quadam ſua indole, rei *militari*, qua in *Senatum* aſcendendum erat, addictus. Imo *cogebat* eum, ni fallor, *diſciplina* illius Sæculi *militaris*, ne *veram* quoque *militiam* diutius differret. Nec enim ultra militiam *Equeſtrem* procedebant in numero *ſtipendiorum* anni in *Oratoriæ* ſtudio ponendi, ſed nec *honoraria* illa atque *beneficiaria*, quæ ſolebant indulgeri, *ſtipendia*. Sic *tardius* honores illum conſequi neceſſe erat, qui diutius à *vera* quoque illa & *Caſtrenſi* militia abſtinuiſſet. Sequenti ergo ad minimum anno Æræ *Chriſtianæ* XLVIII. à cura *cohortis* honoraria ad *Præfecturam alæ* provectum exiſtimo, qui ſecundus erat ſub *Claudio*, ſub quo merebat noſter *Equeſtris Militiæ* gradus, ut oſtendimus in Annalibus noſtris *Velleianis*. Sequebatur deinde *Tribunatus*, anno *ætatis*, pro noſtris rationibus, XXII. *Domini* L. Hic *tertius* erat ultimuſque gradus *Militiæ Equeſtris*. Proinde illum tenuerit oportet uſque ad *Quæſturam* qui primus erat honor *Senatorius*. Illam conſequi non potuit ante annum ætatis XXV. *Chriſti* proinde LIII. Hucuſque militiam egerit alieni prorſus *ducum*, ſub quibus meruit, arbitrii. Itaque *Provincias* omnes ab eo adminiſtratas hoc ſaltem anno poſteriores fuiſſe neceſſe eſt. Ita quidem ut ne *Provinciam*, vel *Quæſtoriam*, ante annum Æræ noſtræ LIV. obire potuerit. Antea ne quidem *Legionis* unicæ, qui minimus erat *exercitus*, vel *dux*, vel *legatus* eſſe potuit, ut proinde laudem mereri poſſet vel vituperium *Provinciæ* bene, vel ſecus quam oportuit, adminiſtratæ. Et quidem hoc ipſo, ni fallor, anno *Galatiæ* præfectus eſt legatus *Claudii Cæſaris*. Nec enim *Galatiam Populi Provinciis* accenſitam legimus. Hanc bello *Rutilium* inceſſere auſam teſtatur *Statius* v. 76. *Bellum* quidem ibi in coævis illorum temporum

temporum Hiſtoricis, quos admodum paucos habemus, nullum legimus. Fieri tamen potuit ut, cum *Armeniam* tentarent, hoc anno exeunte, ſub ipſis *Neronis* initiis, *Parthi*, inde animos ſumſerint finitimæ *Parthis* in Oriente Provinciæ. Proximam illius Provinciam *Pamphyliam* recenſet *Statius* quæ illum per *novem meſſes* timuerit, v. 77. Cum *timorem* memorat, ea nimirum ipſa tempora, ni fallor, innuit, quibus *Corbuloni* cum *Parthis* vel *bellum* erat, vel belli *ſuſpicio*. Tum enim erant finitimæ Provinciæ per *timorem* in officio continendæ. Tunc ergo per *Neronis* primam diſpoſitionem è *Galatia* in *Pamphyliam* tranſlatus eſt *Rutilius Gallicus*, quam etiam tenuit ab anno LV. ad LXIV. Æræ noſtræ *vulgaris*. Erant quidem, hoc interim ſpatio, honores alii à *Rutilio* in urbe capeſſendi, *Ædilitas* nimirum vel *Tribunatus*, & *Prætura*, ne ipſum dicam *Conſulatum*. Sed ſupplevit eorum neceſſitatem Principis ipſius indulgentia, *Provincias* nimirum *Ædilitiis*, *Tribunitiis*, *Prætoriiſque* pares *ſine* ipſis honoribus conferentis. Potuit enim *Princeps* vel *Quæſtoriis* legatis Provincias *ſuas* credere. Potuit etiam per *Cenſoriam* ſuam poteſtatem *locum* in Senatu *Prætorium* dare. Potuit & *ornamenta Prætoria*, ſine *Prætura* ipſa, conferre. Nec enim magis *Prætura* neceſſaria erat ad *legatos Cæſaris* qui *Proprætores* appellabantur, quam erat *Conſulatus* ad *Populi* præſides *Proconſules*, quos aliquando *Conſules* non fuiſſe docet *Dio*, ſed tantummodo *Prætorios*. Etiam honores *ſummos* ſine *intermediis* dabat Imperator, ita honores in *Urbe* non geſtos tempore honori cuique legitimo compenſaturus. Et quidem ſuppleviſſe *Rutilio* puto veriſimillimum eſſe. Eo retulerim quod *faſces geminos* pro *novo* honoris *gradu* habeat *Statius* poſt tot *Provincias* v. 8. Non ita certe habiturus ſi honores

ipſos

ipſos in *Urbe* geſſiſset quorum erant *faſces* inſignia. Eo etiam, quod *majorem curulem* nec *ſemel* promiſſam memoret *Statius*, v. 82, 83. Nec enim video cur *binorum Conſulatuum* uno eodemque tempore ſpem faceret Imperator, niſi ut prætermiſsum *tempore* legitimo *Conſulatum* ita compenſaret. Ne ſcilicet *factis* ſuo tempore *Conſulibus* locum in *Senatu* inferiorem haberet *Conſul* ille extra ordinem factus. *Conſules* enim omnes quantumvis antiquiores præcedebat qui *bis* illo honore fuiſset inſignitus. Sequebatur deinde *Rutilii* alia Provincia *Pannonia*, anno proinde LXV. *Pannonium ferocem* appellat v. 78. Incertum, an propter *bellicos*, ſub Præſide *Rutilio*, motus; an propter nativam gentis, quæ ex Hiſtoriis ſatis manifeſto conſtat, indolem. Suſpicor & in illa quoque Provincia expertum eſse *Rutilium* quæ *in otia pacis animum laxare non permitterent*. Sequitur tandem *Armenia*, & *Latii patiens jam pontis Araxes*. v. 79. *Pons* ille ad *Artaxata* erat, (r) *Corbulone* duce, expugnata & incenſa, anno Æræ noſtræ LVIII. Mœnia enim Urbis alluebat *Araxes*, jam proinde *Latii pontis patiens*, deleta Urbe pontis propugnaculo. Ita ante annum LXVI. huic Provinciæ præfici *Rutilium* minime potuiſse prædicta illa nos docet honorum ſeries. Poſtea non potuiſse certum eſt. Nam anno LXVI periit *Corbulo*. *Romam* venit *Teridates Tacito* teſte & *Dione*, & regnum *Armeniæ*, cum *Artaxatorum* reſtaurandorum venia ab eo impetravit. Inde *Latii pontis* non amplius erat *patiens Araxes*.

Rutilius Gallicus Aſiæ *Proconſul* annis LXVII. & LXVIII. *Conſulatus* ei anno

XXX. Addit præterea *Statius geminos Rutilii faſces, magnæque iterata Jura Aſiæ*, v. 80, 81. *Geminos faſces* in nullis *Romanorum* Magiſtratuum inſignibus legimus. Ne jam Magiſtratus

(r) *Tacit.* Ann. XIII. c. 39, 40, 41.

extra-

extraordinarios, nec horum temporum, memorem; *Conſulatus* faſces *duodecim*, *Præturæ ſenos*, fuiſſe compertiſſimum eſt. Itaque non *faſces* ipſi *gemini*, ſed faſcium potius *geminæ vices* intelligendæ ſunt, eædem nimirum cum *Juribus Aſiæ Magnæ iteratis*. Id nempe voluit *Statius*, bis fuiſſe *Rutilium Aſiæ Proconſulem*. Sed *magnam* appellat, præ aliis Provinciis antea memoratis, *Aſiam*. Eo nimirum nomine *magnam*, quod ſublimiori dignitate præſidem haberet *Proconſulem*. Eo, inquam, quod *faſces* haberet *Conſularibus* pares qui locum in Provinciarum antea geſtarum inſignibus nullum habebant. *Aſiam* autem *Populi Provinciis* accenſitam fuiſſe notiſſimum eſt. Id quoque docet de *Populi* Provinciis (*f*) *Dio*, & *annuas* fuiſſe illas, & *ſortitioni* permiſſas, & *lictorum* numero inſtructos earum præſides pro honoris gradu quo fuerant in *Urbe* inſigniti, ſeu *Conſulari*, ſeu *Prætorio*. Ergo *annuum* hunc honorem cum *Rutilio iteratum* teſtatur *Statius*; proinde *duobus annis* geſtum fuiſſe indicat. Non aliis, ut videtur illis quam Æræ noſtræ LXVII. & LXVIII. *Neronis* ultimis. Non ergo *Nero*, ſed *Galba* illum, ut videtur, revocavit promiſſo etiam *duplici Conſulatu*. Sed *promiſſum* tantummodo dicit *Statius*. Ut proinde infra *promiſſa* illum ſtetiſſe ſuſpicemur. Ne quidem priorem *Conſulatum* illum obiiſſe veriſimile eſt. Illum, ſi *geſtus* fuiſſet, in annum *Belli Civilis* inciderit oportet, Æræ nimirum *Chriſtianæ* LXIX. Atqui illo anno, quod rarum admodum eſt, *Faſtos* habemus integerrimos, etiam *Conſulum ſuffectorum*, ſingulorumque, quibus Conſulatus obierint, *bimeſtrium*. Nec ullus tamen inter illos comparet *Rutilius Gallicus*. Nempe revocaverat illum, uti dixi, *Galba* anni LXVIII. exeuntis Imperator, cujus pro-

LXIX. *promiſſus*. non *geſtus*.

(*f*) *Dio* L. LIII. p. 504.

inde erat ſequentis anni tam *Conſulibus* proſpicere quam *Præfectis*. Et revocatum è Provincia *Conſulatu* ornaverat ſaltem *deſignato*. Sed menſe *Januario* cæſus ipſe *Galba* eſt. Antea nimirum quam *Conſulum ſuffectorum* vel *primi* Magiſtratum inirent. Ita factum ut cum eo perierit illius in ſequentes anni menſes *Conſulum deſignatio*. Sequentes ergo illius honores ad *Veſpaſiani* tempora referendi.

Africæ Proconſul *Rutilius* anno, ut videtur, LXXV.

XXXI. Prima illius ſub *Veſpaſiano* Provincia *Statio Libya* dicitur. *Africa* nimirum illa unde oriundi *Romanorum* æmuli *Carthaginienſes*. Inde neſcio quod *inſigne tributum* ejus memorat *Apollo Statianus*. Novum, ut videtur, tributi genus ab eo primo *Carthaginienſibus* impoſitum. Hunc dicit *miſſum media de pace triumphum*, v. 84. Inde *temporis* notam colligimus. *Pax* enim erat certe ſub *Veſpaſiano*, & quidem *univerſalis*, nec ſolius *Africæ* aut unius cujuſcunque *Provinciæ*. Eo nomine *Janum* geminum *ſexto Veſpaſianum* clauſiſſe teſtatur (*t*) *Oroſius*. Et templum eo *Pacis* nomine conditum fuiſſe conſtat celeberrimum. Eo profecto *tempore* præcipue dedicandum, quo *Pacem* illam conſtabat maxime vigere. Atqui *dedicationem* illam *Veſpaſiano* VI. *Tito* IV. COSS. tribuit *Dio*. Proinde illo ipſo anno *Africæ* præfuerit oportet *Rutilius Gallicus*, Æræ nimirum noſtræ LXXV. ſi quidem *media* illa *Pace* præfuerit. Pax illa certe univerſalis, nec multo *antea*, nec admodum *diutina* eſſe potuit. Ante IV. *Veſpaſiani* annum, ne quidem in *Palæſtina Pacem* fuiſſe (*u*) alibi oſtendimus. Etiam in *Germania* ad finem Hiſtoriarum *Taciti* Bellum legimus *Petilii Cerealis* cum *Julio Civili*, ad finem ſcilicet anni LXX. Deficit tamen *Tacitus* in illius Belli *fine*. Sed & poſtea confecto illo Bello, ad aliud in

(*t*) *Oroſ.* L. VII. c. 9. (*u*) Differt. ad Iren.

Britannia

Britannia noſtra Bellum miſſus eſt idem ille *Petilius.* Hic *multa* ejus *prælia, & aliquando non incruenta,* fuiſſe teſtatur (*x*) *Tacitus*; *magnamque* adeo *Brigantum partem aut victoria amplexum fuiſſe aut bello.* Poſt *Cerealem Julius* quoque *Frontinus* validam (inquit ibidem *Tacitus*) *& pugnacem Silurum gentem armis ſubegit.* Et ne poſt illum quidem pacatam hanc Provinciam accepit *Agricola,* quem à *Veſpaſiano* huc miſſum (*y*) alibi probavimus. Sed & poſt diſceſſum *Cerealis* Bellum in *Germania,* parum quidem neceſſarium, reperit tamen geſſitque *Domitianus.* Quæ ſane omnia oſtendunt *Pacem* illam, quandocunque fuerit, *univerſalem* quæ *Jano* claudendo neceſſaria erat, & *initio* illius Imperii & *fine* Bellis fuiſſe perturbatam, nec adeo *diutinam* eſſe potuiſſe, nec à *medio* Imperii admodum remotam. Idque præterea docent tot illi fere ſingulis *Veſpaſiani* Tribunitiis Poteſtatibus novi tituli *Imperatorii* in illius filiique *Titi* numis Inſcriptionibuſque frequentiſſimi. Sed *Pacis* nota nulla certior eſt quam *ædis Pacis* illa dedicatio. Ea & *brevis* erat, & *brevis* etiam *Rutilii* in Provincia Populi *Proconſulari* mora, *annua* nimirum. Ita multum ab hoc anno diſtare non potuit Præfectura *Rutilii* ſi *media pace* Provinciam illam adminiſtrarit.

XXXII. Poſtea *Arctoas Rutilii acies, Rhenumque rebellem, Captivæque preces Veledæ,* recenſet *Apollo Statianus.* Hæc quoque certe etiam ſub *Veſpaſiano. Vidimus* (inquit (*z*) *Tacitus*) *ſub divo Veſpaſiano Veledam, diu apud pleroſque numinis loco habitam.* Nempe ſe captivam *vidiſſe* innuit, cum non amplius, ut olim, numinis loco haberetur. Sed vero *initio Veſpaſiani,* cum bellum gereret in *Germania Petilius Cerealis,* jam adhuc

Anno LXXXVI. *Germanos* vincit, *Veledam* capit, *Dacos* ex urbe montana fugat.

(*x*) *Tacit.* vit. *Agric.* c. 17. (*y*) Annal. *Quintil.* §. 22. (*z*) *Tacit.* Germ. c. 8.

florebat *Veleda*, ut è *Taciti* conſtat *Hiſtoriarum* quas habemus, Libro etiam *ultimo*. *Veledæ* ſub *Domitiani* initium proxima quæ in (*a*) vaticinandi munere ſucceſserit *Ganna* memoratur in *Dionis* Fragmentis *Theodoſianis*. Satis apte conveniunt illa ut *affecto Veſpaſiani* Imperio captiva ducta fuerit ipſa *Veleda*. Denique maximam *Rutilii* gloriam ſubjungit, *depoſitam Dacis pereuntibus urbem*. v. 90, 91. Locum plane geminum eſse cenſeo illis ejuſdem in (*b*) *Thebaide* verbis:

Et conjurato dejectos vertice Dacos.

Erant enim ſane *Dacorum* propugnacula in difficillimis aditu *Dacorum montibus*, ut ex utriuſque Bellis *Dacicis* conſtat, tam *Domitiani*, quam etiam *Trajani*. Sic etiam noſter (*c*) alibi:

—— *Attoniti vidit domus ardua Daci.*

Rurſus *Dacos* appellat (*d*) *tardum in fœdera montem*. Et de *clementia* in illos *Domitiani* ita: (*e*)

Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.

Urbem ſcilicet Regiam intelligit *Decebali* in edito *monte* ſitam, è qua tamen fugatus eſt per victoriam *Juliani*. Sed *ſecundo* potius *Bello* jam in *Decebalum*, non in *Diurpaneum*, convenit victoria illa *Juliani*, & loca etiam aliqua quæ è *Statio* adduximus. Potuitque *utrique* victoriæ *Dacicæ* hoc idem eſse commune, quod cives Urbis Regiæ è monte *depoſuerint*, vel *dejecerint Romani*, vel *attonitos*

(*a*) *Tacit.* H. IV. 61. 65. V 22. 24. (*b*) Theb. I. 20. (*c*) L. I. Sylv. I. 7. (*d*) ib v. 80. (*e*) L. III. Sylv. III. v. 169.

fecerint,

fecerint, ut loquitur *Statius*, *montemque* rursus *suum* iisdem *donaverint*. Sed de *secunda*, quæ scribatur victoria *Dacica* ne quidem possunt intelligi hæc in quibus versamur, verba *Statii*. Tribuit enim Poeta verba illa *Apollini Rutilium* sanaturo paulo post *Ludos Sæculares*, quo tempore certum est nondum fuisse victoriam illam, qualiscunque demum fuerit, *Dacicam secundam*. Imo *Rutilii gloriam* illam *maximam* fuisse testatur *Statius*. Non itaque sub duce *Juliano*. Erat enim *Domitiano* in more ut Bella non per *se*, sed per *duces*, gereret. *Primam* ergo, quæ ferebatur, victoriam *Dacicam* intelligit. Nec sane *plures* fuisse significat. Et *nuperam* illam gloriam appellat, quanquam duorum fuerit, ad minimum, annorum. Erat tamen nihilominus *nupera* quà & provinciis rebusque sub *Vespasiano* gestis erat revera aliquanto nuperior. Et *nupera* præterea, quod proxime antecesserit officium illud ultimum omniumque maximum quo moribundus jam antea fuerat insignitus.

Præfectus Urbi *Rutilius Gallicus.*

XXXIII. Tum enim ait *lectum* fuisse ut *tanti rectoris*, (quantum haberi voluit *Domitianum*,) *habenas subiret cum urbem Dacis pereuntibus deponeret*, v. 91, 92, 93. Hoc officium ita describit ut Imperatori ipsi *proximum* fuisse supponat. Inde eo ornatum *Rutilium* pro *proxima* habet *ponderis immensi cervice* v. 6, 7. *Herculem* alludit *Atlantis* vicem in cœlo sustinendo subeuntem. Et *habenas* ipsius *Domitiani* fuisse supponit quas tulerit in eo munere *Rutilius*. Proinde *Præfecturam Prætorii* intelligunt Interpretes. Recte nimirum illi, si ad Corporis *Juris Civilis* à *Triboniano* collecti Jurisconsultos mens *Statii* esset exigenda. Tunc enim fateor supremum omnium, post ipsum *Principem*, tribunal fuisse *Præfecti Prætorii*. Sed *Urbi* profecto potius quam *Prætorio*

præfectum *Rutilium* indicant verba *Statii*. *Rutilii cohortes* illas fuiſse dicit quæ (*f*) *ſigna colebant Urbana*, v. 9. Aliæ prorſus à *Prætorianis*, atque invicem illis opponi ſolitæ. Hæ in *Urbis*, *Prætoriæ* in *Principis* cuſtodiam adlectæ. Hæ in *Urbe*, & quidem *ſine Caſtris*, *Prætorianæ extra Urbem* & *in Caſtris Prætoriis*. *Rutilii in ſinum confugiſſe* dicit *fora turbida queſtu*, *legeſque Urbeſque ubicunque togatas*, quæ illius *longinquis implorabant jura querelis*, v. 10, 11, 12. *Civium omnium* infra ſtadia ab *Urbe* 650. Judex conſtituitur *Præfectus Urbis*, provocationeſque audit in Oratione *Mecænatis* (*g*) *Dioniana*. Poſtea *centeſimo lapide* Juriſdictio ejus claudebatur. *Jus* certe *reddidiſſe* & (*h*) *Tacitus* teſtatur & (*i*) *Pomponius* Juriſconſultus. Imo *intrepidæ mitem Romæ cuſtodiam* v. 16. verbis diſertiſſimis penes *Rutilium* fuiſſe teſtatur *Statius*. Quæ tamen mirum eſt de *Prætorii* potius quam de *Urbis* præfecto intelligere potuiſſe viros eruditiſſimos. Fefellit illos maxima illa dignitas *Præfecturæ Prætorianæ*. Non ſcilicet meminerunt *declinantis* Imperii fuiſſe illam. Majorem certe ab origine fuiſſe *Præfecti Urbici* quam *Prætoriani* dignitatem vel inde conſtat quod viris credi ſoleret longe honeſtioribus. Ordinis enim *Equeſtris* plerunque erat Præfectura *Prætorii*; *Urbana* ſemper *Senatoris*, & quidem *locum* in ordine ampliſſimo tenentis *ampliſſimum*. Πολίαρχον ἐκ τῶν προσηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδείκνυσθαι, inquit apud *Dionem Mecænas*. Nec ſane aliter fuiſſe conſentaneum erat, dum locus ipſe Imperatorius fideicommiſſarius habebatur, Civitatis autem Libertatiſque, ut minus *re*, at *verbis* ſaltem, ſuprema dignitas ab ipſis etiam Principibus agnoſcebatur. Tamdiu ho-

(*f*) *Suet.* Aug. c. 49. 101. Claud. c. 10. (*g*) *Dio* L. LII. p. 480. (*h*) *Tacit.* Ann. VI. 11. (*i*) *Pompon.* in Dig. L. I. Tit.

neſtior

neſtior fuerit oportet *Urbis Civiumque* per *Italiam* omnium, quam vel *Principis* cuſtodia. Illo jure Imperium à reſtituta Rep. ſuſcepit *Auguſtus*. Eo *Claudius*. Eodem quo & *Auguſtus* jure atque *Claudius*. Imperium etiam accepit gentis, in qua verſamur, *Flaviæ* primus ipſe *Veſpaſianus*, ut è Senatuſconſulto conſtat, quod hodieque extat. Eodem & reliqui poſt *Domitianum* modeſti Principes, *Trajanus*, *Hadrianus*, *Antonini*. His ergo temporibus Jus *Præfecti Urbis* idem permanſit quod fuerat ab origine, majus nimirum jure Præfecti *Prætorio*.

XXXIV. Accepit autem novum illum honorem *Rutilius* poſt Bellum *Dacicum* prius, ſtatim, ut videtur, à reditu *Domitiani*. Opportune nimirum, quod meritis ſuis, qualiacunque demum illa fuerint, in *Dacorum* clade honorem illum videatur fuiſſe conſecutus. Ita locum illum tenuerit ab anno ſaltem LXXXV. Scio quidem in libello *Bucheriano* arctioribus limitibus *Præfectos Urbi* plerunque concludi. Sed vel ex illo libello ſatis conſtat nullum *Præfectis* illis tempus fuiſſe legitimum, ſed pro *Principis* arbitrio. Itaque in *more* erat duntaxat illa brevitas, qui ne ipſis quidem legem præſcribebat, nedum Principibus aliis in Imperio ſucceſſoribus. *Piſonem* certe temporibus *Tiberii* per annos *viginti* Præfectum Urbi memorat (*k*) *Tacitus*, ſi tamen vera ſit illius loci hodierna lectio. *Decem* largiuntur qui numerum illum enormem eſſe putant. Inde melius quam è recentiori illo *Præfectorum Urbicorum* Catalogo, de his, in quibus jam verſamur, *Domitiani* temporibus conjecturam faciemus. Et quidem hic *Rutilii* Magiſtratus videtur illi fuiſſe ſupremus. Gratulatur il-

Illam *Præfecturam* tenuit ab anno LXXXVI. ad *morbum* anno LXXXVIII. forte ad *mortem* quæ non diu poſtea.

(*k*) *Tacit.* Ann. VI. 11.

li quidem hac Sylva *Statius* valetudinem illam quæ videbatur ad multos annos ſuffectura. Ait illum *damnoſa ſenectæ fila exuiſſe*, atque *alios meliorem in annos reviruiſſe*, v. 7, 8. Ita *meliorem* agnoſcit depulſo morbo, quam antea, illius *valetudinem*. Et tamen mortuum illum fuiſſe ſignificat in *Epiſtola* hujus Libri *Dedicatoria*. Nec ergo diu poſtea vixit, nec brevi admodum ſpatio redire potuit depulſus adeo in ſpeciem morbus. Sed ſpatium ſatis laxum utrique concedit noſtra illa quam dedimus Chronologia, quæ etiam inde veriſimilis apparet.

Sylvam V. in *thermarum* Dedicatione ſcripſit *Statius*.

XXXV. De V. *Sylvæ* tempore jam ſupra nos nonnulla monuimus. Vix eſt quod dubitemus quin *thermarum* ſuarum dedicatione celebrium Poetarum encomia elicuerit *Hetruſcus*. Sic uno eodemque tempore eas celebraverit *Statius* atque *Martialis*. Sed quiſnam is *annus* fuerit, infra melius oſtendemus, cum de temporibus *Hetruſci* agemus ex profeſſo. Interim illo erimus Argumento contenti quod è communi utriuſque Poetæ, in quo occurrit, ordine deduximus.

Sylva VI. in Kalendas *Decembres* anni LXXXIX.

XXXVI. Sequitur ultima hujus Libri Sylva in *Kalendas Decembres Saturnales*. Quæ certe in *Kal. Decembres* anni LXXXIX. vel XC. ſcripta fuerit oportet. Meminit certe *imbrium* horum convivalium *ludorumque Dio*. Sic autem meminit, ut medios plane faciat inter Expeditionem *Domitiani* & *Trajani Glabrioniſque* Conſulatum. *Conſulatus* ille *Ordinarius* erat anni XCI. Inde conficitur ultra *Kalendas* anni XC. *Decembres* protrahi non poſſe. *Expeditio* autem illa quæ proxime *Conſulatum* illum præceſſit, erat *ſecunda* illa in *Germanos* pariter atque *Dacos Domitiani*, quam nos antea anno LXXXIX. quo paulo antea victus fuerat *Antonius*, aſſigna-

assignavimus. Idque Auctore coævo *Plutarcho*. Id quoque verisimile est *Victoriæ* causa editas celebritates in illum ipsum annum esse conferendas quo contigerit, quæ ferebatur, ipsa victoria. Non certe diu post *reditum Domitiani* esse protrahendas. Proinde ratio nulla est cur *Kalendis* anni sequentis *Decembribus* tribuantur, ni ad sequentem annum reditum suum *Domitianus* ipse distulisset. Nec sane distulisse ulla est in hac, in qua versamur, causa vel modica suspicio. Nec *moras* Belli diutius quam necesse erat, ferebat Princeps mollissimus atque timidissimus, qui nec libenter hostem in armis ipse videbat, & per legatos necessaria quoque Belli munia obibat. Imo hoc ipso anno, maxima saltem ex parte, Bellum fuisse profligatum ostendunt tituli *Imperatorii* cum hujus anni *Tribunitiis Potestatibus* frequentissimi, rari autem anni sequentis, siquis fortasse ullus, nec ad Bella hujus anni *Germanicum Dacicumque* referendi. Ostendit etiam, ni fallor, quem hoc anno nullum gessit, sequenti tamen anno sumtus à *Domitiano Consulatus*. Propter *triumphum*, ut videtur, ut illum *insignibus* ornatus duceret *Consularibus*. Belli illa *exitum* indicant, reversumque ante *Kalendas* anni XC. *Januarias*, quibus *Consulatum Romæ* initurus erat, pro recepta *Consulatuum* disciplina, *Domitianum*. Proinde anni LXXXIX. *Kalendæ* erant, quas celebravit hoc in loco *Statius*, *Decembres*. Conveniunt certe satis accurate notæ *Statianæ* omnes. Differt ille in *Kalendas Januarias* secuturas *Phœbum patremi*, *severamque Palladem & Musas*, v. 1, 2, 3. Nempe propter novum Poeticæ Artis usum in *Triumphum* Principis *Consulatumque* eo *mense* ineundum. Addit præterea hoc solum tanta illa festorum *Saturnalitiorum* libertate non licuisse, ut *Domitianum Dominum* appellarent, v. 83, 84. Dederunt quidem

festa ipsa occasionem *Domitianum* ita salutandi. Quod scilicet *servorum* illis maxime *festis* recepta libertas in *Dominos*. Sed vix potuit ille appellationem illam, illis ipsis *festis*, repudiare, si publicis jam *Edictis* titulum illum ipse palam, nec tempore tamen *Saturnalitio*, usurpasset. Atqui usurpaverat sane cum *Edictum* ederet de quatuordecim *Theatri* gradibus Ordini *Equestri* vendicandis. Formam *Edicti* illius docuit nos coævus ipse *Martialis* Lib. V. Ep. 8. *Oceano* scilicet & *Lectio* curam *Theatri* habentibus. Et sane dejectos inde qui ordinem illis falso venditarent, non in illo modo Libro sæpe & sequenti memorat, sed in III. Ep. 95. Emisit quidem Librum illum *Martialis* è *Gallia*. Sed *Romæ* fuerit oportet cum *Edictum* illud *Domitiani* prodiret, & *sedem* ille in Ordinis *Equestris* gradibus, non obstante *Lectio*, capesseret. Ita certum erit, si primis duobus *Martialis* Libris recentior fuerit, at certe primo *Statianarum* Sylvarum Libro antiquiorem fuisse titulum illum *Domitiani*, quo tamen antiquiores fuerint *Kalendæ* illæ *Decembres* à *Statio* hac Sylva celebratæ. Etiam & *panaria* sedentibus in *Theatro* missa à *Domitiano* testatur *Statius*, v. 31. Et *prandiorum* loco *panariola* similiter ab eodem Principe, eodemque *Saturnalium* mense *Decembri* Lib. V. docet *Martialis*. Vix est quod dubitemus idem utrobique *convivium* intelligi. Denique & *Capitolium* nondum, cum illa scriberet, absolutum indicat *Statius*, v. 102. Et diu postea *Capitolium* celebrat *Domitiani Martialis*.

Sylva I. Libri II. paulo antea scripta quam ederetur.

XXXVII. In Libri II. *Sylva* I. nihil est quod tempori à nobis assignato non respondeat. Scripserat illam *Statius recenti* jam illo perditi *Glauciæ vulnere*, ut in Epistola ad Patronum ejus *Atedium Meliorem*, & *Epicedio* ipso significavit,

v. 3. 8.

v. 38. *Duodecim* annos impleverat, v. 124, 125. Imo fere XIII. teſte *Martiali* L. VI. Ep. 28. Itaque natus anno, ut videtur LXXI. *Glaucias*. Inde factum ut Librum ipſum *Meliori* inſcripſerit, ne proinde diu ante Libri Editionem *Epicedion* ſcripſiſſe ſuſpicemur. Patrem antea defleverat, v. 34. *Blæſus* ille quem convenit in inferis *Glaucias*, quando deceſſerit non conſtat. Sed per annos plures obitum *Blæſi* conſtat celebraſſe *Meliorem*. Meminit illius noſter iterum Sylva hujus Libri III. v. 77. Et *Martialis* L. VIII. Ep. 38. Sed cum puerum *amiſſi ſolatia Blæſi* dicit noſter v. 201. colligitur illo circiter tempore amiſſum *Blæſum*, quo ſucceſſit in *Blæſi* amorem *Glaucias*. Sic tamen ut *Blæſi* ipſius non meminerit *puer*, ut ne quidem *pueri Blæſus*. Proinde paulo *poſt* natales *Glauciæ Blæſum* obiiſſe conſentaneum eſt. Cæterum quod *Blæſum* quoque *Meliori* in *deliciis* fuiſſe putant Interpretes, de eo admodum dubito. Illum inter *Auſonios proceres*, *ſeriemque Quirini* reperit *Glaucias* v. 195. Illum *generoſum* appellat ipſe *Statius* v. 191. *magnanimum* Sylv. III. v. 77. Et puerum *Glauciam tollit humo Blæſus*, *magnaque ligat cervice* v. 202. Proinde annis *puerilibus* multo ipſe major. Imo *amicum Blæſum Melioris* vocat *Statius*, v. 200. Non *amaſium*.

Eodem anno & *reliqua* hujus Libri *Sylvæ*.

XXXVIII. *Sylva* II. adeo non pugnat ut mirifice confirmet potius illam quam dedimus, de hujus Libri tempore, *Chronologiam*. Erat hic annus in Patria *Neapolitana* Agoniſticus, v. 6. Et quidem is idem erat Agon qui uno anno præceſſit Templum *Herculis Surrentini* de quo agit *Sylva* ſequentis Libri I. quem quidem III. Librum editum illo anno probavimus qui COS. XVII. *Domitiani* anteceſſit. Ita annum illa XCIII. deſignant ut alteri cuivis plane convenire

non poſſint. Etiam anni tempeſtatem exploratam habemus, menſem ſcilicet *Auguſtum*. Tunc enim ſe apud *Pollium* fuiſſe ſequentis Libri *Sylva* illa ipſe nos docuit. Cum autem ſe *lætum* fuiſſe dicit in illis patriæ ſuæ *Quinquenniis*, v. 6. neſcio annon *victoriam* aliquam ſubinnuat quam fuerit in agone illo conſecutus. In reliquis hujus Libri Sylvis nulla fere nota temporis occurrit. *Flavius* ille *Urſus* in cujus puerum Sylvam VI. ſcripſit *Statius* alius eſt juniorque *Serviano*, & alius, ni fallor, ab eo quoque *Urſo* cujus hortatu *Domitiam* uxorem non occidit, ſed repudiavit, *Domitianus*. *Philetus Urſi* puer XVII. egit, cum moreretur, annum, v. 71, 72. Sic natus fuerit anno Æræ *Chriſtianæ* LXXVI. Et *prima* tamen ejus memoratur *lanugo* v. 44, 45. *nondum obſeſſarum*, ſed *primo micantium floreſ genarum*. Inde confirmantur quæ diximus de *Adoleſcentia imberbi barbataque* in Annalibus *Quintilianeis*. Hanc tamen ætatem fuiſſe teſtatur *Statius* qua certabant *pueri* in agonibus *Olympicis*, & qui diſciplinam *Puerorum* exercebant apud *Lacedæmonios*. v. 45, 46, 47. Unde colligitur adhuc receptam fuiſſe apud *Græcos majorem* illam *Pueritiam*. Librum denique claudit *Genethliacon Lucani* Poetæ, ipſo, ut videtur *Natali* ejus ſcriptum, quem jam adhuc XXX. poſt cædem annis celebravit uxor *Lucani Polla Argentaria*. Natus eſt *Lucanus* IV. Non. *Novembr.* ut proinde hujus anni fine Librum illum oporteat edidiſſe *Statium*. Alia autem erat *Polla* illa *Lucani* à *Pollii Polla* quam celebrat etiam *Statius*. *Lucani Pollam* laudat à *doctrina*, v. 83. Non item illam quæ *uxor* erat *Pollii*. In illa *juvenilem* laudat *gratiam*, Sylv. II. v. 10. Et *nuruum* illam *pulcherrimam* appellat, v. 147. Quæ certe encomia in illam convenire vix poterant cujus maritus cæſus fuerat ante annos XXIX. Alioqui

ſcio

ſcio in novis quoque matrimoniis uxores fuiſse in priorum maritorum memoriam pientiſſimas. Eo nomine *Claudiam* ſuam laudat ipſe *Statius* L. III. Sylv. V. v. 50, 51, 52, 53, 54. Et tamen *Pollæ* etiam *Pollianæ* annos non *virides* fuiſse innuit, L. III. Sylv. I. v. 161. Mediam ergo illius ætatem fuiſse veriſimile eſt. *Puer* ille certe quem *Herculis* ſacerdotem dicit fuiſse *Statius*, cum ſorore *puella*, *Pollii nepotes* erant. *Polla* autem illis non *avia* quidem, ſed *vice* tamen *aviæ*. Ex *Lucano* non fuiſse certum eſt.

Lib. III. *Sylva* I. poſt Id. *Auguſt.* anni XCIV.

XXXIX. III. Libri (quem ad annum retulimus XCIV.) Sylva I. poſt Idus *Auguſti* ſcripta eſt. Illo ipſo ſuperioris anni *die* conſilium de æde *Herculis* reſtauranda ſumſerat *Pollius*. Et *annum* medium agnoſcit, v. 2. Imo *plenum*; *biſſenis* enim conſtabat *menſibus*, v. 18. Imo feſtos in *Herculis* honorem *ludos annuos*, v. 44, 45. 151, 152, 153. Qui cum eſſent *annui*, anno proinde elapſo celebrandi erant. Sed ſtatim, ut viderat, *Herculem* illum *Surrentinum* illis verſibus ſe teſtatur adoraſſe *Statius* Epiſtola *Dedicatoria*. Inde colligitur non multo poſtea fuiſſe ſcriptos.

Iter *Syriacum* ſuſcepit *Metius Celer* anno XCII. antea quam *Thebaidem* ederet *Statius*. Sed *Propempticon Statius* ne *ſcripſit* quidem ante an. XCIV.

XL. II. in *Metii Celeris* Præfecturam *Syriacam* non eo certe *anno* à *Statio* ſcripta eſt quo Iter illud ſuſcepit *Metius*. Cum enim *Metium* dimitteret nondum *Thebaidem Statius* abſolverat, v. 40. 143. quam tamen antequam vel primum *Sylvarum* Librum emitteret, abſolviſſe conſtat atque emiſiſſe. Longe tamen, cum diſcederet *Metius*, non certe abfuit à fine *Thebaidos*. Librum, ni fallor, *ultimum* in manu fuiſſe docet nos ipſe *Statius*, illis verbis:

Aſt ego devictis dederim quæ buſta Pelaſgis,
Quæve laboratas claudat mihi pagina Thebas.

Hæc ille ſe cum *reverſo Metio* communicaturum fore prædicit. Quæ ſcilicet nondum in notitiam diſcedentis venerant, nempe poſt diſceſſum ejus ſcripta. Sed vero XII. Libri, qui idem Operis ultimus eſt, ad Argumentum ſpectant illa cæſorum *Heroum* buſta. Sic anno Operis XII. convenerit diſceſsus ille *Metii*, ſi quidem Libris Operis univerſi ſingulis infra XII. annorum ſpatium confecti annos etiam ſingulos aſſignemus. Imo cum *ultimam* Operis paginam *Metio* ſeſe ſignificaturum pollicetur; duo, ut opinor, indicat: nec *longe* ſe ab ultima Operis pagina abfuiſſe cum eſset in itineris procinctu *Metius*; & *paginam* illam, de qua loquitur, *ultimam* attigiſſe cum *Propempticon* emitteret in *abſentis* honorem *Metii*. Sic anno *Thebaidos* ultimo in finem vergente diſceſserit in Provinciam *Metius*, antea nimirum quam *Sylvarum* Librum *Statius* vel *primum* ederet. Et tamen *Propempticon* poſt illam Editionem ſcripſiſſe certum eſt. *Jam* enim certe conſtabat quæ *Thebas* laboratas *pagina* clauderet. Proinde non eſt cur *Propempticon* antea ſcriptum ſuſpicemur quam in Librum *Sylvarum* III. colligeret ederetque *Statius*. Imo medios *annos* v. 135. uno proinde, ut videtur *plures* fuiſſe innuit ipſe *Statius*, eorumque adeo annorum eventus quos fuiſsent invicem tam *Statius* quam reverſus etiam *Metius* communicaturi. Ne vero hoc miremur, exemplum jam dedimus in Patris *Epicedio*, quod poſt aliquot à *Patris obitu* annos ſcriptum ſimiliter oſtendimus. *Metium*, cum diſcederet, *juvenem* appellat *Statius* Epiſtola quam ad hujus Libri dedit patronum *Pollium*, & v. 6. Erat ergo, ni fallor, legatus

gatus *Domitiani* ad minimum *Prætorius.* Sic annum egreſſus fuerit *Prætoræ* legitimum, ætatis XXX.* Nec *multo* annum illum egreſſus ſi quidem adhuc cum Librum hunc Sylvarum ederet *Statius*, nondum *Juventutem Metius Romanam* abſolverit, quæ erat annorum XXXV. ut alibi oſtendimus. Fuerat præterea *Metius* olim in *Syria puer* adhuc tantummodo. *Notus adhuc tantum majoris munere clavi*, v. 123, 124. Sed nomen *Pueri* paulo laxius uſurpavit hoc in loco *Statius.* Scio quidem *Senatorum* filiis latum clavum mox à toga *virili Auguſtum* conceſſiſſe. Sed *ſagatus* erat, non *togatus* in Provincia *Metius* cum ſtipendia mereret. Proinde *lati clavi* inſignia illa intellexit *Statius*, quæ gerere ſolebant in caſtris *Tribuni laticlavii.* Non ſcilicet primo togæ *virilis* militiæque *tirocinio*, ſed poſt *tertium* ad minimum *ſtipendium*, ætatiſque annum ſaltem XVII. *ſecundo* nimirum *tertiove* Militiæ *Equeſtris* gradu, ut oſtendimus in Annalibus *Velleianis.*

XLI. III. Sylva de obitu agitur *Hetruſci.* Et vero *obitus tempore* ſcriptam fuiſſe colligitur, quod ſitu prorſus eodem atque *ordine* mortem illam cum *noſtro* celebrarit etiam *Martialis.* Proinde hoc anno XCIV. deceſſerit oportet *Hetruſcus.* Scripſit enim hanc Sylvam *Statius* anno ad finem vergente, ut è v. 170, 171. facile colligitur. Tunc ille nimirum cum Bellum *Sarmaticum* qualitercunque confeciſſet *Domitianus.* Imo cum *triumphum* ſibi eo nomine à Senatu delatum novis ad Senatum Reſcriptis repudiaſſet. Cum autem dicit MODO *Sauromatas* à ſe devictos triumpho non dignatum fuiſſe *Domitianum*; innuit profecto *nuperrimas* illas *Domitiani* fuiſſe literas quibus *triumphum* recuſaverat. Paulo ante *reditum* ſuum literas ſuas veriſimile eſt ſcripſiſſe

Deceſſit *Hetruſcus* anno XCIV.

ſiſse *Domitianum*, qui tamen urbem ipſam ingreſſus eſt ſequenti *Januario*. Et quidem de Expeditione *Domitiani* illa Libri, quo *Hetruſcum* deflet, initio ſcribit *Martialis*. Scripſit ergo uterque abſente *Domitiano*. Rogati nimirum, ut videtur, ambo poſt exequias ab *Hetruſco* juniore. Mortuus tamen videtur *Hetruſcus* Pater anni potius *initio*. Sic enim loquitur uterque Poeta quaſi in *Urbe* eſset Princeps cum ageret in exilium *Hetruſcum*, & cum revocaret, filii, ut videtur, Patrem in exilio comitantis, pietate delectatus. Sed *Majo* menſe *Urbe* diſceſſit *Domitianus*, ut alibi oſtendimus. Antea ergo mortuus eſt, ni fallor, *Hetruſcus*. Brevem certe moram inter *exilium Hetruſci* ejuſdemque *reditum* indicat fuiſse *Statius*. *Hoſpes* (inquit) *non exul erat. Nec plura moratus Romuleum reſeras iterum, Germanice, limen.* v. 164, 165. Et *breves* illas dicit fuiſse *Superum iras*, v. 184. Et brevem rurſus moram inter reditum illius obitumque. *Jamque* (ait) *in fine dies.* v. 172. Iterum. v. 185, 186.

Nec frueris, tantique orbatus muneris uſu
Ad manes, ingrate, fugis.

Hallucinantur ergo qui ad *Domitiani* iram illam retulerunt verba *Statii* in *balneum Hetruſci*: (*l*)

Macte, oro, nitenti
Ingenio, curaque, Puer: tecum iſta ſeneſcant,
Et tua jam melius diſcat Fortuna renaſci.

Scripſit illa *Statius* ante finitam, uti dixi, *Thebaidem*, adeoque aliquantiſper antea quam vel primum publicaret Sylvarum Librum, nondum certe

(*l*) L. I. Sylv. V. v. 63, 64, 65.

acto

acto in exilium *Hetruſco.* Poſsuntque ſatis apte, pro Seculi illius uſu, ad alia quæcunque vitæ commoda atque incrementa referri novi illi, de quibus loquitur, *natales.* Satis erat ad ſervandam Allegoriam *lotio* illa *infantium*, ut proinde *elegantior* illa *lavatio* pro Symbolo haberetur *elegantiorum* itidem *natalium.* Et locum ſatis idoneum habebat in *Hetruſco* illud *Statii* votum de *melioribus natalibus*, cum *liberti* filius duntaxat fuerit etiam ille junior *Hetruſcus materna ſtirpe* quam *paterna* longe clarior. Ad *natalium ſordes* (quæ male natis objectari ſolebant) eluendas, referri potuit illud balnei lavacrum. Ita *ſordidam originem* legimus in (*m*) *Suetonio*, & *ſordide natos* in (*n*) Dialogo de *Oratoribus.* Erat autem *Fortuna* cujuſque eadem cum *genio*, præſeſque *Natalium.*

Natus *Hetruſcus* Pater ann. Æræ *Chriſtiana* XXII.

XLII. Cæterum conſtituto *anno* quo *defunctus* eſt *Hetruſcus*, adhuc difficile erit annum ejuſdem deſignare *natalem.* Quot annos vixerit uterque nos docuit, de quo agimus, Poeta coævus, *Statius* noſter atque *Martialis.* Adeo tamen diſcrepanter, ut ægre admodum intelligi poſſit cui fides potius adhibenda ſit. De ejus *ætate* ita *Statius*; v. 146, 147.

Dextra bis octonis fluxerunt ſecula luſtris,
Atque ævi ſine nube tenor.

Nimirum eouſque ſupputat ut ad *exilium* ejus pertigerit, quod *morte* ejuſdem non multo fuiſſe antiquius è *Statio* ipſo jam probavimus. Scio equidem in *luſtri* uſu varium eſſe *Statium.* Legimus in eo *luſtrum annuum.* Legimus & *Elæum* par *Olympiadibus* in *Elide* celebrari ſolitis. Sed *alias* illas fuiſſe à recepta vocis ſignificatione ipſa illa Epitheta

(*m*) *Suet.* Vitell. c. 1. (*n*) Dial. c. 8.

annui Elæique oſtendunt, eo nimirum fine addita ne ſe de uſurpatis vulgo *luſtris* Lector intelligeret. *Luſtri* nomine ſimpliciter accepti, juſtum intelligit cum vulgo *Quinquennium*. Ita *Vicennium* illud quo à *Penelope* aberat *Ulyſſes*, *Statio quatuor* ſunt, non quinque *luſtra*. L. III. Sylv. V. v. 7. Ita *Luſtra* XVI. anni erunt omnino LXXX. Sic juſto fuerit *octennio* longævior *Hetruſcus* quam vult *Martialis*. Sic enim ille : (*o*)

Hic prope ter ſenas vixit Olympiades.

Sic ille nimirum quaſi ne *ter ſenas* illas quidem *Olympiades* integras agnoſceret. Ita ne quidem annum ætatis LXXII. *Hetruſcus* abſolverit, natus ſcilicet anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XXII. vel *affecto*, vel *exeunte*. Fieri quidem poteſt ut *medio* aliquo anno natus fuerit *Hetruſcus*. Si tamen eorum alter accuratus fuerit, Ego *Martiali* me potius favere fateor. Numerum ille non *rotundum* deſignavit, quod fecit *Statius*, ſed juſtis *decennariis* paulo majorem. Tum de illo Lectorem monendum cenſuit ne *annum* plenum intelligeret, ægre certe in *annorum numero* aberraturus, qui de eo ſolicitus fuerit, ne annum numeri *ultimum* Lector *plenum* intelligeret. Denique cum ipſo *Statio* melius convenit *numerus* à *Martiali* quam ab ipſo aſſignatus. Sic enim ille :

Tibereia primum
Aula tibi, vixdum ora nova mutante juventa,
Panditur.

Ætatem ejus, qualis erat ultimis *Tiberii* temporibus videtur deſignaſſe, cum à *Tiberio* manumitteretur.

(*o*) *Mart.* L. VII. Ep. 39.

Alioqui

Alioqui nulla illa fuiſſet *temporis* nota. A *Tiberio* manumiſſum oſtendit nomen gentile *Claudii* quo bis *Hetruſcus* filius à (*p*) *Statio* noſtro inſignitur. Prima autem *juventa* ab ea ætate incipiebat qua *togam* ingenui *virilem* induebant. Et *oris* illa mutatio non ad *barbam* tantummodo ſpectabat, quæ ab anno cœpit, ut oſtendimus, XVIII. ſed à *prima* etiam barbæ *lanugine*. Hæc autem annum, quo *prætexta* exui ſolebat, XIV. proxime excipiebat, ſaltem pro ſententia *Statii*. Spem ille non longinquam juventæ in *Glaucia* celebrat, & *ſpei* nomine *optatum genis honorem*, *juratamque* intellexit *Glauciæ* à *Meliore barbam*, L. II. Sylv. I. v. 52, 53, 54. Ipſum tamen *Glauciam* non amplius fuiſſe quam *tredecim*, cum moreretur, annorum tam nos docet ipſe *Statius* quam *Martialis*. Imo XII. *nuper* impleviſſe indicat *Statius*, v. 124, 125. Reſpondet accurate ætas *Hetruſci*, cum decederet *Tiberius*, annorum XV. pro mente *Martialis*. Idem ille, ſi calculos *Statii* ſequamur, annum egiſſet tunc XXIII. major proinde ætate illa qua *barba prima* reſecari ſolebat, longe certe ab eo *novæ juventæ* limite quæ *vixdum* ejus *ora mutabat*.

Alia ad *Hetruſcum* ſpectantia, eorumque *tempora*.

XLIII. Convenit præterea quod addit *Statius tenuem* illum fuiſſe *Caii comitem in Arctoas uſque pruinas* v. 71. Expeditionem ille *Caii* deſignavit *Germaniam* verſus & *Britanniam* fine anni Epochæ *Chriſtianæ* XXXIX. unde in *Urbem* rediit natali ſuo *Aug.* XXXI. anni ſequentis XL. Nec ſane *tenuem* illum *comitem* alio, ut videtur, nomine appellavit quam propter *tenuem*, quam tunc egerit *ætatem*, annorum ſcilicet *ſeptemdecim*, vel anni ad ſummum XVIII. nuper inchoati. Sed majori

(*p*) *Stat.* Ep. ant. L. I. & ante L. III.

aliquo honore ornavit illum, paulo ante *mortem* fortaſſe, *Claudius*. *Præcipuos actus* appellat *Statius*, v. 76, 77, 78. Utinam munus illud, quale fuerit, expreſſius docuiſſet. Egerit in eo pro indole ſua *Claudius* ſub quo *libertis* tanta legimus indulta. Quod ſi, Imperio *Claudii* exeunte, dignitate illa inſignitus fuerit *Hetruſcus*, annoque adeo Æræ *Chriſtianæ* LIV. ſic anno ſuo ætatis XXXII. vel XXXIII. adeptus fuerit. Denique ſupremum munus *Diſpenſatoris* adeptus eſt *rationibus Imperii* præfectus. Erat enim hoc munus *Procuratorium*, & *libertis* plerunque demandari ſolitum. *Lucem altam* appellat *Statius plenumque fortunæ gradum*. De *tempore* nihil monuit. Puto tamen ſub gente fuiſſe *Flavia*, & quidem initio *Veſpaſiani*. Hoc officio demandato, *uxorem* duxit *Hetruſcam Appii Sabini* COS. *ſororem*, cujus *Conſulatu* primum cœpit *Dacorum* cum *Domitiano* bellum. Ea duos filios edidit, nec longe à matrimonio, v. 121, 122. Et quidem amborum *virides genas* memorat, ut facile intelligamus parvum admodum eorum invicem fuiſſe in *ætate* diſcrimen. Ita certe de illorum *matre* loquitur ut ultra *ſecundum* Matrimonii *annum* diu vix potuerit fuiſſe ſuperſtes. *Mediam* ejus dolet *juventam*, *annos florentes*, ætatis ſcilicet *nubilis*, quem dixi, flore, v. 126, 127. *Funera* ejus dicit *circumvolitaſſe Cupidines*, qui *pennis*, *crinibus*, etiam *pharetris* ignem foverint, v. 131, 132, 133, 134. *Crudorum* ille *immaturorumque funerum* apud Poetas apparatus eſt, quæ etiam *acerba* à Poetis appellantur. Ita nupſerit mater, cum annum expleviſſet ætatis ſuæ XII. natos autem ediderit, alterum anno XIII. alterum XIV. Et *viridem* etiam *juventam* memorat *Martialis*, pro eadem plane forma qua & *viridis ſenectus* cœpta tantummodo intelligitur, & ὠμογέροντες illi appellantur qui *primum* ſenectutis limitem

tem attigerint & quaſi confinium. Incipiebat autem *juventa* in *fœminis* ab anno, quem dixi, ætatis XII. abſoluto. Nec adeo multis poſt ætatem illam annis ſupereſſe potuit uxor *Hetruſci*. Tamdiu certe, antea quam hæc ſcriberet, mortua ut eam nunquam viderit ipſe *Statius*, v. 112. Quamdiu antea deceſſerit rationem aliam, qua colligamus, nullam habemus quam ex ætate *filiorum*. Filios ambos *juvenes* hoc ipſo appellat *Epicedio*. v. 154. Imo *majorem* etiam *fratrem* qui partem in *Exequiis* Patris præcipuam habebat, v. 30. Et plane *Juventutem* illam deſignavit quæ *cœpta* fuerit tantummodo, nec multum abeſſet à finibus *Pueritiæ*. Illam nimirum cujus *virides* eſſent duntaxat *genæ* v. 125. *prima* nimirum *lanugine*, nondum juſta *barba*. Adoleſcentia illa *barbata* ab anno cenſeri ſolebat, uti vidimus, ætatis XVIII. Proinde ætate illa minor erat major etiam è filiis *Hetruſcus*. *Puerum* certe eundem appellat in *balnei* Encomio L. I. Sylv. V. v. 64. Et cum illo tunc agit ut vere *puero*. *Dilecto ſodali laſcivit* ib. v. 9. *verecundo ejus Clio ludebat Etruſco*, v. 14. *Luſum* illum & *laſciviam Puerilis* ætatis fuiſſe manifeſtum eſt. Et *verecundia* illa eſt quam ſolet in veris ætateque *Pueris* celebrare *Statius*. Hæc illa erat *modeſtia præcox*, *Et pudor* L. II. Sylv. I. v. 39, 40. Et *caſtigatæ collecta modeſtia frontis*. v. 43. Et *verecundus decor*, v. 136. in *Glaucia* qui annum ætatis ne quidem XIII. abſolverat. Itaque demus anno quo *balneum Hetruſci* celebravit *Statius* in *Pueritiæ* finibus fuiſſe filium *Hetruſcum* natu *majorem*, paulo nimirum anno ætatis XIV. vel *minorem*, vel *majorem*, anno ſcilicet Æræ noſtræ XCIII. ineunte cum nondum *Thebaidem* expleviſſet. Sic anno hujus III. Libri XCIV. *affecto*, alterum *virilis* togæ annum ingreſſus fuerit, fraterque *minor* primum, ut proinde

ambo *juvenes* potuerint appellari. Sic recte convenient omnia. Sic vere *virides* fuerint utriuſque *genæ*, ut ægre admodum vel *majores* illo anno vel *minores* eſſe potuerint, ſi & illo anno frater major *Puer* fuerit, & hoc tamen anno ambo *juvenes*. Sic natus fuerit major *Hetruſcus* anno Æræ *Chriſtianæ* LXXVIII. ineunte, minor LXXIX. Sic nupſerit *Hetruſca* mater anno LXXVIII. ſub finem *Veſpaſiani*, anno *Hetruſci* Patris LVI. Nata ipſa anno LXVI. ſi quidem *duodecennis* nupſerit, quod nos veriſimillimum eſſe jam probavimus. Nec longe, ut opinor, à vero aberramus.

Aliorum ejus honorum tempora.

XLIV. Addit præterea *Statius* honorem *Hetruſci* alium, ſupra meritum *Natalium*, in triumpho *Veſpaſiani Judaico*, v. 140, 141, 142. Hunc eodem anno fuiſſe oportet, quo erat triumphus ipſe, nimirum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LXX. Addit etiam *genus mutatum*, *lævæ ignobile ferrum exutum*, *natorumque celſe honori æquatum*, 144, 145. *Tempuſque*, quo hæc facta fuerint, ſubjungit, cum Princeps populum in *cuneos* duceret *Equeſtres*, v. 143. Annus (*q*) ille erat Æræ noſtræ LXXIV. quo *Veſpaſianus* V. *Titus* III. COSS. erant, pariterque *Cenſores luſtrum* condiderunt. Sed honor ille quis demum fuerit, nondum ſatis intellexiſſe videntur Interpretes. Fruſtra ſunt qui ad jus retulerunt *trium liberorum*. Nihil illud ad *Cenſuram luſtrumve* attinebat. Ne quidem illi recte, ut exiſtimo, qui ad ordinem retulerint *Equeſtrem*. Erant enim qui *ferreis annulis* uterentur etiam *Equites*, ut è *Plinio* ſeniore conſtat, & pro *cenſus* modo ſuperiorem illum gradum in *Equeſtri* ordine ſortiebantur, ut *annulorum aureorum* jus haberent. Aliud legimus Jus *annuli aurei* in Pandectis, quo concedi à Principe ſolebat

(*q*) *Cenſorin.* c. 18.

libertis

libertis libertiniſve *reſtitutio natalium.* Ita nimirum ut tam plenum Civitatis Jus haberent ac ſi *ingenui* fuiſſent, & non parentes modo, ſed *avos* etiam *cives* ciere poſſent. Hoc certe ab *Hetruſco liberto* maximi faciendum erat, quo *ſervitutis* macula omnis ita penitus delebatur ac ſi nulla unquam penitus fuiſſet. Hæc *generis mutatio,* libertini nimirum in *ingenuum. Genus libertinum* legimus apud *Suetonium.* Hi *celſe nati* qui ad *avos* uſque in civitate fuiſsent *nati.* Sine hoc *aurei annuli* Jure fuiſſet, ut *Hetruſcam*, Conſulis ſororem, & generis adeo (r) *Senatorii,* uxorem *Hetruſcus* habere non poſſet. Hinc certo colligitur nuptias illas, quas nos triennio recentiores oſtendimus, hoc ſaltem anno antiquiores eſſe ne quidem potuiſſe, nec adeo multo majores eſſe potuiſſe quam diximus, creatos illos è matrimonio illo fratres *Hetruſcos* juniores.

Comam *Earini* votivam celebrat *Statius* anno XCV. ineunte.

XLV. Sylva IV. in comam *Earini* huic eidem anno convenit. Nempe profecto in expeditionem *Sarmaticam Domitiano* vota facta ſunt pro *reditu* ejus adulatoria. Inter alios à *Velio* de quo *Martialis* L. IX. Ep. 32. & ab hoc *Earino.* Voveri ſolitos *crines* multa ſunt paſſimque obſervata exempla. Et pro *ſalute* periclitantium voveri ſolitos antiquius erat exemplum in coma *Beronices* quam proinde in *cœlum* receptam finxerant Aſtronomi. Magis autem nemini conveniebat illa pro chariſſimis devotio quam *delicatis* qualis hic erat *Domitiani Earinus.* Majora ſunt quæ de *Hadriani* amaſio feruntur *Antinoo*, non capitis *exuvias* modo, ſed *caput* ipſum *vitamque* illum pro *Hadriano* devoviſſe. Hæc autem *voti* hujus ſi cauſa fuerit, in alium *annum* convenire non potuit quam quo *periculum* adiit *Domitianus.* Et ſane preces *Earini* pro ſalute

(r) Vid. *Lipſ.* Digreſſ. ad *Tacit.* Ann. III. 25.

Domitiani

Domitiani hæc dona offerentis repræſentat *Statius* v. 99. &c. Proinde certum eſt de *Domitiani ſalute* cogitaſſe, cum *capillos* ſuos voveret *Æſculapio* ſuo *Pergameno.* Nec *morbi* periculum ullum *Domitiani* memorant his temporibus Hiſtorici, à *medico* Numine ſanandi. Imo *patrio* domeſticoque numini, cui fuerit olim *Earinus* in Pueritia ſacerdos, *Domitianum* commendavit. Intereſt autem an *ſalutem Domitiani* tantummodo, an *ſalvum* etiam *reditum* in *voto* fuerit complexus. Intereſt, inquam, quod ad *tempus* attinebat, quo *voti* erat damnandus. Si pro *ſalute* ſola votum fecerit, Bello profligato, cum defunctus eſset *Domitianus* eo, quod adibat, periculo, mox *votum* ſolvere oportebat *Earinum.* Sin etiam pro *reditu*, ita non ante *menſem* anni ſequentis *Januarium* quo rediit in Urbem *Domitianus*, comam ſummiſerit miſeritque votivam *Earinus* ad deum patrium *Æſculapium.* Tunc certe, cum mittebat indicat ſe ſcripſiſſe *Statius* Ep. ad *Pollium* Dedicatoria. *Scit* (de *Earino* inquit) *quamdiu deſiderium ejus moratus ſim, cum petiiſſet ut capillos ſuos, quos cum gemmata pyxide, & ſpeculo ad Pergamenum Aſclepium* MITTEBAT, *verſibus dedicarem.* Reditum certe præſtolabatur *Martialis* ille *Velius* antea quam *votum* ſolveret. Et vota pleraque pro Principibus in Expeditione verſantibus *Fortunæ Reduci* concepta fuiſſe, numi indicant. Sic anni ſequentis initio hanc Sylvam ſcripſerit, Librumque adeo ediderit *Statius*, cujus tamen pleraque ad annum XCIV. recte retulimus.

De ætate *Earini.*

XLVI. *Earinum* ipſum dicit nunc *juvenem* fuiſſe, & ſi *tardius* fuiſſet *natus* (cum ſcilicet *Domitianus* mares *caſtrari* prohibebat) Adoleſcentia futurum barbata, *umbratum* ſcilicet *genas adultumque*, nec unum adeo munus ad ſuum miſſurum eſſe *Æſculapium*, ſed

ſed cum *coma* etiam *barbam*, v. 78, 79, 80. Inde colligimus *ætate* illum fuiſſe qua *prima* ſolebat tonderi *barba*, annorum ſcilicet XXI. Sic natus fuerit anno LXXIV. ineunte. Caſtratus *Romæ*, *ne prima genas lanugo nitentes Carperet, & pulchræ fuſcaret gratia formæ*, v. 65, 66. Itaque *ætate* ea qua jam *prima* ſolebat expectari *lanugo*, ætatis omnino XIV. Æræ noſtræ LXXXVIII. Cum ſcilicet nondum caſtrationes vetuiſſet *Domitianus*, v. 73, 74. Itaque nondum illo anno *Caſtrationes* vetuerat. Vetuit tamen non multo poſtea. Hujus Edicti mentionem diſertam legimus in *Martialis* L. VI. Ep. 2. Qui quidem Liber cum primis fere concurrebat *Statii* noſtri *Sylvis*. Jungit autem *Martialis* hanc Legem eodem Libro cum Legibus aliis *Domitiani* de *Adulteriis*, *Julia* nimirum atque *Scantinia*, ut è (*ſ*) *Juvenali* diſcimus. Harum certe Legum mentionem habet (*t*) *Martialis* adeo frequentem, ut vix credibile ſit quin eodem tempore earum meminerit quo ſunt à *Domitiano* conditæ. Sic erunt in Libri V. tempora referendæ, quippe quo prima illius Legis occurrit memoria. Satis equidem, ni fallor, apte & idonee. Dicit (*u*) *Juvenalis* tunc Leges illas à *Domitiano* fuiſſe revocatas cum neptis *Domitiani Julia* abortus faceret, & patruo ſimiles offas effunderet. Inde intelligimus paulo ante mortem *Juliæ* editas illas fuiſſe Leges, cum nempe ex abortibus illis ipſa deceſſerit. Et quidem hoc ipſo Libro VI. *Juliæ* ita meminit quaſi nuper defunctæ. Partum ſperabat, ut videtur, è *Domitia*, ipſamque *Juliam* ei fauturam ominatur, Ep. 3. Inde facile colligitur, nec *Juliæ* ipſius illum potuiſſe fuiſſe partum, nec illam in vivis amplius fuiſſe, cum auxilium infanti humano majus ab

(*ſ*) *Juv.* Sat. II. v. 37. 44. (*t*) *Mart.* L. V. Ep. 76. VI. 2. 4. 7. 22. 45. 90, 91. (*u*) *Juv.* Sat. II. v. 30, 31, 32, 33.

illa ſpondeat atque polliceatur. Et ſtatua *Juliæ* à *Martiali* Ep. 13. celebrata eam non ita pridem *defunctam* indicat. Ita concurret Lex illa *Domitiani* cum anno XCI. quo *Juliam* deceſſiſſe (*x*) jam oſtendimus, atque in eundem adeo annum conveniet Liber ille *Martialis* V. Addit præterea *Dio* tunc latam eſſe à *Domitiano*, in odium *Titi* fratris illam de *caſtrandis maribus* legem, cum ipſe nihilominus *Earino* jam *caſtrato* frueretur. Hæc *Dio* è coævorum proculdubio ſententia qui illo ipſo nomine Legem *Domitiani* carpſerint. Itaque ut *Puerili* ætate major, ita certe *exoletorum* ætate minor, cum Lex illa ederetur, fuerit *Earinus*. *Hirco* ſaltem quem ab anno XVIII. deducunt Veteres, in maribus nondum violatis. Sed Legum illarum de *caſtitate* prima erat, ni fallor, antiquiſſimaque illa de *maribus caſtrandis*. Ut ab illa demum ad *Juliam Scantiniamque* progreſſum fecerit *Domitianus*. Ejus certe habemus etiam in Libro II. Ep. 60. mentionem diſertiſſimam. Eritque adeo in annum à Libri I. Editione proximum, XC. nimirum conferenda. Sic incidet in annum *Earini* XVI. Lex illa *Domitiani*. Fueritque adeo fœdis illis libidinibus idoneus ipſe *Earinus*. Nec enim eſt quod ætatem illam in illis miremur qui eo ipſo conſilio caſtrati fuerant quo florem ætatis, paulo quam alioqui futurus erat, diutius illibatum integrumque protraherent.

Anno XCV. L. III. Sylva ultima ſcripta.

XLVII. Sylvam ultimam ad *Claudiam* uxorem de *Seceſſu*, ſi quidem eo ordine ſcripſerit quo eam in Libro diſpoſuit, *ſequentis* anni *initio* ſcriptam fuiſſe conſentaneum eſt. Hoc certum eſt, poſt menſem *Auguſtum*, quo *Herculem Pollii Surrentinum* adoravit *Statius* Sylva I. aliquantiſper ſcriptam eſ-

(*x*) Ann. *Quintilian.* §. 24.

ſe.

ſe. Tunc enim ab exemplo *Pollii* ſecedendi conſilium ſuſcepit. Ego & *morbum* illum quem hic commemorat, quo erat de ſalute ejus fere conclamatum, in medio illo ſpatio fuiſſe arbitror. *Nuper* illum certe fuiſſe teſtatur cum *Seceſſum* meditaretur, uxoremque *Claudiam* ad illum hortaretur, v. 37. Proximam illam ante Epiſtolam ſcripſiſſe videtur. Sic enim de *Seceſſu* ſuo in illa ipſa ſua loquitur *Epiſtola* quaſi adhuc deſtinatus tantummodo, nondum autem peractus fuerit. Sic enim ſuum *Pollium* compellat: *Huic præcipue Libro favebis, cum ſcias hanc deſtinationem quietis meæ tibi maxime intendere: meque non tam in patriam, quam ad te ſecedere.* Nondum ſe *ſeceſſiſſe* dicit, ſed *ſecedere*; nec *intendiſſe Pollio* ipſam illam Seceſſus *deſtinationem*, ſed duntaxat *intendere*. Nondum *Pollio* finis ædificiorum, v. 103. poſt Templum *Herculis*, poſt *Porticum* &c. Magnum ergo intervallum eſſe vix potuit. *Claudiæ* autem Hiſtoriam quam habemus omnem ſupra ſuis temporibus, pro virili noſtra, aſſignavimus.

IV. Libri Sylvas tres priores menſe, ut videtur, *Januario* ſcripſit *Statius.*

XLVIII. IV. Libri Sylvæ tres priores de ipſo agunt *Domitiano* non longo admodum, ut videtur, intervallo invicem diſſitæ. I. de COS. ejus XVII. *Reditui* ejus, quem menſe *Januario* fuiſſe docuit *Martialis*, paravit *Statius*. De COS. *numero* non ex *Inſcriptione* ſola, ſed ex ipſa quoque *Sylva* conſtat, v. 1, 2. Id quoque manifeſtum eſt *Conſulatum* illum poſt *requiem* fuiſſe, v. 9. Et plane *novum*, v. 8. poſt *unum* ſaltem *annum* quo *COS.* ipſe *non* fuerit, v. 27. quo ſcilicet *gaudia* Conſulatuum *continua abruperat*, v. 20, 21. quo nempe *Curia Cæſareum recuſandi* Conſulatus *pudorem* non *vicerat*, v. 10. poſt *Pacem* menſi *Januario* vicinam, v. 13. ab expeditione ſuperioris anni *Sarmatica.*

Imo *triumphum* non *permiſſum* innuit, v. 39. Propterea videlicet quod *triumphi* loco *laurum* duntaxat in ſinum *Jovis Capitolini* deponendam è Victoria *Sarmatica* reportarit. Ita certum eſt rectè à nobis ſuperiori anno aſſignatam fuiſſe Expeditionem illam *Domitiani Sarmaticam*. Hæc menſi ſuo *Januario* aſſerit *Janus* ipſe menſis præſes. Sequitur *Euchariſticon* de *Epulis* ejuſdem *Domitiani* in quibus ipſe conviva erat *Statius*, nec ipſis (ut opinor) à menſe *Januario*, Principiſque nondum exuto *Conſulatu*, ſemovendis. Sic enim poſt Expeditionem *Dacicam* II. erant *Epulæ* quoque illæ *Saturnales*, de quibus noſter L. I. Sylv. VI. ut è *Dione* collegimus. Et ad *Conſulatus* ſplendorem oſtentandam maxime faciebant. Aderat convivio ipſe *Domitianus*. Ita autem illum cum *Diis Heroibuſque* poſt pericula *reverſis* confert *Statius*, v. 46, 47, 48, 49, 50, 51. ut facile intelligamus ab Expeditione aliqua *Bellica* reverſum *convivia* etiam illa edidiſſe *Domitianum*. Imo hic etiam ut ſæpe *novo Janum lictore ſalutaret optat Statius*, v. 61. Unde profecto manifeſtum eſt & *Conſulatu* illius, & Conſulatus *menſe Januario*, hoc *Domitiani* fuiſſe *convivium*. Nec multo recentiorem III. fuiſſe Sylvam, verba, ni fallor, illa docent:

Sed qui limina bellicoſa Jani
Juſtis legibus, & foro coronat.

Illa enim menſe *Januario* feciſſe *Domitianum*, è Sylv. II. v. 15. conſtat. Et plane ad ornandam nuperam ſuperioris anni *victoriam* ſpectabat illa quoque *viæ Domitianeæ* dedicatio. Inde in ponte quo trajiciebatur *Vultumnus* arcum memorat *belligeri ducis tropæis inſignem*, v. 98. Et *nivalem Arcton* illi *juraviſſe*, docet ibidem *Sibylla*, v. 153. Sed neſcio

neſcio quem rerum novarum *metum* in *Oriente* hoc anno ineunte ſæpe ſubinnuit (*y*) *Statius*, vel *ſpem* potius *victoriæ*. Nullum habemus, quod quidem ſciamus, Hiſtoricum qui ſub finem *Domitiani* ullos referat in *Oriente* motus.

Hoc anno cœpta *Achilleis* poſt menſ. *Julium*. *Septim. Severus* & *Marcellus Victorius Statio* ſub Patre *condiſcipuli*.

XLIX. De Sylvæ IV. *tempore* ſupra diximus, hoc proinde in loco minime repetenda. Menſe *Julio* ſcriptam oſtendimus. Hoc tamen in Hiſtoria *Statii* obſervatu dignum, jam illum in *Seceſſu* fuiſſe ſuo *Neapolitano*. Nec multo ut videtur antea. Poetice certe otium illud fuiſſe dicatum ipſe nos docet. Hic itaque *Achilleidem* aggreſſus eſt. Sed vero cum Epiſtolam ad *Marcellum* daret *Victorium*, menſe, ut dixi, hujus anni *Julio*, meditabatur quidem *Achilleidem*, vixdum tamen adhuc manum Operi ſerio *admoverat*. Imo *Marcellum* ſuum *conſulit*, illumne potius, an *Domitianum* caneret, v. 95. &c. Ipſa illa conſultatio illius erat qui *nondum* Opus cogitatum *inceperat*. Proinde *tentatam* dicit, non *cœptam*, ſuam *Achilleidem*, v. 94. Convenit quod poſt aliquot deinde menſes ſcribit Sylv. VII. ad *Maximum Junium*:

primis meus ecce metis
Hæret Achilles.

Si tunc primis in *metis*, jam certe menſe illius anni *Julio*, ne in metis quidem. Et ſane *dubium* ſe fuiſſe, *Achillem* an *Domitianum* celebraret, ipſo initio agnoſcit *Achilleidis*. *Seceſſum* ergo antea cogitatum in hujus anni *Vernalem* tempeſtatem itineribus opportunam diſtulit. Proximam certe Sylvam V. *Vere* ſcripſit *Statius*, cum *trux ad Arctos Par-*

(*y*) *Stat.* L. III. Sylv. IV. v. 62, 63. L. IV. Sylv. I. v. 40, 41, 42. Sylv. III. v. 154. Sylv. IV. v. 30, 31. 63, 64.

rhasias hyems conceſſiſſet altis obruta ſolibus, Cum pontus ac tellus reniderent, Cum Zephyris Aquilo refrangeretur, Cum cuncta VERIS *frondibus annuis Criniretur arbos, Cum volucrum novi eſſent Queſtus, inexpertumque carmen quod tacita ſtatuere bruma.* v. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Tunc autem in villa ſua erat *Albana* v. 1, 2. Vix eſt quod dubitemus *Ver* hoc ejuſdem eſſe anni cujus etiam *æſtatem* ſupra memoratam. Ita exemplum habebimus ordinis *temporarii* à *Statio* minime obſervati. Nempe quoad *menſes*. Non tamen illud obſtabit quo minus *Librorum* ordo ab eo obſervatus fuerit. Ut ſcilicet *Librorum ſequentium* Sylvæ poſt *Libros ſuperiores* ſcriptæ fuerint. Nec obſtat etiam quo minus ejuſdem quoque Libri Sylvæ pro *temporis* ordine ab eo fuerint plerunque diſpoſitæ. Ita rem ſe habere, maxima ſaltem ex parte, ex noſtris hactenus conſtat Obſervationibus. Erat ille quidem tunc in *villa* ſua, cum ad *Septimium Severum* ſcriberet, *Albana*. Sic tamen ut *patriam* agnoſceret ipſa illa *villa* ſibi chariorem. Sic enim ille : v. 21. &c.

Sed terra primis, poſt PATRIAM, *mihi*
Dilecta curis. Huic mea carmina
Regina bellorum Virago
Cæſareo peraravit auro,
Cum tu ſodalis dulce periculum
Conniſus omni pectore tolleres,
Ut Caſtor ad cunctos tremebat
Bebryciæ ſtrepitus arenæ.

Locum integrum deſcripſi ut explicarem difficilem ſane, necdum intellectum ab Interpretibus. Pro voce *peraravit* reponunt MSS. *peramavit*. Nullo ſenſu. Crediderim Ego *Statium* ſcripſiſſe *perarrhavit*. Quod *auro Cæſareo* quaſi *arrha* quadam *nuptiali*, vel

vel *lege pignoratitia*, loco illi devinctus fuerit. Admodum eleganter. *Carmina* ſua, cum primo Poeticam profiteretur, pro *ſponſa* habet, cujus illa *arrha* fuerit, vel Carminum nomine ipſam potius Carminum conditricem *Poeticam*. Et *locum* quoque ipſum in quo vicerit. Inde factum innuit ut ſe tam ægre inde divelli pateretur, quaſi vinculo quodam irretitus *conjugali*. *Minervam* autem *arrhæ ſequeſtrem* facit, quod ipſi dicati fuerint *Albani* illi ludi in quibus victor *Statius* fuerit à *Domitiano Cæſareo* illo *auro* inſignitus. *Patriam* ergo cogitaſſe videtur licet aliquantiſper in *villa* illa ſua poſt Patriam chara, detineretur. Porro notanda ſunt verba illa *Statii* de *Septimio* hoc *Severo* ad *Marcellum* ſuum: *Proximum eſt Lyricum Carmen ad Septimium Severum, juvenem (uti ſcis) inter ornatiſſimos ſecundi Ordinis, tuum quidem etiam condiſcipulum, ſed mihi contra hoc quoque jus, arctiſſime carum.* Agnoſcit illum hoc nomine ſibi *carum* quod *Marcelli Victorii condiſcipulus* fuerit. Agnoſcit etiam *jus* cur hoc nomine ſibi carus eſſe debuerit, quamvis jus aliud haberet *arctiſſimæ* familiaritatis, quod Juri illi non tam opponit, quam contendit. Innuit, ni fallor, *utrumque* fuiſſe *Patris* ſui *Papinii diſcipulum*, cujus tot nobiles diſcipulos fuiſſe alibi teſtatur. Sic merito *carum* illum fecerit *Statio* noſtro *Marcelli* quoque *Victorii* ille *condiſcipulatus*.

L. VI. in *Nonii Vindicis Herculem Epitrapezion* Sylvæ occaſio *Sylva ipſa* aliquanto antiquior erat, ut jam in Patris *Epicedio* alibique obſervavimus. *Brumalem* fuiſſe dicit quam cum *Nonio Vindice* egerit *noctem*, v. 13. Superioris anni nimirum exeuntis, vel hujus ineuntis. Cum tamen ſcriberet, ita loquitur, quaſi rem *olim* geſtam è diutina repeteret memoria. Id innuunt verba illa, v. 4, 5. *hæc*

Sylva VI. *hyeme* nondum finita, antequam *Roma* diſcederet *Statius*.

hæc imos animi perlapſa receſſus
Inconſumpta manet.

Cœna erat illa *Vindicis* quam ſe teſtatur rapuiſſe *Statius*, v. 3. Erat nimirum *Statius* unus è *Vindicis clientibus*. Mutaveratque jam *Domitianus ſportulas* clientibus dari ſolitas in *cœnas rectas*. *Tempus*, ni fallor, mutatarum ſportularum è *Martiali* colligemus L. III. Ep. 7. Sic ibi *ſportulis* opponit *Salaria Martialis*, ut *Salariis* oppoſuit *cibaria* (z) *Suetonius*. Ita nimirum ut utrobique in *Patronorum* lucrum, non *clientium*, cederent tam *ſportulæ* quam *cibaria*. Certe cum *centum* illi *miſelli quadrantes* clientibus pro quotidianis ſalutationum officiis ſolverentur, cibos tamen in *ſpecie* jam paratos qui tantundem valerent, potius quam numos ipſos illis aſſignatos fuiſſe conſtat è (a) *Juvenali*. Majus fuiſſe *cœnæ rectæ* pretium videtur, ut proinde *Clientium* potius quam *Patronorum* gratiam captarit lege illa *Domitianus*. Ita *tempus* quo *Sylvam* illam ſcripſit *Statius* ſatis apte conveniet cum *loco* quo eam in Libri ordine diſpoſuit. *Romæ* enim fuit cum *cœnam* illam *Vindicis hyeme* perciperet. In *villa* deinde *Albana Vere*. Tum denique menſe *Julio* in *Seceſſu* patrio *Neapolitano*. Porro *Veſtinum* morientem viderat *Nonius Vindex* ipſe *ætate* ſua tum *florente*, v. 93, 94. Is *Conſulatu* ſuo juſſu *Neronis* eſt occiſus anno Æræ *Chriſtianæ* LXV. Sic annum egerit *Nonius Vindex* præter propter, cum hæc ſcriberet *Statius*, LX. Serius aliquanto *Herculem* hunc *Epitrapezium* vidit celebravitque *Martialis* L. IX. Ep. 44, 45. Ait *Statius* talem fuiſſe in hac imagine *Herculem* qualis fuerat in hoſpitio *Molor-*

(z) *Suet.* Tib. c. 46. (a) Juv. Sat. III. v. 249, 250. &c.

chi,

chi, v. 51. Sic etiam *Martialis* v. 13. Similia etiam communia legimus in luctu *Hetruſci* ab utroque Poeta ſenſibus fere iiſdem celebrato. Proinde *Statii* ſcripta videtur legiſſe *Martialis*. Sed annis ille provectior juveni *Statio*, cujus nullus unquam meminit, *invidiſſe* creditur. Idque fortaſſe non immerito.

Sylva VII. *Juniique Maximi* tempora.

LI. VII. Sylvæ notæ omnes *tempori* ſatis accurate conveniunt. *Thebaidem* jam abſolverat, v. 7, 8. Nec amplius de ea metuit, ut in Libri I. Epiſtola Dedicatoria. Imo *fidentius* jam cum *Maroniano* etiam Opere contendit. v. 25, 26, 27. Expertus jam aliquanto temporis ſpatio propitios in ſe benevoloſque Lectorum animos. Imo *Achilleidem* jam *cœperat* quidem, v. 1, 2, 3. Sic tamen ut in *primis* adhuc illius hæreret *metis* v. 23, 24. Jam in *Seceſſu* erat patrio v. 17, 18. Filium *Maximo* abſenti natum, cum ſcriberet ipſe, gratulatur, v. 30, 31, 32. Proinde ſuperioris anni, ut videtur, fine in Provinciam *Dalmatiam* conceſſerat ipſe *Maximus*. Sic potuit *reditum* illius (quod hic facit noſter v. 13, 14.) vovere & optare, ſi partem *anni* ſaltem *majorem* in Provincia abſolviſſet. Erat autem *Junius* ille *Maximus* amicus *Statii*, (quantum ex honoribus ejus à *Statio* memoratis judicare licet) ætate plane *juvenili*. Patrem illius, infantis autem avum cum *Domitiano* fuiſſe in Bello *Sarmatico* teſtatur, v. 49, 50, 51, 52. Quod quidem Bellum nos jam hactenus anni ſuperioris XCIV. fini aſſignavimus. Erat ergo *Pater* etiam illius anno ſuperiori *ætate* adhuc *militari*. Et Præfecturas alias ipſius *Maximi* expeditione ejus *Dalmatica* antiquiores nullas habet *Statius*, præterquam *Alæ*, v. 45, 46, 47. quam Nos mediæ *Equeſtri Militiæ*, pro nuperrima *Claudii* diſpoſitione, aſſignandam oſtendimus in Annalibus

noſtris *Velleianis*. Primi enim Equeſtris Militiæ gradus rara fuiſſe geſta ibidem vidimus, quod *honorarius* plerunque fuerit, & ſtudiis plerunque domeſticis *Legum* atque *Oratoriæ*, Legibus ipſis conniventibus addictus. *Alæ* autem *Præfecturam* illam (ſi quidem *tirocinium* primo quoque tempore legitimo inierit) abſolvere potuit ætatis anno XIX. illoque adeo anno è *Syria* redire. Erat autem *Romæ* certe *Maximus* cum eo *fido monitore* uteretur in *Thebaide* accuranda *Statius*, v. 25, 26. Paulo nimirum antea quam ederetur. Et ne quidem, cum ederetur, longe illum abfuiſſe exinde colligimus quod (*b*) Epiſtolam ad illum de ipſa illius Editione *Statius* publicarit. Redierit ergo anno ſuperiori XCIV. uxoremque duxerit. Sic anno XCII. militiam illam *Alæ*, quæ *biennis* erat, inceperit, & recte adeo geſta illius avi geſtis *Maximi* filio æmulanda proponit *Statius*. Sic annum jam ætatis XX. hoc anno impleverit, cum jam *tertium* ſuſcepiſſet Militiæ Equeſtris *gradum*, *Tribunatum* ſcilicet *Legionis in Dalmatia*. Sic denique natus fuerit anno Æræ noſtræ LXXV. Nec multo antea natum exiſtimo. Scripſerat autem hac ætate *Maximus* Hiſtoriam, v. 54, 55. qua Eloquentiam ſuam *Statio* teſtatam fecerat, ut ex Epiſtola conſtat ad *Marcellum* Dedicatoria.

LII. VIII. *Sylva* qua anni *tempeſtate* ſcripta fuerit, notam in *ipſa* habemus plane nullam. Ex *ordine* tamen intelligimus fortaſſe paulo menſem illius anni præceſſiſſe *Decembrem*. Illud manifeſtum jam adhuc illum in *Seceſſu* fuiſſe *Neapolitano*. *Julio Menecrati Pollii ſui* (in Epiſtola inquit Dedicatoria) *genero tertiam gratulatur prolem*. *Duas*

Julius Menecrates Pater nepotis neptiſque *Pollii* alibi memoratorum. *Pollia* non *ſocrus* ejus, ſed in ſocrus *locum affectumque* ſucceſſerat.

(*b*) Ep. Ded. ad *Marcell.*

jam

jam antea legeramus in Libri ſuperioris Sylva I. *nepotem* alterum, alteram *neptem* ejuſdem *Pollii*, & quidem *nepotem* Sacerdotio *Herculis* ornatum, quas adeo *Julii* hujus *Menecratis* fuiſſe intelligimus. Plane invicem reſpondent. Hic enim etiam *trium Menecratis* liberorum duos *filios*, tertiam *filiam* agnoſcit. Horum *Pollium avum maternum* appellat. *Polla ſibi genitos putabat*, v. 13. Nec *mater* ergo, nec *avia* illorum erat ipſa *Polla*. Sed ſi *aviam propriam* habuiſſent *infantes* illi, non certe *Pollæ* quæ illos ſibi genitos duntaxat *putabat*, ſed *aviæ* potius quæ ſibi genitos vere *noverat*, illud fuiſſet officium. Proinde veriſimile eſt *defunctam* eſſe infantum *aviam*, in cujus locum cum ſucceſſiſſet *Polla*, inde factum ut *aviæ* perſonam in ſe ſuſciperet, eoque *affectum* in illos minime *novercalem* oſtenderit, quod illos ſibi *genitos putarit*. Unum id obſtare fortaſſe videbitur, quod *Pollæ* nomen *familiam* eandem cum viro *Pollio* indicare videatur. Nec enim mutabant *Romanæ* nomina in matrimoniis, quod faciunt *noſtræ*, ſed *avita* adhuc retinebant. Sed plane aliud erat nomen *Pollæ* nomen atque *Pollii*. *Polla cognomen* eſt, *Pollius nomen gentile* novum, ab illo ipſo cognomine *formatum*. Sic à cognomine *Quinctilii* formatum gentile *Quinctilii*. Exempla paſſim obvia ſunt. *Pollus* autem idem erat antiquitus quod *Paullus*, ſic enim concipi olim ſolebat cum litera l geminata. Et *Polla* adeo eadem cum *Paulla*. Sunt enim diphthongi illius in o mutatæ exempla apud veteres frequentiſſima. Sic *caudex* poſtea *codex*, *Claudius* poſtea *Clodius*. Plane pro arbitrio utentium. Cum enim *P. Clodius Pulcher Ciceronis* hoſtis infenſiſſimus, cum fratre ejus & ſororibus *Clodii* appellarentur ab illius, ut videtur, *Patre*; erant tamen etiamnum in gente *Claudia* alii qui veteri modo *Gentile* nomen diphthongo conciperent,

modumque illum concipiendi ad *posterōs* etiam deduxerint. Nihil ergo obstat quo minus *Polla* uxor *Pollii* esse potuerit.

Liberorum Julii Menecratis, *ipsiusque* anni *natales.*

LIII. Porro liberos illos *Menecratis* singulis annis singulos natos existimo, annis nimirum XCIII. XCIV. XCV. Media illorum *filia* erat, quæ proinde fratre majore uno saltem anno minor erat. Duobus autem annis illo minor esse non poterat. *Citius* enim illam *nepotes daturam* ait *Statius* v. 27. Propter *pubertatem* scilicet in partibus *fœmellis* quam in *maribus* maturiorem. Sed *duorum* duntaxat annorum erat illud in *fœminarum mariumque* Pubertate discrimen. Quod scilicet *mares* matrimonium anno ætatis XIV. *fœminæ* XII. inirent. *Citius* ergo datura nepotes fratre proinde *biennio* integro junior esse non potuit. Idem ille frater *major* Sacerdos *Herculis* est factus. *Æde* nimirum illa quam restauravit avus *Pollius*, in *villa* sua *Surrentina* dedicavitque Idibus *Augusti* anni XCIV. ut jam supra probavimus. *Similem* autem *puerum*, cum *Sacerdos* fieret, *Herculi* ipsi dicit fuisse *Statius* cum *serpentes* strangularet sibi à *Junone* immissos, Lib. III. Sylv. I. v. 46, 47, 48. In *cunis* tunc *Hercules* fuisse fertur. Ita sequitur *similem* illi *puerum* anno majorem multo esse non potuisse. Sic illum anno XCIII. natum oportet. *Minimum* autem hoc anno XCV. natum, è Libri in quo *natalis* ejus à *Statio* celebratur, temporibus facile colligitur. Sic *filiam Pollii uxorem Menecrates* post annum Æræ receptæ XCII. ducere non potuit. Nec sane multo *antea* duxisse verisimile est. *Juvenem* illum aliquoties appellat *Statius* tam in Epistola Libri *Dedicatoria* quam in hac ipsa etiam *Sylva* v. 14. 32. Sed ea, ut videtur, *Juventute*, quæ ne quidem *Statianæ* par esset. *Honores* ejus

nullos

nullos memorat, quibus tamen illum *parem* ſupponit, *Senatorios*. Imo ne *militiam* quidem ullam *Equeſtrem*, rebus *geſtis* inſignem. Solet ille tamen à *rebus* Parentum *honoribuſque* geſtis *filiorum* ſtudia æmula provocare, ne quidem neglectis (ut in *Junio Maximo* modo vidimus) his ipſis *Equeſtris Militiæ* Præfecturis atque Tribunatibus. Sed *Patris mores* duntaxat filiis commendat imitandos, v. 57, 58. *geſta* proculdubio, ſiqua fuiſſent, additurus. Ad eundem plane modum quo & avi *Pollii mores* ſimiliter commendat qui in otio vixit & ſeceſſu, à *rebus* ipſe gerendis alieniſſimus, pro Sectæ placitis, quam tuebatur, *Epicureæ*. Quod ergo in *Patre* deerat, id ſibi *Statius* ſupplendum duxit ab *avunculo*. Illius *honorem* aliquem refert, ſed talem illum ut *primæ Juventuti* poſſit, pro *Romanorum* diſciplina, convenire. *Haſta* illum *Libyca præſignem* fuiſſe dicit. v. 12. *Haſta* illa *militaris* intelligi non poteſt in *Juvene Senatorii* ſaltem *ordinis* & *familiæ*, quaſi nimirum ipſe meruerit inter *haſtatos*. Melius *haſtam centumviralem*, ni fallor, in *Colonia* aliqua, quæ multæ in *Africa* erant, intelligemus. *Judices* enim fieri ſolebant familiarum etiam *Senatoriarum Adoleſcentes* anno, ut alibi vidimus, ætatis XVIII. Plane eo ſpectant hæc omnia ut *patrem* puerorum *Julium Menecratem*, in *prima* adhuc honoraria Militia & immuni fuiſſe ſuſpicemur, quæ anno *ætatis* terminari ſolebat XVII. Sic ille *uxorem* duxerit *Pubertate* ſua prima, anno nimirum ætatis ſuæ XIV. *biennium* ita in honoribus *Senatoriis* ambiendis, pro *liberorum jure*, lucraturus. Inde factum ut *trium liberorum jus*, jam etiam *ante liberos*, illi conceſſerit *Domitianus*, v. 20, 21, 22. Vix enim potuit Jus illud ab aliis impetrari quam ab iis qui jam antea operam dederant, inito *prima Pubertate* matrimonio, ne ſua aliqua culpa

contingeret ut *tres liberos* non haberent infra limitem à lege conſtitutum. Illo certe Argumento Jus illud à *Trajano* impetrat (*c*) *Plinius*, quod matrimoniorum non neglectu, ſed infelicitate ſit factum ut numerum illum liberorum à lege requiſitum ipſe non compleverit. Hac ſcilicet ætate *Juvenes* cenſet *Statius*, dum non *Senibus* illos, ſed *ſibi* & *coævis* opponit, qui *Juventutis* limitem ultimum attigerant. Sic *natus* fuerit *Julius Menecrates* ipſe anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LXXVIII.

Plotius Grypus à *Statio* memoratus alius ab eo cujus meminit *Tacitus*.

LIV. Librum pariter annumque claudit Sylva IX. in *Plotium Grypum* vel *Gryphum*, menſe *Decembri Saturnalitio* ſcripta. *Temporum* rationem nullam habuerunt qui eundem hunc cum illo, cujus meminit *Tacitus* in *Hiſtoriis*, crediderunt. *Illum* dicit (*d*) *Tacitus* à *Veſpaſiano* in *Senatorium* ordinem additum anno Æræ noſtræ LXIX. Proximo anno (*e*) *Prætorem* refert in locum *Tertii Juliani*, qui tranſgredientem in partes *Veſpaſiani* legionem deſeruerat, ſuffectum. Illum, cum *Prætor* factus eſt, annum egiſſe oportet ad minimum XXX. Potuit multo eſſe *major*, non ſtirpe ortus *Senatoria*, ſed *nuper* in Senatum *admiſſus*. Sed ut annum egerit cum Præturam iniret XXX. ita hic, quo verſamur, annus illi fuerit ad minimum LVI. Sed *Plotium* ſuum *Grypum Juvenem* appellat *Statius* v. 15. Imo cum hunc Librum ederet, in Epiſtola *Dedicatoria*. Sic etiam loquitur quaſi præ *ſe* juvenis fuiſſet, ſe nimirum ipſo *junior*, qui tamen adhuc erat ipſe *juvenis*. Imo *primam* illam *juventutem Plotii* oſtendit officium ejus Orandi *cauſas publicas* in *Judiciis Centumviralibus* v. 16. quod tamen eouſque tenuit dum *annonæ viarumque omnium ſtationibus* illum præficeret *Domitianus* in

(*c*) Plin. L. X. (*d*) L. III. Hiſt. c. 52. (*e*) L. IV. Hiſt. c. 39.

annum

annum ſequentem, v. 17, 18, 19. In annum ſcilicet XCVI. Sed *prior* erat honor ille orandi *cauſas publicas* in Adoleſcentibus *Senatoriis* honore omni *Senatorio*, vel *Quæſturæ*. Exuebantque illum qui vitam ſtudiis illis non dicabant, honore proximo ſuſcepto, quod vidimus feciſſe *Plotium Grypum*. Potuit annum ætatis XX. non multo ſuperare qui Oratoriam factitabat in *trino foro* & *Judiciis Centumviralibus*. Non potuit anno XXXV. eſſe ſuperior quem *Statius juvenem* appellabat. Ego *filium* illius, cujus mentio apud *Tacitum*, noſtrum fuiſſe puto *Plotium Grypum Statianum*. Recte ille *majoris gradus juvenis* audit *Statio* qui adhuc *juvenis*, adhuc *ætate Senatoria* minor, *gradus* tamen, propter patrem in Senatum à *Veſpaſiano* admiſſum, ordinis cenſebatur *Senatorii*. Imo rectius illa *filio* quam *Patri* conveniunt, de quo, ut certum eſt *nondum* Senatorium fuiſſe cum nondum admitteretur in *Senatum*; ita illud ipſum incertum eſt fueritne in *juventute* Senator. XX. certe quam LX. propior fuerit oportet quem *Statius juvenem* appellat.

L. V. Sylv. I. poſt annum à morte *Priſcillæ*. Munus *Abaſcantii*.

LV. Libri V. Sylva I. in uxorem *Abaſcantii Priſcillam* ſcripta quidem eſt à *Statio* anno XCVI. *Domitiani*, itemque ipſius *Statii* ultimo. Mortuam tamen anno ſuperiori, viz. XCV. *Priſcillam* agnoſcit ipſe *Statius*, v. 17, 18. Inde porro manifeſtum eſt quam non fuerit à *Statii* more alienum, quod jam antea aliis exemplis probavimus, ut non eodem tempore ſcriberet quo res ipſæ contigerint quæ ſcribendi dederant argumentum. Comes tamen fuerat *Abaſcantii Priſcilla* in Expeditione *Sarmatica*, v. 127, 128, 129. qua aderat ipſe *Domitianus* v. 133. Quæ adeo Expeditio anni XCIV. fini, ut alibi jam vidimus, aſſignanda erit. Officium *Abaſcantii*, de quo

quo tam multa *Statius*, Ego *Curſus publici* curam fuiſſe puto jam olim ab *Auguſto* inſtituti. Illius erat *mandata* Principis Provincialibus Præfectis Magiſtratibuſque, & viciſſim res *geſtas* in Provinciis Principibus renunciare, quo demum redeunt omnia quæ de illo munere prodidit ipſe *Statius*. Hujus officii *nomen*, ſi quæramus, pro more *Sæculi* quo vixit *Abaſcantius*, Ego *teſſerarium* fuiſſe puto *Speculatorum*. Illius officii ſub *Galba* meminere (*f*) *Tacitus* & *Plutarchus*. Jamdiu eſt quod viderint Eruditi *Speculatores* hos à *ſpeculando*, non autem à *ſpiculis Spiculatores* eſſe appellandos. Habebat quidem *Legio* quæque ſuos ſibi *Speculatores*. Habebant & *cohortes*. Sic & in *Prætorianis Speculatores* erant qui *Principi* ipſi proxime aderant ſatellites *clypeo* armati atque *lancea*, ut docuit olim *Lipſius*. Nec vero erat cur dubitaret vir ille Maximus *verine* hi fuerint *Speculatores* ſive *exploratores*. Sed nec quod dubitaret, num in *ſpeculis* tantummodo, an item in *hoſtico* verſarentur. Erat certe in *hoſtico ſpeculator* ille, cujus meminit (*g*) *Livius*, *Carthaginienſis* qui Bello *Punico* ſecundo *Romæ* deprehenſus eſt, vere proprieque ſic dictus *explorator*. Certe *Principis* illos *ſpeculatores* veriſſime *exploratores* fuiſſe minime prorſus eſt cur dubitemus. Nemo dubitat fueritne illud officium *Curioſorum* apud recentiores notiſſimorum. Idem vero *ſpeculatorum curioſorumque* munus fuiſſe docet (*h*) *Suetonius* in *Auguſto*. *Pinarium* (inquit) *Equitem R. cum concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites ſubſcribere quædam animadvertiſſet, curioſum ac ſpeculatorem ratus, coram confodi imperavit.* Inde conſtat prætextu *Reipublicæ* cum intimos domuum *receſſus* penetrarent, *ſcriptis* etiam mandare ſolitos ſiquid præterea arcanum vel vidiſſent, vel audiviſſent. Hos

(*f*) *Tacit.* H. I. 24. (*g*) *Liv.* L. XXII. (*h*) *Suet.* Aug. c. 27.

Notas

διόπτας & ἐρευνητὰς appellat (*i*) *Dio* in Fragmentis *Urſinianis*; *Frumentarios Latini* Auctores Hiſtoriæ *Auguſtæ*, quibus auctoribus effectum ut in Subditorum *arcana* Principes etiam *domeſtica* penetrarent. Secernit autem illos *Dio* à γραμματοφόροις, *tabellariis* ſcilicet, qui quanquam *ſuperioris* quidem *ordinis*, erant etiam ipſi *Speculatores*. *Vehiculis* publicis uſos *tabellarios* illos docet ibidem *Dio*. Illud ab *Auguſto* in *Curſu publico* inventum docet (*k*) *Suetonius*. Miſitque *Caius* literas, (*l*) *monitis ſpeculatoribus ut vehiculo ad forum uſque & Curiam pertenderent, nec niſi in æde Martis, ac frequente Senatu, COSS. traderent*. Sic enim legunt plerique optimæque fidei Codices Manuſcripti. Facile colligimus eoſdem fuiſſe cum *curſoribus publicis* illos certe *Speculatores*. Etiam ſub (*m*) *Vitellio, ſpeculatores è Syria Judæaque adactum in verba ejus Orientem nunciavere*. Utrumque munus conjunxit (*n*) *Plutarchus*: ἐν δὲ τούτοις Ἰτύραιος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὁπίων (leg. ὁπλίων) ὁ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτης (leg. τεσσαρεσκαιδεκάτης) [σπεκουλατόρων] ὅτω γὰρ καλοῦντο οἱ δι' ἀγγέλων καὶ δι' ὁπλιτῶν ὑπηρεσίας τελοῦντες. Vox illa, quam uncis incluſimus, neceſsario addenda eſt. Sic enim rectè nectentur ſequentia quibus duo illa *Speculatorum* genera ſecreverat *Plutarchus* quæ vidimus ſimiliter diſtinxiſſe *Dionem*. Erant enim illi certe ὁπλῖται iidem qui *Dioni* διόπται. Erant & ἄγγελοι *Dionis* γραμματοφόροι, ab aliis ἀγγελιαφόροι appellati. Quod ſcilicet non perferrent modo *literas*, ſed *res* etiam alias, quarum nulla fuerat in literis mentio, ipſi viva voce nunciarent. Hoc enim conſilio *vehicula curſoribus* addidit *Auguſtus, ut qui à loco perferebant literas, iidem interrogari quoque, ſi quid res exigant, poſſent*, inquit *Suetonius*. Nam ſine *vehiculis* mutari neceſse erat ſingulis ſta-

(*i*) Fragm. 83. (*k*) *Suet.* Aug. c. 49. (*l*) *Suet.* Calig. c. 44. (*m*) *Tacit.* H. II. 73. (*n*) *Plutarch.* Galb.

tionibus *curſores*, ut *novi* in ſeſsorum locum ſufficerentur. Ita factum ut *rerum* geſtarum prorſus ignari adhiberentur ultimi *curſores*. Firmat præterea vocis illius interpolationem *Tacitus* qui eorundem *Speculatorum Optionem* facit *Veturium* quorum *Barbius Proculus* fuerat *teſſerarius*. Horum *Speculatorum* qui in Principis erant ſatellitio, *teſſerarios* ſæpe legimus atque *optiones*; *tribunum*, quod quidem ſciam, nullum. Proinde veriſimile eſt *ſupremum* inter illos fuiſſe *teſſerarium*, qui non à *Tribuno* aliquo, ſed ab ipſo *Principe*, *teſſeras* acceperit. *Teſſeras* autem intelligo *arcanorum* Principis generis cujuſcunque notas, ſeu *voces* illæ, ſeu *ſymbola* fuerint, quibus *genuini* nuncii à *ſuppoſititiis* ſecernerentur. Nobile autem non fuiſſe illud munus, nec pluſquam *manipularium* docet *Tacitus*. Innuitque noſter etiam *Statius* cum cauſam ſcribendi illam agnoſcit in Epiſtola ad *Abaſcantium* ipſum *Dedicatoria, ut latus omne divinæ domus demereretur*. Additque rationem: *Nam qui bona fide Deos colit, amat & Sacerdotes*. Itaque *Domitiani* magis cauſa, quam *Abaſcantii*, illam celebravit *Abaſcantii* in *Priſcillam* pietatem, illud magni fecit *Abaſcantii* munus, ni *domus* fuiſſet *Divinæ*, alioqui non magni æſtimandum. Et ſane locum illi in *prælio* aſſignat *Cæſarei prope fulmen equi* v. 133. Talem profecto qualis *Speculatori* ſatelliti erat aſſignandus. Hoc ille officio ornatus eſt ante Bellum, ut modo vidimus, *Sarmaticum*. Cum *cœnæ* conviva adhiberetur *Abaſcantius* ab ipſo *Domitiano* qua *gratias* agentem *Priſcillam pedibus Domini* (*Domitiani* ſcilicet) *tam magna merentis advolutam* dicit *Statius*. Tum primum *ingentibus actis* admotum illius conjugem teſtis idem eſt *Statius*, v. 109, 110, 111, 112, 113. Cum *læta* renunciarentur è Provinciis omnia, v. 92, 93. Non potuit *cœna* illa eadem eſſe in qua convi-

va

va erat ipſe *Statius*, quæ *Sarmatica* Expeditione recentior erat. Rectene etiam ad *convivia* illa referri hæc potuerit, quæ, *Dacico* Bello *ſecundo* utcunque profligato, *Domitianus* habuit, quorum *luſus Saturnalitios* celebravit ipſe *Statius* L. I. ne quidem id præſtare audeo. Tunc ſane erat *Pax* ab hoſte *publico* aliquot annorum tutiſſima pariter atque prolixiſſima. Sed *domeſticum Domitiani* fuiſſe *Abaſcantium* teſtatur idem in Epiſtola Dedicatoria *Statius*. Sic adfuiſſe potuit *cœnis Domitiani* quotidianis. Nec longe adeo abfuerit *Priſcilla* quin & ipſa pedibus ejus potuerit advolvi in *cœna* quoque *quotidiana*. Alioqui, fateor, ſi quidem cœnarum illarum altera eligenda eſſet, in *priori* potius rem geſtam mihi videri veriſimilius.

Iter *Criſpini* anno ſuperiori. Non idem hic cum *Clodio Criſpino* C O S. an. CXIII. *Criſpini Bolanique* anni *Natales*.

LVI. Sylvam II. ſcripſit hoc anno *Statius*. Cœpta eſt jam ejus *Achilleis*, v. 103. quam tamen in *Seceſſu* aggreſſus eſt. *Iter* tamen illud *Criſpini* cui bene apprecatur *Statius*, anni *ſuperioris* initio aſſignandum exiſtimo. *Nuper* illum ſeſe dicit *Tiberino littore equitantem vidiſſe*, v. 113, 114, 115. Nondum itaque ſeceſſerat *Statius* à *Roma* cum *Tyrrhenum* iter ſuſciperet *Criſpinus*. Sic annus *Criſpini* XVI. v. 12, 13. quo *nondum validæ juventæ ſigna* illi *genis* irrepſerant, v. 62, 63. imo quo *decor ævi adhuc integer*, v. 63. ut nec *barba* ei fuerit, nec admodum manifeſta *lanugo*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* anno XCV. aſſignandus erit. Hæc Ego alibi, ut adhuc puto, recte. Non item illud quod *Criſpinum* hunc cum *Clodio Criſpino* anni CXIII. *Conſule* eundem (*o*) crediderim. *Vettium Bolanum* illi non *avum*, ut erravi, *maternum*, ſed *patrem* fuiſſe teſtatur *Statius*, v. 31. 54. Illum ſcilicet *Bolanum* qui *Corbuloni* comes erat Belli

(*o*) Præl. XV. ad *Sp.* Adr. §. 6.

in *Armenios*, v. 34, 35. quem *Vettium*, verbis diſertiſſimis appellat (*p*) *Tacitus*. Et ſane *patrem* ejus non *adoptivum* ſed *naturalem* fuiſſe, facile colligitur è *Statio*. Ita *Vettium* è nomine gentilitio *Criſpinum* hunc *Statianum* fuiſſe neceſſe eſt. Niſi forte poſt tempora *Statii* per aliquam, quam neſcimus, *Adoptionem* in gentem *Clodiam* tranſierit. Obſtat tamen gentis *Vettianæ* ſplendor quo minus facile *familiam* mutaret. *Natum* ergo *Criſpinum* exiſtimo anno Æræ noſtræ LXXIX. Habet præterea de patre *Bolano* aliqua *Statius*, nec indigna, quæ temporibus ſuis aſſignentur. Illum dicit *Statius juventam protinus ingreſſum*, v. 31, 32. cum *Corbuloni comes* adeſſet in Bello *Armeniaco*. Ætas illa *protinus ingreſſi juventam*, eadem erat quæ & *togæ virilis* jam *nuper* ſumtæ, & quidem tempore *legitimo*, annus nimirum XV. inchoatus. Et quidem è *Tacito* certum eſt cum anno LXII. *Armeniam* aggrederetur *Corbulo*, tunc *comitem* illi fuiſſe *Bolanum*. Hoc primum tempore acceſſeritne ad *Corbulonem*, de eo nihil *Tacitus*. Ejus illa verba ſunt : *Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis audita ſunt : legiones duas cum Verulano Severo, & Vettio Bolano, ſubſidium Tigrani mittit.* Sic loquitur ille quaſi *ſinguli* ſingulis *Legionibus* præfecti fuerint, tam *Verulanus Severus* quam *Vettius* etiam *Bolanus*. Quæ certe cura major erat *primo* militiæ *tirocinio*. Sed jam antea *Armeniam Corbulo* oppugnaverat anno Æræ noſtræ LVIII. & cum eo proinde *Bolanus*. Ita qui tunc annum ætatis XIV. expleverat, cœperat autem XV. natus proinde fuerit anno ejuſdem Æræ XLIV.

Bolani munus *Caſtrametatorium*, Præfectura *Britan-*

LVII. Primum autem *Bolani* ſub *Corbulone* munus *caſtrametatorium* memorat *Statius*. Plane *primum*, cum inde

(*p*) *Tacit.* Ann. XV. 3.

virum

virum illum dicat *barbaram noviſſe tellurem*, v. 46. *Puerum* ſcilicet alioqui *vultu*, quem *virum* ex *induſtria diligentiaque* virili cognoſcerent timerentque *Barbari*. Itaque ſub initiis *tirocinii*. Proximum ejus honorem refert Præfecturam *Britanniæ*. Illam *Thulen*, pro more ſuo, appellat *Statius*, v. 55. *Romanis* enim Provinciis *Thulen* accenſet alibi, L. IV. Sylv. IV. v. 62. L. V. Sylv. I. v. 91. Certe cum *Bolanus Britanniæ* præeſſet, tam longe aberant à *Thule Romani*, ut ne quidem *Orcadas*, nec *Britanniam* ipſam univerſam vel cognoſcerent. Aliam ergo à *Britannia Thulen* intelligere ne quidem potuit *Statius*. (q) Miſſus enim eſt à *Vitellio* in *Britanniam Bolanus*, anno proinde Æræ noſtræ LXIX. ætatiſque ſuæ XXV. Legatus adeo tantummodo *Quæſtorius*. Aderat autem, cum mitteretur, ipſi *Vitellio*. Inde ne *Quæſturam* quidem *Urbanam* ab eo geſtam facile ſuſpicamur, cum nondum *Urbem* ipſam ſibi obnoxiam haberet. Neſcio quam errandi occaſionem *Statio* dederit *Pytheas Maſſilienſis*, qui primus tam *Thules* mentionem fecit quam etiam *Britanniæ*, Scriptor ipſe fabuloſiſſimus. Tenuit *Britanniam Bolanus* ad annum uſque LXXI. *Brevi* certe poſt *Bolanum* ſucceſſiſſe *Petilium Cerialem* teſtis eſt in *Agricolæ* vita *Tacitus*. Sed poſt *Bella* demum *Civilia*. Imo poſt *profligatum* in *Germania Julium Civilem*. Detinuit autem *Cerialem* in *Germania* Bellum illud *Civilis* ad annum uſque LXX. ut è *Taciti* conſtat ipſis illis, quas habemus, *Hiſtoriis*. Non tamen diu *poſtea* detinuiſſe exinde colligitur quod, *brevi* poſtquam in *Britanniam* appuliſſet *Agricola*, *Bolano* ſucceſſerit, eodem (r) *Tacito* teſte, *Cerialis*. Ultimum *Bolani* honorem recenſet *Statius Aſiæ Proconſulatum*. Sic tamen ut *Conſula-*

nia, Proconſulatus *Aſiæ*.

(q) *Tacit.* Hiſt. II. 65. 97. (r) *Tacit.* vit. Agric. c. 8.

tum ab eo *geſtum* non ſignificet. Non erat ſane ad *Cæſaris* Legatos *Conſulares* neceſſarius geſtus *Conſulatus*, ut nos docet *Dio*. Sed *Populi* Provincia erat *Aſia* illa *Lydiaca Proconſularis*. Et *ſortitum* illum à *Bolano* annum dicit fuiſſe *Statius* v. 57. Inde certum non *extra ſortem Bolano* illam demandatam eſſe *Provinciam*. Atqui Provincias *Proconſulares* nemo *ſortiebatur*, niſi *geſto* antea *Conſulatu*. Itaque, ut minus *honores* alios *Senatorios*, at certe *Conſulatum* ab eo *geſtum* vix eſt quod dubitemus. Nec enim ſatis erant ad *Provincias Proconſulares ſortiendas ornamenta* tantummodo *Conſularia*. Erat quidem *Conſulatus* ille duntaxat *ſuffectus*, quippe qui nullus occurrit in *Faſtis*. Sed *his* præſertim *temporibus* minus eſt quod id miremur, cum ſub gente *Flavia* rari admodum legantur in *Faſtis privatorum Ordinarii Conſulatus*. In *Senatu* certe fuiſſe *Bolanum* vel illa arguunt quæ de *filio* illius *Criſpino* teſtatur *Statius*. *Genitum* illum *curiæ* dicit, *primaque Patritia clauſiſſe veſtigia luna*, v. 27, 28. Hæc forte *familiæ* ejus *Patritiæ* tribuerimus. Non item illud quod ſequitur ; v. 29, 30.

Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Laticlavium hic deſcribit *Statius*, quod non aliis quam *Senatorum liberis* conceſſerat *Auguſtus*. Nec enim ullam hic legimus in cauſa *Criſpini* ſingularem *Principis indulgentiam*. Quo autem *anno Conſulatum* illum geſſerit *Bolanus*, vel *Proconſulatum*, nihil docuit *Statius*.

Conſulatus Bolani ſuffectus, & Proconſulatus Aſiæ poſt eum.

LVIII. Illud certum poſt Provinciam *Britannicam* fuiſſe Provinciam illam aliam *Bolani Aſiaticam*. Nec illud etiam in *Romana* diſciplina ambiguum eſſe

eſſe poteſt, ante *ætatem Conſularem* Conſulem illum non fuiſſe vel *ſuffectum.* LXXVII. & ante ann. XCIII.

Ætas autem *Conſularis* his *temporibus*, annus erat XXXIII. quem egit *Bolanus*, pro noſtris illis, quas dedimus, hypotheſibus, anno Æræ *Chriſtianæ* LXXVII. Juniores illo anno ſunt *Criſpinus* ipſe & coævus illi frater, ne, *jure liberorum*, *Bolanum* legitimum honorum *tempus* anticipaſſe ſuſpicemur. *Serior* illi *Conſulatus* eſſe potuit, non *maturior*. Denique & illud pene certum, diſtinguendos invicem *annos Conſulatus* atque *Proconſulatus*, ut quo anno *Conſul* fuit, eodem *Proconſul* eſſe non potuerit. *Sortitiones* olim ſcio fuiſſe *Provinciarum* eodem anno quo *Magiſtratum* geſſerant, ut è *Livio* manifeſtum eſt. Sed in *Populi* etiam Provinciis à nutu *Principis* pendebant illæ *ſortitiones*. *Novem* ad minimum medii erant *anni* inter *Conſulatum Agricolæ* annumque illum quo *Aſiæ Africæque Proconſulatum* erat, pro *Domitiani* diſpoſitione, *ſortiturus*, ut facile è (*ſ*) *Tacito* colligitur. Sufficiat ergo, cum *annum* ipſum eruere non poſſumus, *limites* ſaltem oſtendiſſe quibus fuerit concludendus. Jam ſane *mortuum*, cum ſcriberet *Statius*, conſtat fuiſſe *Bolanum*. Paulo ut videtur ante quam togam *prætextam* exueret *Criſpinus*, v. 66. Proximum enim illum togæ *virili* fuiſſe exinde colligo, quod *præſidem* illi, i. e. *tutorem* nullum *Pater* aſſignaverit, v. 65. Quod ſcilicet parum deeſſet ad *ætatem* illam qua *Tutorem* fuerit exuturus. Sic *annum* egerit, cum *decederet* pater, XIV. non autem abſolverit. Ita quidem ſi coævo *fratri geminus* fuerit *Criſpinus*. Sed *coævum fratrem ætati* patris oppoſuit, ni fallor, *Statius*. Erat enim inter illos *unius* ſaltem *anni* in *ætate* diſcrimen. Et quidem ita ut *major frater*, *junior* autem fuerit ipſe *Criſpinus*. Hoc inde colligo, quod *æquævo*

(*ſ*) Vit. Agric. c. 42.

fratri

fratri ceſſiſſe dicat *Statius*, v. 75. Cur *ceſſit æquævo*, niſi jure *Primogenituræ*? Inde etiam quod *priorem* fratrem dicat in indulgentia *Domitiani*, & *certa votis* ſuis *veſtigia à fratre* ominatur *Statius*, v. 125, 126. Pro *ordine* ſcilicet *Natalium*, *priorem fratrem* prius ornandum cenſuit *Domitianus*. Atqui *geminam prolem ſine præſide liquerat Bolanus prætextatam*, v. 65, 66, 67. Proinde ne *major* quidem *frater* annum impleverat XIV. cum moreretur *Bolanus*. Ita anno XCIII. ſuperſtes *Bolanus* eſſe non potuit, annoque adeo deceſſerit *ætatis* XLIX.

Rerum *Criſpini* aliarum tempora.

LIX. Poſt mortem *Bolani* inſidias illas matris in *Criſpinum* fuiſſe puto quarum nomine ſupplicio capitali à *Domitiano* affecta eſt, v. 91, 92. Alioqui, in cauſa præſertim domeſtica, *priſco* (inquit (*t*) *Tacitus*) *inſtituto maritus de capite famaque conjugis cognovit*. Exemplumque habet illius ſub *Nerone* moris in cauſa *Pomponiæ Græcinæ*, anno Æræ noſtræ LVII. Imo adulti jam *Criſpini*, poſt libertatem *togæ properatam*, v. 69. hanc in matrem indulgentiam innuit fuiſſe *Statius*. Sic ante annum XCIV. veneficium illud *matris* & *pœna* non fuerit. Ego ſequenti XCV. fuiſſe potius exiſtimo. Sic enim de illis loquitur *Statius*, ut nec *diu* præterita fuiſſe innuat, & tamen rebus *nuper geſtis* opponat. *Nuper* illum dicit *primam* in amici cauſa de lege *Julia*, quam revocaverat *Domitianus*, violata accuſati obiiſſe *advocationem*, v. 99. &c. Et *nuper* illum ſe in *ripa Tiberis vidiſſe equitantem*, v. 113. Sed *nupera* illa ambo ad *iter* illud *Tyrrhenum Criſpini* referenda cenſeo, de quo ſcripſit *Statius* hoc *Propempticon*. Ut ſcilicet *nuper* illa ante *iter* fuerint, non autem *nuper* ante *ſcriptionem*. Ita anni XCV.

(*t*) *Tacit.* Ann. XIII. 32.

fine

ſine aut non *longe* ab eo *nupera illa* fuerint. Sic *tiro* ille ac *inermis* (armis nimirum de quibus loquitur *Statius*, *Oratoriis*) *anniſque quales nunquam aſpexerat Romulus*, quos etiam *ſtupuere Patres*, v. 105, 106, 107. 109. cauſam illam ſuſceperit, nondum *ætatis* anno expleto viz. XVI. Majores enim erant plerique quorum in foro *tirocinia* referunt (*u*) *Tacitus* & (*x*) *Quintilianus*. Nuperius adhuc erat novum illud *Criſpini* decus à *Domitiano*, *limen honorum*, v. 173. *Auſonii munia ferri* v. 174. *primus enſis*, v. 177. Erat nimirum, ut exiſtimo, poſt primum gradum *Equeſtris Militiæ*, quem *honorarium* oſtendimus in Annalibus *Velleianis*, ſecundus deinde gradus Militiæ jam deinceps *armatæ*. Hunc ergo gradum quo auſpicatius inirent Adoleſcentes *Senatorii*, *primum* accipere ſolebant, quo accingendi erant, *enſem* ab ipſo *Imperatore*. Morem hunc fuiſſe è *Statio* ipſo diſcimus qui ex eo quod *frater Criſpini* major *enſem* acceperat, futurum auguratur ut acciperet etiam *Criſpinus*, v. 126. Tum *jurabant* in verba Principis, v. 176. Sacramento nimirum *Militari*. Cum ſcilicet *enſe* quem ab Imperatore acceperant, accingerentur. Merito ſcilicet Sacramento *Militari* ad initium *armatæ* Militiæ dilato. Hoc ait *Statius honorum* fuiſſe *limen*. Quod ſcilicet *enſis* illo Symbolo *Cæſar* illos, ubi maturuiſſent, in *Legatorum* numerum ſpondebat accenſendos. Ita certe videtur intellexiſſe *Statius*, cum de *Provinciis* auguratur in quas mittendus erat *Criſpinus*, v. 132, &c. Hæc nos docet *Statius*. Neſcio veterumne quiſpiam præterea alius. *Præfectos Prætorio* dato *gladio* factos conſtat ex hiſtoria *Trajani*. Et *diſcinctos*, quoties munere exuerentur, juniores narrant Hiſtorici. Non memini tamen qui *gladium* datum

(*u*) *Tacit.* de Oratorib. (*x*) *Quint.* Inſt.

teſtetur in Militiæ *armatæ tirocinio.* Itaque hic ſi recte auguramur, jam annum ætatis XVII. impleverit *Criſpinus* cum *gladium* illum acciperet à *Domitiano.* Inde ſequetur inter iter *Criſpini Tyrrhenum*, & *tempus* quo ſcripſit de itinere illo *Statius*, ſpatium fuiſſe. Cum enim *iter* illud ſuſciperet XVI. tantummodo annum ætatis egit *Criſpinus.* Hoc ergo artificio uſus eſt Poeta. Sic fere loquitur quaſi illo ipſo *tempore* ſcripſiſſet quo ſeſe accinxit itineri *Criſpinus.* Quæ autem poſtea contigerunt, de illis, pro Poetarum more, *vaticinatur*, & vaticinia ſua medii illius anni confirmat eventibus. Sic loquitur *Propemptici* initio quaſi nondum adeſſent, cum diſcederet *Criſpinus*, clara illa primæ Militiæ rudimenta, & *Caſtrorum* dulce illud auſpicium, & optanda illa, quæ propinqua tamen agnoſcit, triſtia, v. 8, 9, 10, 11, 12. quæ ſcilicet *Criſpinum* Belli periculis exponerent. Sed venies, inquit, melior, v. 164. Medio ergo ſpatio inter iter reditumque *Criſpini*, enſem illum honorum futurorum limen à *Domitiano Criſpinus* acceperat. Rectèque potuit hoc *videri* vaticinari *Statius* qui *Propemptici* loco Sylvam ſcripſiſſe videri voluit, cum nondum *enſem* illum miſiſſet *Domitianus.* Tuto tamen *vaticinatus* eſt qui non antea edidit quam vaticinio reſpondiſſet *eventus.* Ita anno XCVI. affecto edidiſſe veriſimillimum eſt ut annum *ætatis* ſuæ XVII. poſſet explere *Criſpinus.* Conveniunt verba ejus de ſe etiam illa : v. 158, 159.

Nos fortior ætas

Jam fugit.

Jam enim ad finem anni ſui XXXV. vergebat ipſe *Statius*, quam certe ætatem in cenſu Militari *fortiſſi-*

fortiſſimam æſtimabant *Romani.* Fuerat jam antea *Criſpinus Salius*, & quidem *tener*, v. 130, 131. Nobiles enim admodum *pueros Salios* factos ex Hiſtoria conſtat *Auguſta.*

De aliis hujus Libri *Sylvis* ea ſupra diximus, quæ adeo hic repetenda non ſunt.

ANNALIUM STATIANORUM

SYNOPSIS *Chronologica*:

Vitarumque aliarum illis obiter immiſtarum.

Prior Annalium pars ad *Patris*, poſterior ad *filii Poetæ*, tempora exigitur.

Ann. Domin.	Annis *Papinii* Patris.	
20	1	NATUS *Statii* Pater *Papinius ſenior*. §. 18.
22	2/3	Natus *Hetruſcus* Pater ſub *Tiberio*, hoc anno, ut videtur, vel *affecto*, vel *exeunte*. §. 42.
28	8/9	Natus RUTILIUS GALLICUS, hoc anno, menſe ſaltem *Octobri*. §. 28.
33	13/14	Vicit *Papinius* Pater in agone, hujus anni, NEAPOLITANO, adhuc ætate *Puerili*. §. 18.
35	15/16	*Pythiis* vicit *Papinius* Pater. §. 18.
37	17/18	*Nemeis* vicit *Papinius* Pater. §. 18. *Hetruſcus* à *Tiberio* manumiſſus, vixdum *prima lanugine*. §. 42.
38	18/19	*Iſthmiis* vicit *Papinius* Pater. §. 18.
39	19/20	Scholam *Neapoli Grammaticam* aperuit *Papinius* Pater. §. 19. *Caio Caligulæ tenuis comes Hetruſcus* in Expeditione *Germanica*, viz. annum agens XVII. §. 43.
44	24/25	Natus *Vettius Bolanus Criſpini* pater. §. 56.
47	27/28	RUTILIUS GALLICUS à re *Oratoria* clarus anno *Ætatis* XIX. §. 29.

Rutilius

Rutilius à cura *Cohortis* ad Præfecturam *Alæ* promotus. §. 29.	28/29	48
RUTILIUS Tribunus *Legionis*. §. 29.	30/31	50
Rutilius Quæſtor. §. 29.	33/34	53
Rutilius Galatiæ præfectus. §. 29. Forte etiam hoc anno, (Imperio *Claudii* exeunte) *Diſpenſator Imperii* factus *Hetruſcus* pater. 43.	34/35	54
Rutilius Gallicus in *Pamphyliam* tranſlatus, quam per annos IX. tenuit. §. 29.	35/36	55
Artaxata à *Corbulone* expugnata antequam *Rutilius Gallicus Armeniæ* præficeretur. §. 29. Cum *Corbulone Vettius Bolanus* jam *juventam protinus ingreſſus*. §. 56. *Bolanus* jam *Caſtrametator*. §. 57.	38/39	58
NATUS P. PAPINIUS STATIUS POETA ante menſem *Julium*, ut pars *major* anni ejus *primi* in hunc annum inciderit. §. 5. Eodem anno natus etiam *Stella* Poeta noſtro Poetæ coævus. §. 24.	An. *Pap. Statii fil.* 1	61
Rutilius Gallicus Pannoniæ præfectus. §. 29.	3/4	64
Rutilius Gallicus tranſlatus in *Armeniam*, ſub *Corbulone*, qui anno *ſequenti* occiſus eſt; & cum *Latii pontis patiens* eſſet *Araxes*, quem pontem *Romanis* occluſit ſequenti anno *Teridates*. §. 29. Nata *Hetruſca Hetruſci* uxor. §. 43.	4/5	65
Tradita *Teridati*, (juſſu *Neronis*,) *Armenia*; *Romam* reverſus *Rutilius*, in *Aſiam Proconſularem*, anno hoc ſequenti miſſus eſt, quam *duobus annis* tenuit. §. 30.	6/7	67
Hujus anni in *partem* aliquam *Conſulatus* Rutilio Gallico *promiſſus* eſt, quem non *geſſit* tamen. §. 30. Miſſus à *Vitellio* in *Britanniam Vettius Bolanus Criſpini* pater, quam etiam tenuit uſque ad annum ſaltem LXXI. §. 57. *Statii* pater jam *Romæ*, forte *Sacerdos*, docet. Incendium *Capitolii* inſigni Poemate deflet. §. 20.	8/9	69
Domitiani prima Victoria *Germanica*, vivo patre, unde tandem poſt annos XI. jam	9/10	70

Imperator *Germanicus* appellatus eſt. §. 8. *Hetruſci* honor in *triumpho Veſpaſiani*. §. 44.

73 12/13 *Statii pater* jam certe *Romæ* cum *majoris Pueritiæ* limitem, annum *ætatis* XII. ingrederetur *Stella* Poeta ejus *diſcipulus*. §. 24.

74 13/14 *Veſpaſianus Hetruſcum* jure *aurei annuli* donat. Inde uxorem *Hetruſcam* fœminam *Senatoriam* licuit habere. Antea *liberto* non licuit. §. 44. Hoc anno *ineunte* natus *Earinus*. §. 46.

75 14/15 Hoc anno *ineunte* togæ *virili* maturus *Statius*. §. 5. Templum *Pacis* dedicatum, qua *Pace media Africæ* præerat *Rutilius Gallicus*. §. 31. Natus *Junius Maximus*. §. 51.

76 15/16 Natus *Philetus Urſi* puer *delicatus*. §. 38.

77 16/17 *Hetruſco* nupſit *Hetruſca* ipſa *duodecennis*. §. 43. *Conſulatus* Bolani *ſuffectus* & *Proconſulatus Aſiæ* poſt hunc annum. §. 58.

78 17/18 Natus *major Hetruſci filius*. §. 43. Natus *Julius Menecrates*. §. 53.

79 18/19 *Statius* matrimonio *maturus*. §. 5. *Pater Statii* ſcripſit hoc anno in incendium *Veſuvii*. §. 12. 20. Natus *minor Hetruſci filius*. §. 43. Natus *Criſpinus*. §. 56.

80 19/20 Natus *Glaucias Atedii Melioris* delicatus. §. 37. *Claudiam* uxorem ducit *Statius*, ante menſem hujus anni *Julium*, priuſquam *annus vacationis* ab *Auguſto* conceſſus exiret ab ætate matrimoniis *legitima*. §. 6, 7. Tum poſtea *Thebaidem* incipit. §. 7. 11.

81 20/21 Audivit *pater Statii filium* primum *Thebaidis* Librum jam publice *recitantem*. §. 12. Hoc anno *Domitianus Germanicus* appellatus propter victoriam ante annos XI. de *Cattis*. §. 8.

85 24/25 *Domitiani* victoria *Dacica* I. in *Diurpaneum*. §. 10. Ludi forte *Neapolitani* quibus, *Patre* adhuc ſuperſtite, vicit *Statius* filius. §. 15. Huic anno *exeunti* mors *Statii Patris* rectius aſſignanda. §. 17.

86 25/26 Primus Agon *Capitolinus* à *Domitiano* inſtitutus,

ſtitutus, quo, ſi nondum victus fuerit *Statius* filius, hujus anni fortaſſe *fine* deceſſerit *pater*. §. 15. Hoc anno in *Germanos* rem gerit obiter *Rutilius Gallicus*, capta *Veleda*; præcipue vero in *Dacos*, quos *urbe montana* dejicit. §. 32. Poſt reditum *Domitiani Rutilius* præfectus *Urbi* uſque ad annum LXXXVIII. §. 33, 34.

Hujus anni *Quinquatruis* I. fortaſſe *Statii* filii *victoria* in Ludis *Albanis* annuis à *Domitiano* in honorem *Minervæ* inſtitutis. §. 15. 26/27 87

II. forte *Statii victoria* in *Quinquatruis*, præſente *Domitiano*. Ludi *Domitiani Sæculares* hoc *anno*, & *die* (ut videtur) *Domitiani natali* habiti. §. 26. Scripſit jam *Rutilii Gallici Soteria*. Lib. I. Sylv. IV. *Statius*. §. 27. Caſtratus *Earinus*, nondum emiſſo *Domitiani* Edicto de maribus *non caſtrandis*. §. 46. 27/28 88

Victoria *Domitiani* II. in *Germaniam*, & in *Antonium*. §. 9. Item victoria ejuſdem II. *Dacica* in *Decebalum*. §. 10. III. forte *Statii* victoria in *Quinquatruis*, præſente *Domitiano*. §. 15. In hujus anni *Kalendas Decembres Saturnales* Lib. I. Sylvam. VI. ſcripſit *Statius*. §. 36. Hoc etiam forte anno *curſui publico* à *Domitiano* præfectus *Abaſcantius*. §. 55. Matrimonium *Stellæ* & *Violantillæ*. §. 23. hoc anno *exeunte*. 28/29 89

In *Equum Maximum Domitiani* L. I. Sylv. I. ſcripſit *Statius*. §. 22. *Sororem* conſecrat *Domitianus*. §. 11. Edictum *Domitiani* de non caſtrandis *maribus*. §. 46. *Stellæ Prætura* Epithalamion *Stellæ* & *Violantillæ*. L. I. Sylv. II. ſcribit *Statius*. §. 23. 29/30 90

Edicta *Domitiani* alia de *Caſtitate*, quibus revocatæ Leges *Julia* & *Scantinia*, dum adhuc viveret *Julia*. §. 46. 30/31 91

Hoc anno *Manlii Vopiſci* villam laudat *Tiburtinam*, L. I. Sylv. III. §. 25. Item balneum *Hetruſci*, L. I. Sylv. V. §. 35. 41. *Sta-* 31/32 92

tio

tio noſtro *matrimonii* cum *Claudia* annus XII. quo *Thebaidem* abſolvit ediditque. §. 7. 11. Paulo poſtea, cum *nondum* deſiiſſet *pro Thebaide timere*, Librum *Sylvarum* I. collegit, edidit, dicavitque *Stellæ Statius*. §. 7. 11. *Alæ Equeſtri* præficitur *Junius Maximus*, anno *ætatis* XVII. completo, antea quam prodiret *Thebais*. §. 51. *Uxorem* duxit *Pollii* filiam *Julius Menecrates* anno *ætatis* ſuæ XIV. expleto. §. 53. Iter *Metii Celeris Syriacum* hoc *anno*, paulo antea quam ederetur *Thebais*. §.40.

93 $\frac{32}{33}$ Hic annus *Neapoli agonalis*, menſe forſitan *Auguſto*. §. 14. Librum *Sylvarum* II. ſcripſit, collegit, dicavitque *Atedio Meliori*. §. 14. Hinc orta familiaritas cum *Pollio*, è cujus exemplo natum eſt *Statio* conſilium de ſuo quoque in *patriam Seceſſu*. ibid. Filium *majorem* ſuſcipit *Julius Menecrates*. §. 53. Ante hunc annum *elapſum* mortuus *Vettius Bolanus*. §. 58. *Sylvæ* omnes hujus Libri II. eodem hoc, quo editæ ſunt, anno etiam *ſcriptæ*. §. 37, 38.

94 $\frac{33}{34}$ Libri III. *Sylva* I. in *Herculem Pollii Surrentinum* ſcripta poſt Idus *Auguſti* hujus anni. §. 39. Hoc etiam anno ſcripſit *Statius Metii Celeris Propempticon* Sylv. II. duobus poſt *iter* ipſum annis. §. 40. Obiit etiam *Hetruſcus* Pater ante Expeditionem *Domitiani Sarmaticam*, id eſt, ante menſem *Maium*. Sed *Sylvam* III. de ejus *obitu*, anno *exeunte*, ſcripſit *Statius*. §. 41. Rediit ab *Alæ Præfectura Junius Maximus*, filiumque *genuit*, ſequenti tamen anno *natum*. §. 51. *Filia* nata *Julio Menecrati*. §. 53.

95 $\frac{34}{35}$ Libri III. *Sylvam* IV. in comam *Flavii Earini* hoc anno *ineunte*, poſt reditum *Domitiani* ſcripſit *Statius*. §. 45. Hoc etiam anno Libri ejuſdem *Sylvam* V. ad *Claudiam* uxorem. §. 47. Proinde hoc anno Liber III. *collectus* eſt, inſcriptuſque *Pollio*. *Initio* hujus anni, menſe, ut videtur, *Januario* ſcripſit Libri

bri IV. *Sylvam* I. in *Conſulatum Domitiani* XVII. *Sylvam* II. in *Convivium Domitiani*, & *Sylvam* III. in *viam Domitianam*, quæ hoc *menſe*, ni fallor, *dedicata* eſt. §. 1. 48. Libri IV. *Sylvam* IV. poſt dedicationem *viæ Domitianæ* ſcripſit, menſe, ut videtur, *Julio*. §. 1. 49. Ejuſdem Libri *Sylvam* V. ad *Septimium Severum* ſcripſit hujus anni *Vere* ineunte. §. 49. *Sylvam* etiam VI. in *Nonii Vindicis Herculem Epitrapezion*, hoc anno ſcripſit *affecto*. §. 50. Eodem *Sylvam* VII. ad *Junium Maximum*. §. 51. Etiam *Sylvam* VIII. ad *Julium Menecratem*, paulo forte ante menſem *Decembrem*. §. 52. Et *Sylvæ* denique IX. *Riſus Saturnalitios* ad *Plotium Grypum*, vel *Griphum*, menſe ipſo, ut videtur, *Saturnalitio Decembri*. §. 2. 54. Hoc anno cœpit annus *Juventutis Statianæ* ultimus. Sic tamen ut non deſierit ante annum ſequentem *affectum*. §. 2. Annus Juventutis *ultimus* erat *Ætatis* XXXV. §. 3. Hujus anni forte initio, *nocte brumali Statius* cum Patrono ſuo *Nonio Vindice Romæ*, *Vere* in villa ſua *Albana*, menſe demum *Julio* in *Seceſſu* ſuo patrio *Neapolitano*. §. 50. Hic in Seceſſu *Achilleidem* aggreſſus eſt, poſt menſem ſaltem *Julium*. §. 49. *Junio Maximo* ipſi in *Dalmatia* filium in *Italia* natum gratulatur *Statius*. §. 51. Hoc anno *ineunte* edidit *Martialis* Epigrammatum Librum VII. §. 7. Hujus anni, ut videtur, non longe ab *initio* COS. ſuffectus erat *Stella* Poeta. Ita nimirum ut *Domitiani laurum Sarmaticam*, ipſo Principe *ſpectatore* celebrarit. §. 23. Eodem anno COS. ſuffectus etiam fortaſſe *Victorius Marcellus*, poſt COS. *Ordinarios* & tamen ante finem *Junii*. §. 4. *Earinus* jam ætate *primæ barbæ*, id eſt, annorum XXI. §. 46. Natus *Julio Menecrati* filius minor. §. 53. Frater *Julii Menecratis Judex* in *Africa*. ibid. Veneficium *matris* in *Criſpinum*. §. 59. Hoc etiam anno iter *Criſpini Tyrrhenum*,

rhenum, anno ejus XVI. Et paulo antea *Advocatio* in cauſa Amici de lege *Julia* accuſati ibid. Mortua *Priſcilla*. §. 55.

96 35 36 Libri V. *Sylvæ* I. in mortem *Priſcillæ* poſt *annum* ab ipſa morte ejus ſcripta eſt. §. 55. II. ad *Criſpinum*, cum *enſem Criſpinus* à *Domitiano* accepiſſet *futurorum honorum limen*. Expleto ſcilicet *Criſpini* ætatis *anno* XVII. §. 59. Reliquæ *tres Sylvæ*, in *Patrem*, in *ſomnum*, in *filium* Adoptivum, ſub *finem* vitæ *Statii*, quem hoc anno *mortuum* exiſtimamus, ante ipſum *Domitianum*. *Statius* adhuc *Juvenis*. §. 2.

FINIS.

APPENDIX
DISSERTATIONUM
DUARUM MISCELLANEARUM,

Quarum

I. Agitur de *Julii Cæsaris* vitâ per *Julium Celsum* nuper editâ à Cl. *Grævio.*

II. De editi à Cl. *Rigaltio Commodiani* ætate.

ad Virum Clarissimum

JOHAN. GEORGIUM GRÆVIUM,

Julii Celsi *Editorem.*

Viro *Eruditiſſimo*, & inſigni *morum* candore Ornatiſſimo,

JOH. GEORGIO GRÆVIO,

HENRICUS DODWELLUS

S. P. D.

NON accidit, ut opinor, incommodè, ut libelli noſtri *moles* de *Appendice* addendâ conſilium ſuggeſſerit. Dedit enim (quam optabam) anſam, amicitiam noſtram (qua me *nuper* es dignatus) publico monumento *Poſteris* teſtatam faciendi. Nec diſplicebit utriuſque Diſſertationis fortaſſis Argumentum. Patrum *Ante-Nicænorum* fidem, non eſt quòd dubitemus, in re *Theologicâ* eſſe graviſſimam, maximique proinde faciendam. Eóque *magis*, quo quiſque *propriùs* ad Chriſtianæ noſtræ Religionis *Origines* acceſſiſſet. Itaque non malè de *Commodiano* meruiſſe videbimur, quòd illum fecerimus (quàm vulgò hactenus habetur) *antiquiorem*, & *Cypriano*, quàm *Silveſtro*, propiorem. Sic autem *Rigaltii* (cui ipſum debemus *Commodianum*) *errorem* emendavimus, ut *noſtros* cupimus à *poſteris* emendari. Salvâ nimirum Viri verè Magni *famâ*, rem tamen literariam *promovendam* exiſtimavimus. Magis enim memoriam ejus, ob *præclara*, quibus rem literariam

terariam locupletavit, inventa *colendam* cenſui, quàm ob *errores*, in Argumento tam fallaci, deturpandam. Ego ſiqua *rectè*, omnia ad *Deum* accepta retulero. Mihi, ſiqua non *abſurdè*, ſatis erit ſi à *poſteris*, pro *laude*, *veniam impetravero*. Eſt enim certè, in his quoque literis, εὑρεμάτα quædam *humano* ingenio major, nec ſine *numine* propitio, capienda. Inde evenit, ut ſæpe *temere imprudenteſque* in ea impingamus, quæ uullo *ingenii* niſu *antea* aſſequi potuimus. Inde, ut *tardi* ea frequentiſſimè reperiant, quæ negata fuerant *ingeniis* florentiſſimis, *ſuî* tamen *fiduciâ* tumentibus. Sic enim ſolet numen *faſtum humanum* reprimere, ne quis *ſibi* quicquam, *Deo* autem tribuat omnia. Hoc Ego ſæpe miratus ſum in *Scaligero* & *Petito*, ingenioſiſſimis quidem, & Rei *Chronologicæ* ſtudioſiſſimis, tam rarò tamen illos ſcopum, quò collineant, attingere in ipſo illo ſtudio *Chronologiæ*. Hæc tamen obiter. *Prioris* autem *Diſſertationis* Argumentum *Tibi* debet orbis literarius. Editus quidem fuerat ſuperiori Seculo Scriptor ille tuus de *Vitâ Julii Cæſaris*, ſub nomine *Julii Celſi*. Sic tamen paucis *innotuerat*, ut latuerit etiam *Eruditiſſimos*. Itaque Tibi *tua* tantummodo remittimus. Sufficitque hæc cauſa, vel *ſola*, cur *Te* potiùs, quàm alium quemvis, noſtræ lucubratiunculæ *Patronum* ambirem. Æqui Tu bonique conſules quæ eo animo ſcripſi, palam ut conſtaret quanto apud me

me in pretio tua habeatur *Amicitia*. Vale, Vir ornatiſſime, meque, ut cœpiſti, amare perge. Scribebam *Shottisbrochiæ* in agro *Bercherienſi*. IV. Id. *Januar*. Ær. *Chriſt*. receptæ anno MDCXCVII.

DIS-

DISSERTATIO MISCELLANEA I.

DE *JULII CÆSARIS VITA* PER JULIUM CELSUM,

nuper editâ à Cl. *Grævio.*

AUCTOR *Prologi* ad Librum de Bello *Gallico* VIII. *Cæsaris Commentarios* digessit supplevitque ad *Cæsaris* ipsius *cædem*, ab eodem *initio* à quo & *noster*. §. I. Idem à nonnullis creditus cum *Julio Celso* §. II. Noster *plures* illius Corporis Auctores fuisse censuit, quorum *unus* fuerit *Julius Celsus*. §. III. Malè ergo, præterque sententiam *Excerptoris*, Historia *Cæsaris* universa hic excerpta *Julio Celso* assignatur. §. IV. Unde sit factum ut hanc *Cæsaris* vitam *Celso* tribuerint Auctoris temporibus *proximi* Scriptores. §. V. Auctor *Prologi* ad Librum de Bello *Gallico* VIII. *Hirtius* potius fuisse videtur quàm *Oppius*. §. VI. Idem Auctor Librorum *sequentium* de Bell. *Alex. Afric. Hisp.* Sed post *Cæsaris mortem*. §. VII. Librum *Hirtii* de Bello *Africano* multis post *Hirtium* Seculis interpolavit *Julius* fortasse *Celsus*. §. VIII. Itidem

dem factum in Libro *Hirtii* de Bello *Hiſpanico*. §. IX. Erat certe *Hirtio Julius Celſus* multo *junior*. §. X. Noſter hic Anonymus *Celſo* ipſo multo *junior* erat. §. XI. De illo nonnulla. §. XII. De Operis *forma*. §. XIII.

DISSERTATIO MISCELLANEA II.

De editi à Cl. *Rigaltio Commodiani* ætate.

Silveſtri Pontificis temporibus nullæ erant, quæ hujus Scriptoris ætate erant, *Gentilium Perſecutiones*. §. I. Numerat Auctor annos à Chriſto *ducentos*. Quod *Cypriani* magis ætatem deſignat, quàm *Silveſtri*. §. II. Quæ habet de *Schiſmatibus* & *Perſecutionibus*, ad tempora *Cypriani* ſpectant. §. III. Alia *Commodiano* communia atque S. *Cypriano*. §. IV. Non tamen arguunt *ducenti* illi à Chriſto anni *Cypriano* antiquiorem fuiſſe *Commodianum*. §. V. Nihil de *Silveſtro Epiſcopo* habet *Commodianus*. Sed de *Gentilibus* loquitur ſub Metaphora *Taurorum ſilveſtrium*. §. VI. Ad *Silveſtrum Epiſcopum* ne quidem *poſſunt* referri verba *Commodiani*. §. VII. Defenditur noſtra *Commodiani emendatio*. §. VIII. De *Commodiano* ipſo nonnulla.

DISSERTATIO MISCELLANEA I.

De *Julii Cæſaris* vita per *Julium Celſum* nuper edita à Cl. *Grævio*.

§. 1. Auctor *Prologi* ad Librum de Bello *Gallico* VIII. *Cæſaris Commentarios* digeſſit ſupplevitque ad *Cæſarem*

E *Prologo* ad Librum Belli *Gallici* VIII. alium illius Libri à *Cæſare* Auctorem fuiſſe colligitur, qui tamen *Cæſari coævus* videri volebat, & in rebus à *Cæſare* geſtis verſatiſſimus. Id

quoque colligitur, exceptis Belli *civilis* Libris, reliquos præterea omnes de Bellis *Cæsaris* ab eadem fuisse, cujuscunque demum illa fuerit, manu. Eundem scilicet de Bello scripsisse *Alexandrino* atque *Africano*. Hoc enim sane testatur Auctor ille verbis satis disertis. Idem addit se *imperfecta ab rebus gestis Alexandriæ* usque ad *exitum vitæ Cæsaris* perduxisse. Itaque tam & illa quæ habemus de Bello *Hispanico*, quam & alia quoque quibus caremus, ad cædem *Cæsaris*, similiter conscripserit. Et quidem ab eodem exordio, unde hic *Excerptor*, vitam *Cæsaris* auspicatur. *Proœmii* enim vicem præstant quæ hinc inde corrasit de rebus hujus Imperatoris Bello *Gallico* antiquioribus. Opus autem, quod præcipue in animo habebat, à Bello *Gallico* p. 15. ipse exorditur. Hoc enim innuunt verba ejus illa: *illa gessit, de quibus ipse jam hinc agere aggrediar.*

ipsius *eadem*, ab eodem *initio* à quo & *noster*.

Iisdem ergo terminis Historiam *Cæsaris* coucluſit Auctor ille *Præfationis* ad Librum Belli *Gallici* VIII. ac noster ille, cujus Historiam excerpsit sequentis Operis concinnator, *Julius Celsus*. Imo ipse ille *Julius Celsus* illius *Præfationis* Auctor habebatur. Certè qui *Præfationem* illam sequebatur Libri Belli *Gallici* VIII à *Julio Celso* p. 148. hujus Editionis scriptus asseritur. Ibi enim *Scholion* illud legimus: *Hic incipit Octavus Commentariorum Liber, quem fecit Julius Celsus. Septem autem primos, & usque ad hunc passum, fecit ipse Cæsar, quamvis hic Auctor aliquot in locis contradicit. Et male Cicerone teste, & ipso Celso in Prologo suo &c.* Alium fuisse constat hujus *Scholii* Auctorem ab Operis in quo versamur, Auctore, quem refutat, erroriſque convincit. Observavit enim hunc nostrum, quicunque fuerit, Anonymum, de eo dubitare septemne Libros Belli

§. 2. Idem à nonnullis creditus cum *Julio Celso*.

Gallici

Gallici priores *Cæſar* ipſe exaraverit. Recte quidem hoc obſervavit *Scholiaſtes.* Nec enim hujus Hiſtoriæ Auctor, dum in rebus verſatur priorum ſeptem Librorum, *Cæſarem* tamen *Auctorem* agnoſcit, ſed alium potius (neſcio quem) Anonymum p. 120. *Qua in parte* (inquit) *prætereundum non videtur illud memorabile, quod nec Scriptor à quo ante alios iſta decerpimus ſibi prætereundum exiſtimavit ſub oculis ſuis geſtum.* Is certe quem *ante alios excerpſit*, alius à *Cæſare* eſſe non potuit. Et in ea plane Hiſtoriæ parte hoc in loco Auctor occupabatur, quæ ad Librum Belli *Gallici* ſpectabat VII. Hunc ergo *Ciceronis* teſtimonio è *Bruto* ſcilicet depromto refellit Scholiaſtes. Poterat etiam alios veterum teſtes, ſi ita libuiſſet, adjunxiſſe, *Aſinium Pollionem*, *Strabonem* atque *Plutarchum*, exceptione majores. Opponit etiam *Celſi* ipſius teſtimonium è *Prologo* ſuo. *Prologus* ille non alius erat ab eo quem VIII. Belli *Gallici* Libro præfixum legimus, cujus proinde *Celſum* Auctorem ſimiliter agnoverit *Scholiaſtes.* Huc enim ſpectant *Prologi illius* verba, quibus *Prologi Auctor*, *Cæſaris* ſui *Commentarios* ſe *rerum geſtarum Galliæ non comparandos ſuperioribus, atque inſequentibus ejus Scriptis, contexuiſſe* profitetur. Cur autem Libros de Bello *Gallico* priores à *Cæſare* alienaret, ea erat, ni fallor, in promtu ratio. *Julium Celſum* in illorum fine *ſubſcribentem* obſervaverat, quam ſubſcriptionem ille facili errore ita intellexerit, quaſi *ſcripſiſſet.* Libros illos ipſe *Celſus*, non autem tantummodo *ſubſcripſiſſet.* Sic autem illum intellexiſſe verba ejus illa docent: *Julius autem Celſus Comes, & qui rebus interfuit, Eburonum in finibus factum refert*, p. 82. Sic ille de cæde *Cottæ* & *Sabini.* Itaque *Celſum* ipſum pro illorum Librorum Auctore habuit noſter hic conſarcinator. Ad Libri enim de Bello *Gallico* V. Hiſtoriam p. 104. ſpectabat illa cla-

des. Inde factum ut de *Cæſare Auctore* dubitarit.

§. 3. Noſter *plures* illius Corporis Auctores fuiſſe cenſuit, quorum *unus* fuerit *Julius Celſus.*

In eo præterea diſcrepabat à prædicto *Scholiaſte* noſtræ Auctor farraginis. Qui *Prologi* prædicti ſcriptorem *Julium Celſum* cenſuerat *Scholiaſtes*, is Librorum omnium de rebus *Cæſaris*, quos quidem non ſcripſerit ipſe *Cæſar*, communem Auctorem *Celſum* habuerit oportet, cum *Prologi* Auctor *Cæſaris* ſcripta ad *mortem* uſque *Cæſaris* ſe ſuppleviſſe teſtetur. Noſter autem Librorum de rebus *Cæſaris* omnium excerptis ſuum Opus acceptum refert. Sic tamen, ut præter ipſum *Cæſarem*, Librorum illorum *varios* conditores fuiſſe exiſtimarit. Hoc certe innuunt illius verba p. 255. *de eorum morte aliter ſcripſerint qui rebus interfuerunt.* Quaſi nimirum uno plures fuiſſent qui Libros *Cæſaris* ſuppleverint. Loquitur autem de morte *Afranii* & *Fauſti Sullæ*, quæ ad Libri de Bello *Africano* Hiſtoriam ſpectabat. Sic item alibi noſter de ſuæ Hiſtoriæ Auctoribus: *Sed & Libros ſcripſit rerum ante alios ſuarum, qui ab aliis, qui rebus ipſis interfuerant, digeſti ſunt, & in lucem editi, unde horum, quæ de rebus Cæſaris ſcripſimus, maxima pars decerpta eſt*, Ita p. 248. Librorum nomine qui de *rebus* agebant *ante alios ſuis*, vix potuit alios intelligere ab illis qui de Bello *Gallico* agebant. Hi enim Libri in hac Librorum decerptorum ſerie occurrebant omnium *primi*. Revocaſſe itaque in memoriam videtur Auctor, non *ſcriptos* illos à *Julio Celſo* fuiſſe Libros, ſed tantummodo *ſubſcriptores*. Varios autem Auctores à ſe decerptos etiam alibi agnoſcit. *Negare*, inquit, *non poſſum, quin in Republica juvenis paulo impetuoſior, & Principatus ſemper appetentior fuerit, quam ſat eſt, ne ſi hoc negem, ipſe meis ſcriptis arguar, & his Auctoribus, unde illa decerpſerim.* p. 246. Hinc ſane manifeſtum eſt, non pro *Julio Celſo* ſeſe venditaſſe

taſſe *noſtrum*, ſed pro *Excerptore* Auctorum omnium qui *Cæſaris* ipſius *Scripta digeſſerint ediderintque*; è quibus *unum* fuiſſe crediderit *Julium Celſum*. Et male adeo à *Julii Celſi* ætate de noſtri Auctoris ætate ſtatui, quod tamen volebant *noſtrates* editores.

§. 4. Male ergo, præterque ſententiam *Excerptoris*, Hiſtoria *Cæſaris* univerſa hic excerpta *Julio Celſo* aſſignatur.

Noſter certe qui *variis* Auctoribus prædictam Librorum *ſeriem* tribuendam exiſtimavit, proinde univerſam *Cæſaris* Hiſtoriam *Julio Celſo* tribuere ne quidem potuit. Rectèque adeo obſervaverit Editor Cl. *Grævius*, nullam occurrere in editione principe anni 1473. *Julii Celſi* mentionem. Partes autem noſter, ni fallor, ita diſtribuit. Libros priores de Bello *Gallico Julio Celſo* tribuit p. 82. ut vidimus. In Libro autem VIII. ejuſque *Prologo*, hæſit fortaſſe, quod *Auctor* fuerit, apud veteres, incertus. Alii enim illum *Oppio*, alii *Hirtio*, aſſignabant, ſi quidem fides hodierno *Suetonio*. Illius tamen *Prologi* verba quædam pro *Hirtii* verbis idem recitat *Suetonius*, *Jul.* c. 56. Hodierni Codices titulum illius exhibent adhuc monſtroſiorem: *Scriptore A. Hirtio Panſa*. Neſciis ſcilicet Librariis duos fuiſſe, licet collegas, in *Conſulatu*, quorum alius *A. Hirtius*, alius *Vibius Panſa* fuerit appellatus. Sed pluſquam *unum* Prologi Scriptorem ne quidem *verba illa* patiuntur, nedum ſequentis *Prologi*. Sic tamen noſter Librorum, qui ab illo *Prologo* pendent, teſtimonio utitur, ut numero *plurali* Auctores eorundem deſignarit. Si quidem ita ut *plures* fuiſſe cenſuerit, ut *Hirtium* & *Celſum*, & fortaſſe *Panſam*, pro Auctoribus habuerit. Magis tamen eo propendeo, ut propterea ita locutus fuerit, quod de *uno* illo Auctore plures fuiſſent Eruditorum ſententiæ, quorum ſingulæ alium aliumque *hominem* pro *unico* illo habuerit *Auctore*. Belli autem *Civilis* Libros Auctori alteri quam *Julio Cæſari*, ne quidem

dem noſter aſſignavit. *Cæſarem* ait *de ſe optime meritum Craſſinum*, in prælio *Pharſalico prædicaſſe*, p. 128. Occurrit autem illud *Cæſaris* præconium Bell. *Civil.* L. III. p. 323. Suffragantur *Sueton. Jul.* c. 56. Auctor *Prologi* in L. Bell. *Gallici* VIII. Sic omni prorſus fide digno teſtimonio deſtituta eſt ſententia *Floridi Sabini* & *Ludovici Carrionis*, quæ *Cæſarem* Libris illis *ſpoliavit*. Recte ergo noſter, uti vidimus, ſuorum partem *maximam* ex ipſis *Cæſaris* Libris decerptam agnoſcit. Si ſcilicet Librorum utrorumque tam de Bello *Gallico* quam *Civili Cæſarem* Auctorem exiſtimarit. Nec enim in Libris Belli *Gallici* à *Cæſare* alienandis conſtantem illum fuiſſe probavimus. Habuit autem etiam, præter Libros *Cæſaris* à *coævis digeſtos*, utque cenſuit noſter, *auctos*, alios præterea Libros, unde nonnulla decerpſerit: *Cæſaris* imprimis *Epiſtolas* nondum, ut videtur, *Ciceronianis* immixtas. Et Ciceronis præterea Epiſtolas, præſertim ad *Atticum*, & *Criſpi* etiam *Saluſtii* Hiſtorias, & *Suetonium*, & *Florum*. Potuit ergo ex univerſa illa Librorum *Cæſaris* à *coævis* digeſtorum auctorumque ſerie *partem* duntaxat *maximam* decerptam agnoſcere. Hinc ergo alienus probatur ab Auctoris noſtri mente Titulus ille qui hodie præfixus legitur, qui vitam *Julii Cæſaris* univerſam *Julii Celſi* duntaxat *Commentariis* acceptam refert.

§ 5. Unde fit factum ut hanc *Cæſaris* vitam *Celſo* tribuerint Auctoris temporibus *proximi* Scriptores.

Et tamen titulum illum ipſum agnoſcunt *coævi* noſtro proximorumque temporum Scriptores, *Sariſberienſis* imprimis omnium antiquiſſimus, ut è teſtimoniis colligitur. Ne quidem id abſurde, pro ipſorum hypotheſibus. A *Julio* quippe *Celſo* ſolo *Cæſaris Commentarios* omnes *digeſtos* editos auctoſque agnoſcentes, ut ex illo conſtat *Scholiaſte*. Genuinorum *Cæſaris* Commentariorum digeſtionem editionemque ex illis quas ad ſingulos genuinorum

norum Commentariorum Libros subjectas repererant, *Julii Celsi* subscriptionibus colligebant. Alios autem Libros eidem tribuendos esse constabat, cum illum *Prologi* sæpe memorati Auctorem esse passim jam esset in confesso. Pollicebatur enim *Prologi* illius Auctor Libros de Bello *Alexandrino*, *Africano*, & *Hispanico* ad *mortem Cæsaris* perducendos. Itaque qui *Prologi* Auctorem *Celsum* existimabant, consentaneum erat ut illorum quoque Librorum non alium utique Auctorem agnoscerent. Ita digesserit *Celsus* suppleveritque ad *cædem Cæsaris* Librorum illorum seriem omnem, unde *vitam Cæsaris* noster excerpserit. Pari ergo ratione nostri operis Auctor habendus fuerit, qua Auctoris excerpti nomen ipsa sæpe ferunt excerpta. Sic *Stephani* nomen hodieque retinent excerpta *Hermolai*. Sic *Artemidori Ephesii* nomine testimonia profert is ipse *Stephanus* è Libris *Artemidori* per *Marcianum Heracleotam* in Epitomen redactis. Mitto jam *Photii* in Bibliotheca excerpta Auctorum unde excerpebantur nominibus insigniri solita. Latiora quoque ejusdem *extra* Bibliothecam excerpta, vix fere alio quam *Philostorgii* nomine, in testimonium adducuntur. Sæpe item *Trogus Pompeius*, non *Justinus*, pro rebus è *Trogo* à *Justino* excerptis testis advocatur. Quanquam ergo *Julii Celsi* nomen Operi suo non præfixerit hujus Collectionis Auctor; non tamen absurde hoc titulo illum laudant Coævi proximique illius Seculo Scriptores.

§. 6. Auctor *Prologi* ad Librum de Bell. *Gallico* VIII. *Hirtius* potius fuisse videtur quam *Oppius*.

Si quidem recte habeat locus *Suetonii*, jam *tum* extitterint oportet Libri omnes quos pollicetur Auctor *Prologi* ad Librum Belli *Gallici* VIII. Noudum autem, ut videtur, sub nomine *Julii Celsi*, sed *Oppii* duntaxat & *Hirtii*. Erantque sane ambo illi *Cæsari* satis familiares. Cur autem

autem *Oppio* tribuerentur, eam causam satis verisimilem mihi videre videor, quod Auctor ille quicunque demum is fuerit, *Balbo* Prologum suum inscripserit. Erant enim sane *Oppius* atque *Balbus* necessitudine aliqua, quam nescimus, ut videtur invicem conjunctissimi. Forte officii alicujus causa utriusque curæ à *Cæsare* crediti. Certe *utrique* inscriptas nonnullas Epistolas *Cæsaris* habemus hodieque Libro *Ciceronis* ad *Atticum* IX. Et Libros fuisse *Epistolarum* ad utrumque docet *Gellius* L. XVII. Noct. Attic. c. 9. qui rationem addit, quod *res ejus absentis curarent. Literas curasse* docet *Cicer.* III. ad *Quint.* fr. Ep. 1. Se autem Bello *Alexandrino* atque *Africano abfuisse* lubens agnoscit *Prologi* Auctor. Sed *absentia* illa *Cæsaris*, erat in *Gallia*, si quidem ex *Epistolis* à *Cicerone* conservatis liceat de reliquis augurari. Spectant enim illæ ad prima Belli *Civilis* initia. Ex his igitur *Epistolis* ad *Oppium* datis rerum gestarum memorias accipere potuit, siquis junior *Oppii* nomine Libros edidisset. Ita fiet, ut pari fide dignæ sint rerum gestarum narrationes, seu hos Libros ipse exararit *Oppius*, seu *junior Oppio* quispiam collegerit è *Cæsaris* Epistolis *Oppio* inscriptis atque *Balbo*. Certe *Oppio* res *Cæsaris* etiam *arcanas* fuisse exploratissimas, ex eo Libro colligitur quem scripsisse testatur *Oppium Suetonius* Jul. c. 52. ut probaret *non* fuisse *Cæsaris filium quem dixerit Cleopatra*, nempe *Cæsarionem*. Minus tamen idoneus fuisset *Oppius* ad scribendum de hoc Argumento, si ipse quoque Bello *Alexandrino* non interfuisset. Melius ergo, hac de causa *Hirtium* hujus *Prologi* Auctorem existimabimus. *Oppii* enim testimonio de filio *Cæsaris* pugnabat etiam *Antonius*. Vix ita certe facturus nisi *Alexandriæ* cum *Cæsare* adfuisset. Nescio etiam an hic fuerit *Oppius* legatus cujus mentio in Bello *Africano* c. 68. Et certe *Hirtio* magis favet

ipse

ipse *Suetonius*, dum *Hirtii* nomine *verba* ex illo ipso advocat Prologo, quæ hodieque ibi reperiuntur.

§. 7. Idem Auctor Librorum *sequentium* de Bell. *Alex. Afric. Hisp.* Sed post *Cæsaris mortem.*

Sic ergo res, ni fallor, habuerit. Primus Auctor prædicti *Prologi* qui *Cæsaris* scripta *digessit* pariter ac *supplevit*, non *Oppius* fuerit, sed *Hirtius*, qui proinde ibidem ubi *Balbus* fuerit, quod *assiduis* illius non literis, sed *vocibus*, *coactus onus* illud *scribendi* susceperit. Scripsit ergo *Hirtius Prologum* ad amicum Cæsaris *Cornelium Balbum Gaditanum* ditissimum. Et in *Prologo Commentarios* à se scriptos supponit *rerum gestarum Galliæ non comparandos superioribus*, *atque insequentibus* Cæsaris *scriptis*. Hi *Commentarii* alii esse non poterant ab VIII. qui *Prologum* proxime excipiebat Belli *Gallici* Libro, medio nimirum inter Libros *Gallici* Belli priores, quos censet *superiores*, & Libros Belli *Civilis* quos pro Scriptis ejusdem *Cæsaris* habet *insequentibus*. Sic nihil habent quo se tueantur *Floridus Sabinus* & *Ludovicus Carrio*. Hunc librum se *contexuisse* testatur *Hirtius*. Proinde jam antea scriptum, & *medio* tamen illo, quem dixi, loco dispositum. Hæc erat nimirum Scriptorum Cæsaris *digestio* illa de qua loquitur noster tot Seculis recentior, qua sua Scriptis ipsius Cæsaris *media* contexuit coævus *Hirtius*. Noster etiam *editos in lucem* Libros *Cæsaris* testatur ab aliis qui *rebus ipsis interfuerant*. Unde hoc? Nempe ex illis *Prologi* verbis: *qui sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset*. Sed perperam noster intellexit, si tum primùm *editos in lucem* Cæsaris Commentarios censuerit cum *Prologum* scriberet *Hirtius*. Nempe post *mortem* Cæsaris. Imo jam antea in clara luce fuisse versatos è *Ciceronis* constat *Bruto*. Imo ex hoc ipso *Prologo*. Jam enim *probatos omnium judicio* testatur, jam *in omnium admiratione* fuisse

quaſi bene emendateque ſcriptos. Non ergo de *ſua*, ſed *Cæſaris*, editione loquitur *Hirtius*, cum illud Editionis conſilium agnoſcit, tantum *ne ſcientia tantarum rerum Scriptoribus deeſſet.* Exprimunt hæc verba *Cæſaris* potius de ſuis Scriptis agentis *modeſtiam*, quam *Hirtii* de iiſdem *admirationem.* Idem *Prologi* Auctor *noviſſime imperfecta* ab rebus geſtis *Alexandriæ* ad finem vitæ *Cæſaris* ſe confeciſſe teſtatur. Proinde jam una cum *Prologo* Libros ſuos jam penitus confectos de Bello *Alexandrino*, *Africano*, Auctor emiſerit. Imo de Bello etiam *Hiſpanico*, (quanquam illius in *Prologo* non meminerit) quod prædictam Epocham, quæ ad *Cæſaris mortem* uſque pertigit hoc quoque Bellum anteceſſerit.

§. 8. Librum *Hirtii* de Bello *Africano*, multis poſt *Hirtium* Seculis interpolavit *Julius* fortaſſe *Celſus.*

Et tamen, præter *Hirtium*, alium ſaltem fuiſſe cenſet noſter, qui *Cæſaris* Scripta ad ejuſdem cædem ſuppleverit. Ita certe loquitur quaſi ſaltem uno *plures* hoc idem officium præſtiterint. Quonam vero id pacto verum eſſe potuit, ſi quidem ad ipſam *Cæſaris cædem* res geſtas *Cæſaris* perduxerit *Hirtius*? Nempe, ut opinor, quod *A. Hirtii* nonnulla perierint, ſuppleta à *Julio Celſo*, alieniſſimaque ab *Hirtii* mente ſententia interpolata. Bello certe *Africano* atque *Hiſpanico* multa legimus quæ vix *ævi*, quo vixit *Hirtius*, eſſe potuerint, nedum ipſius *Hirtii.* Et tamen viceverſa nonnulla quæ *coævum* ſtylum ſapiant, non autem illum qui à juniore fuerit *interpolatore.* Ab *Hirtii* etiam vel *ætate* in Libro de Bello *Africano* abhorret uſus vocis *Imperator*, quo ſæpe diſceptatum dicit Auctor quis eſſet pro *Populi Romani Imperatore* agnoſcendus, *Cæſar* an *Scipio.* Quaſi nimirum *unicus* eſſet *Populi Romani* ut poſtea, *Imperator*, qui rei ſummæ præeſſet. Hoc autem Seculo qui ſingulis *Romanæ* ditionis *Provinciis* præerant cum *Imperio*, ſeu cum

jure

jure gladii; ii *Imperatores* habebantur. Vix tamen ita appellabantur niſi ob res geſtas *Imperatores* ab exercitu fuiſſent acclamati. Sic autem *Cæſarem Imperatorem* ne quidem poterant negare *Pompeiani*, cui Dictatura fuerat è ſententia *Senatus Populique Romani* delata; quique etiam ab exercitu *Imperator* fuiſſet *appellatus*. Sed nec illud *coævi* fuiſſe videtur, quod menſe, quo *Cæſar* in *Africam* appulit *Januario*, ſcribit Auctor *per anni tempus in mari claſſes ſine periculo vagari non potuiſſe. Octobris* enim *Juliani* die XIII. cœpit anni confuſionis 708. ille *Januarius*, exiitque ante *Nov.* XI. quo *hædi* oriebantur, quo *ortu* cœpit Epocha *maris clauſi*. Quod porro ait Centurionem *Cæſaris* XXXVI. annis pro Cæſaris *dignitate victoriaque depugnaſſe*, ita manifeſto falſum eſt, ut ægre ſcribi potuerit à coævo. Detrahantur à prædicto *Confuſionis* anno 708. anni 36. reliquus erit annns U. C. *Varronian.* 672. quo ſub *Cæſare* mereri cœperit. Atqui certum eſt primam *Cæſaris* Provinciam fuiſſe ex *Prætura*, anno *Varr.* 692. Doluit præterea *Cæſar* teſte *Suetonio*, c. 7. quod *nihil dum à ſe memorabile geſtum eſſet in ætate qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet.* Ætas illa erat ann. 33. ut præter alios docet etiam *Cicero* Philipp. V. Natus eſt *Cæſar* IV. Id. *Quintil.* ann. *Varr.* 654. Sic annum 33. abſolverit anno demum *Varr.* 687. ineunte *Quintili*, annis poſt prædict. 672. *quindecim*. In hoc tamen numero conſentiunt *editiones exſcriptoreſque*, in quibus & noſter, ne dubitemus ab *Interpolatore* ita ſcriptum eſſe. Hic idem Liber *Q. Ligario vitam in Africa conceſſam* eſſe narrat, c. 89. Quod tamen certiſſimo falſum eſſe conſtat, ex inſigni *Ciceronis*, poſt *reditum Cæſaris*, Oratione pro *Ligario*. *Coævi* Scriptoris tam craſſus error eſſe vix potuit. Et L. *Cæſari* vitam à *Julio*, facileque conceſſam vult Auctor Belli *Africani*. Contra *Dio* L. XLIII.

contra *Sueton.* Cæs. c. 75. contra coævus *Cicero.* Mitto rem quam Auctor ipse *incredibilem* fatetur, ab Equitibus *Cæsaris* minus XXX. *Gallis Maurorum equitum duo millia loco* esse *pulsa.* Mitto provocationem Centurionis prædicti, ut cum suis *decem* cum *cohorte Scipionis firmissima concurreret.* Hæc plane *fabulatorum* genium sapiunt potius quam prudentissimorum, quibus Seculum illud politissimum abundabat, Scriptorum. Huc etiam & illud refero c. 70. quo dicit, *Cæsaris si non amplius tres aut quatuor milites veterani se convertissent, & pila viribus contorta in Numidas infestos conjecissent, amplius* II. *millium numero ad unum terga vertisse.* Sunt etiam in *dictione* plurima, quæ nemo peritus harum rerum Censor ad *Cæsaris* vel *ætatem* retulerit: c. 12. *galeari.* Non me fugit illud, sed Poetæ: *galeatum sero duelli Pœnitet.* S. *Hieronymi Prologus galeatus* serior est. Cap. 31. *ignota peccata* legimus, quibus *ignoscebatur.* Cap. 19. *innumerabilis.* Cap. 46. *cruciabiliter interfecti. Parvulam caussulam* c. 54. *Parvum Senatorum* c. 57. *Magnis copiis auxiliisque Regis præditi* c. 58. *Suppetias occurrere* c. 66, 68. Cap. 77. *commeatus.* Non à *castris* tamen, sed ad *castra.* Cap. 78. *ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundere.* Ibidem *satagere*, pro *prælio laborare.* Cap. 88. *mentem in fuga destinatam. Africanum* hunc Scriptorem, hisque temporibus *juniorem*, arguunt tot immistæ voces *Græcæ* atque *Hellenismi.* Qui mixto essent genere *Hybridas* appellat. c. 19. *Hippotoxotas* habet ibid. *Epibatas.* c. 20, 62, 63. *Catascopum*, c. 26. In *salo* esse huic Auctori c. 46, 62, 63. Tantundem valet quod *Græcis* σαλεύειν & διασαλεύειν, & de *navi* dicitur quæ liberæ fluctuum marinorum agitationi exponitur. Sunt in eodem Libro alia quæ coævorum peritiam sapiant. *Vergiliarum signum confectum* memorat post VI. Kal. *Feb.* c. 47.

Pro

Pro *vero* ſcilicet illius anni Kalendario quo *Feb.* 1. in *Novemb. Juliani* diem XI. conveniebat, quo *Pleiadum confectionem* refert *Plinius.* Aliter certe ſenſit hic Auctor quam Interpolator, qui etiam *Januarium* ab *Octob. Juliani* die XIII. incipientem *per anni tempus periculoſum* eſſe voluit *navigantibus.* Et quidem ita *periculoſum* ut mediis Belli caſibus *magis* tamen eſſet, quam *Bellum* ipſum, metuendus. Et manum etiam coævam accuratioremque indicant tot voces *militares*, aliæque *Technicæ*, magis hic vero *temporis decoro* reſpondentes quam pro captu junioris *Interpolatoris.* Librum ergo *Hirtii* de Bello *Africano* ad *Julii Celſi* ætatem perveniſſe puto. Sed *mutilum* fortaſſis, aut qui *Celſo* mutilus haberi poſſet. Hoc utique prætextu vel *ſuis*, vel neſcio cujus alterus *Fabulatoris* figmentis interpolavit.

§. 9. Itidem factum in Libro *Hirtii* de Bello *Hiſpanico.*

In Bello *Hiſpanico* adhuc pauciora *coævi* Scriptoris veſtigia ſunt, plura autem *Interpolatoris.* Et quidem ejuſdem qui Bellum *Africanum* ſuis commentis auxerat. Eadem in voce *facultas* elegantia quæ ſupra c. 12. *Eis ad ignoſcendum nulla eſt data facultas.* Cap. 40. *naves quæ in ſalo fuerunt.* Pro exemplo itidem à nobis ſupra obſervato. Nec diſſimiles alii occurrunt ſequiorum Seculorum Barbariſmi. Cap. 7. *reliquæ ex fugitivis auxiliares conſiſtebant.* Cap. 12. *bene magnum tempus.* Cap. 13. *ſimulque balliſta miſſa à noſtris turrem dejecit.* Cap. 16. *exiſtimabant eos poſſe conatum efficere.* Cap. 29. *adverſarii patrocinari loco iniquo non deſinunt.* Cap. 33. *libertum, qui fuiſſet ejus concubinus.* Cap. 39. *gradiebatur Hiſpalim.* Cap. 42. *provinciam depopulavit.* Et præter morem horum Scriptorum *Ennii* Poetæ fragmenta advocat, c. 23, 31. Illa vero quam inepta quibus tamen *Cæſaris*, ſummi prudentiſſimique Oratoris, Perſonam agit hic Sophiſta: *An me deleto, non animadvertebatis X habere legiones Populum*

lum Romanum, quæ non ſolum vobis obſiſtere, ſed etiam cœlum diruere poſſent? *Declamatoris* illa non *Oratoris* affectatio eſt. Dixerunt quidem *Germani, Suevis* ſuis *ne Deos quidem immortales pares eſſe potuiſſe.* Bell. *Gall.* L. IV. c. 10. Sed *Barbari* illi, non *Romani.* Inter *Ciceronianas* multorum coævorum legimus *Epiſtolas*, nullam tamen quæ cothurnum illum ſapiat. Nullum erat, *ætate Cæſaris*, otium iſtiuſmodi ingenii *luſibus*, cum de rebus *ſeriis* momentoſiſque, de *vita fortuniſque* clientum vel *fama* agerent *Oratores.* Sunt nihilominus primævi Auctoris *Hirtii*, etiam in hoc Opere veſtigia. Quæ habet communia cum aliis bonæ fidei Auctoribus non aliunde emanaſſe cenſeo. Imprimis illud, quod *Cæſarem* dicat *Dictatorem* III. *deſignatum* IV. non (ut vult Auctor alioquin accuratiſſimus in Hiſtoria *Romana Sigonius*) anno quo *Africam* recepit, ſed quo Bello *Civili* in *Hiſpania* finem impoſuit, *Varr.* ſcilicet 709. Sic enim *coæva* marmora *Capitolina* atque *Colotiana.* Sic etiam coævi numi. Imo Auctor quem ſequebatur *Plutarchus.* Melius ſcilicet quam alii, etiam *veteres*, nec ab hoc Seculo admodum remoti, qui *dictaturam Cæſaris* unitate faciunt *Auctiorem.* *Hirtii* etiam Perſonam arguit, quod hoc toto Bello *Hiſpanico* ſic loquitur Auctor, quaſi ipſe *præſens* adfuerit, & *Cæſaris* partes fuerit amplexus. Prima fere Perſona *Nos*, inquit, & *Cæſarianos noſtros* appellat. Hoc nempe erat, quod in Belli *Gallici* Libri VIII. *Prologo*, ipſe monuerat *Hirtius*, ſibi ne illud quidem accidiſſe, ut *Alexandrino* atque *Africano* Bello intereſſet. Innuens proinde in reliquis Bellis ſibi quoque operam fuiſſe non inutilem. Non ita certe in Bello *Alexandrino* loquitur, aut *Africano.* Nuſquam ibi *prima*, ſed *tertia*, Perſona, *abſentis* nimirum potius quam illius qui rebus ipſe gerendis *interfuerit*, narrationem inſtituit. Nec puto

hoc

hoc prævidiſſe *Interpolatorem*, in reliquis adeo *Perſonæ*, quam ſuſtinuit, incautum atque obliviosum.

§. 10. Erat certe *Hirtio Julius Celſus* multo junior.

Recentiorem ergo illum *Hirtii Interpolatorem* Ego *Julium Celſum* fuiſſe arbitror. In eo ergo *recte* noſter *plures* fuiſſe cenſet, qui *Scripta Cæſaris à ſe digeſta in lucem ediderint*. In eo *non recte*, quod omnes *rebus* ipſis gerendis *interfuiſſe* exiſtimarit. *Interpolatorem*, quicunque demum is fuerit, *juniorem* fuiſſe jam probavimus. Et *juniorem* fuiſſe *Julium Celſum* pauca quoque illius coæva monumenta docent quæ illius meminerit. Hoc certo probat ſubſcriptio ejus illa quæ *Conſtantinopolitanum* illum agnoſcit. Si *Conſtantinopolitanus* fuerit, & ſtylo tamen ſcripſerit *Africano Græco-Latino*; facile inde ſuſpicamur, *Juſtiniani Magni* initiis fuiſſe ſeriorem, cum jam *Beliſarius* ſub *Græci* Imperatoris jugum Provinciam illam, alioqui jam *Latinam*, victo captoque *Gelimere*, redegiſſet. Illo certe Seculo feliciſſimo quod *Procopium* dedit & *Agathiam*, & *Facundum*, expergefacta eſt quaſi è veterno quodam politior eruditio. Proinde non eſt quod miremur, ſi, qui, coævo *Hirtio* impar fuerit *Interpolator*, idem tamen, præ ſequenti Barbarie, videri poſſit elegantior. *Coævum* certe non erat cognomen illud *Conſtantini*, quo inſigniunt Subſcriptiones. Vix puto etiam V. C. ſeu *virum conſularem* denotaret, ſeu (quod eodem redit) *Virum Clariſſimum*, quo titulo, apud juniores, non alii appellabantur quam *Conſulares*. *Cæſaris* certe temporibus ægre vel cognomen *Celſi* in gente *Julia* reperiemus. Cur autem *coævus* crederetur *Cæſari Celſus* ratio nulla erat, ut opinor, alia quam quod qui Libros poſtremos ſcripſit, is idem *Prologi* ad Librum Belli Gallici VIII. Auctor haberetur, quem *coævum* Prologi *verba* ipſa ſupponunt. Hæc autem quam infirma ſit, jam ſatis, niſi fallimur, oſtendimus.

Illud

Illud maxime mirandum pro *Celso* nostrum haberi potuisse, in quo tamen tot habemus notas ætatis, non *Julio* modo *Cæsare*, sed *Celso* ipso *junioris*. Is, tamen aliorum è *Scriptis* sua didicisse se ingenue profitetur, p. 58, 101. Is *Julium* ipsum *Celsum* testem advocat, & pro *Cæsaris comite* habet, p. 82. Jam fuit illi incomperta *Julii Celsi* ætas, à qua proinde ipsum longe abfuisse verisimillimum est. Ut *Principes* omnes *Cæsares*, ita *Aula* ipsa apud juniores *comitatus*, & *Aulici* omnes *Comites*. Sic potuit *Celsus Cæsari* esse *comes*, & falli tamen noster si inde *Julii Cæsaris comitem* illum fuisse collegerit. Noster porro se ne quidem pro Scriptore *primario* venditat, p. 120. 248. 255. Noster & nomina *locorum* alia, & *gentium* mores alios, agnoscit, pag. 68. 96. 172. Nec sane ullum habemus ante annum Ær. *Christ.* 1200. qui illius vel meminerit. Nec *multo antiquiorem* illum esse patiuntur nomina locorum Urbiumque admodum recentia. *Basileæ* p. 18. *Brabantiæ* p. 17. *Constantiæ* p. 18. *Flandriæ* & *Hannoviæ* p. 17. *Parisius* p. 18. Et pares nostro habemus, illo quoque Seculo *Sarisberiensem* & *Blesensem*. Recte ergo de tempore Cl. *Grævius*.

§. 11. Noster hic Anonymus *Celso* ipso multo *junior* erat.

Sic porro loquitur Auctor de *Britannia* p. 60. ut se *Britannum* non fuisse innuat. *Italum* fuisse suspicor, quod *puer* certe fuerit in *Italia*. Sic ille de concione *Cæsaris* ad *Rubiconem*. *Lapis, me puero, ostentabatur, fori medius ubi Cæsar concionatus ferebatur*, p. 170. Idem tamen per *Galliæ* partem maximam peregrinatus. *Regionum* (inquit) *illarum distantissimos fines fere omnes, nunc ex otio & solo videndi noscendique studio, nunc ex negotio circuivi*, p. 15. *Arduennam* certe silvam, quæ quingentis & eo amplius passuum millibus in longum patebat, in latum vero unius aut circiter

§. 12. De illo nonnulla.

citer æstivæ lucis itinere *Ego ipse* (inquit) *sum emensus*, p. 96. *Curiæ Romanæ* negotium illud fuisse verisimile est, quod effecerit ut *Italus Galliæ* tot provincias evagarit.

§. 13. De Operis *forma.*

Sed vero *formam* hujus Operis, præter sententiam Auctoris, mutavit prædicti *Scholii* Auctor, quem alium ab Auctore jam probavimus. Libros *Cæsaris* ab eo excerptos numeravit distinxitque invicem *Scholiastes*. Libri II. initium notavit, p. 42. Lib. III. autem, p. 41. Deinceps omittuntur Librorum aliorum initia usque ad L. VIII. quo cœpit *Hirtius*. Nec ulla deinceps occurrit Libri novi mentio. Facile inde suspicamur illorum quoque Librorum notas non ab *Auctore* fuisse, sed à *Librario Scholiaste*, quod non sint perpetuæ, nec sibi invicem conformes. Auctoris autem ipsius hæc fuit distributio. Res gestas *Cæsaris* ante Bellum *Gallicum Prologo* complexus est ad verba illa, p. 15. *Scripturus res Julii Cæsaris gestas in Gallia* &c. *Julii* autem *Celsi* Librum quo *Cæsaris* aliorumque coævorum Scripta digessit, in V. Libros distinctum fuisse docet Auctoris nostri temporibus proximus *Burleus*. Facile est augurari qualis ista fuerit distributio. I. nimirum Libro complexum esse Belli *Gallici* Historiam universam; II. Belli *Civilis*; III. *Alexandrini*; IV. *Africani*; V. denique ultimoque *Hispanici*, ad *eædem* usque *Cæsaris*, uti jam ostendimus. Hanc partitionem, si noster observarit Anonymus; facile esset partes illas, pro *Julii Celsi* mente, invicem secernere. Nulla tamen illius *vestigia* in hodierno illius Codice observamus. Fieri ergo potest, ut *Julii Celsi* potius illa distinctio fuerit, à quo sua noster *excerpserit*, quam nostri *Excerptoris*. Non tamen ita *Belli Gallici* Libros universos pro uno Libro habuit ipse *Celsus*, quin receptam Librorum partitionem, quæ singulis Libris *annos* etiam teste

Hirtio (L. VIII.) complectebatur, ipse etiam agnoverit, Lectorique suo observandam repræsentarit. Hoc enim docent illius *subscriptiones* Libris singulis subjectæ, *aliæ* invicem atque *aliæ*. Ita habent in Codice nostro *Oxoniensi* MS. Collegii *Corporis Christi*, quem ipsi consuluimus.

DISSERTATIO MISCELLANEA II.

De editi à Cl. *Rigaltio Commodiani* ætate.

§. 1. *Silvestri* Pontificis temporibus nullæ erant, quæ hujus Scriptoris ætate erant, *Gentilium Persecutiones.*

Commodianum hactenus *Silvestro Pontifici*, atque adeo *Constantino* M. coævum crediderunt eruditi. *Rigaltius* etiam eo tempore scripsisse suspicatur, quo sese in *Soractem* montem abdidisse Pontificem narrant fabulatores. Sed & *fuga* illa *Silvestri* ad *Soractem* nullo modo verisimilis est; & *aliena* sunt à temporibus *Silvestri* illa omnia quæ de suis temporibus habet *Commodianus*. *Silvestri* initium, *Januarii*, XXXI. *Volusiano* & *Aniano* Coss. Æræ *Christianæ* CCCXIV. anno; finem, *Januar.* I. *Constantio* & *Albino* Coss. anno CCCXXXV. tribuit Auctor certissimus Indiculi *Pontificalis*, qui scripsit ipse anno ejusdem Æræ CCCLIV. sub Pontifice *Liberio*. Hoc autem spatio *metus* ab *Imperatore* nullus esse potuit, qui *Silvestrum* fugaret in *Soractem*. Jam enim anno, antea quam fieret Pontifex *Silvester*, superiori *Pacem Christianis* Edicto Publico, teste *Lactantio*, (*a*) concesserant *Constantinus* & *Licinius*, *Christi* nimirum CCCXIII. Imo Pontifice (qui *Silvestri* decessor fuerat) *Melchiade*, manifestum se *Christianorum* Patronum professus fuerat *Constantinus*. *Melchiadem* enim ipsum *Judicem* dederat *Constantinus Donatistis* in causa *Cæciliani Carthaginien-*

(*a*) *Lactant.* mort. Pers. c. 48.

sis

sis, & *Felicis Aptungitani.* Eodemque anno in *Acta* Martyrum *Africanorum*, ejusdem Auctoritate quæsitum est, Proconsule *Anulino.* Benevolentissimum autem hunc fuisse constat è tota litis illius Historia, testibus *Optato* atque *Augustino.* Nec ullus erat illis *Silvestri* temporibus, vel *metus*, vel *suspicio* ab *Imperatoribus.* Non ita certe cum scriberet *Commodianus.* Persecutiones ille *nuperas* supponit, quibus ceciderint tum alii, tum ipse quoque *Commodianus* (*b*): ne *tum* quidem *Pacem solidam* fuisse innuit, sed *incertam* atque (*) *subdolam*, quæ *Martyrium* (†) cupientibus *spem* præbuerit, *lapsis* autem spem *veniæ* sc. Confessoribus ministrarent. Nihil ille de *Crucis* victoria, nihil de gloria *Constantini*, nihil de *Miraculis* à *Christo* editis, quæ non *fabulatoribus* tantummodo, sed *gravissimis* Ecclesiæ *Scriptoribus*, qui quidem illis temporibus vixerint, utramque faciunt paginam, *Eusebio* atque *Lactantio.*

Cypriani certe temporibus quam *Silvestri* propiorem multa arguunt. Hoc certe verba *Commodiani* illa:

§. 2. Numerat Auctor annos à Christo *ducentos.* Quod *Cypriani* magis ætatem designat quam *Silvestri.*

(*c*) *Et si parvulitas sic sensit, cur annis ducentis*
Fuistis infantes? Nunquid & semper eritis?

Male hoc in loco ita *Rigaltius*: *Annos ducentos à Christi sæculo numerat, trecentis adhuc currentibus.* Imo *quadringenti* jam in lapsu fuissent, siquam Pontificatus *Silvestri* partem attigisset *Commodianus.* Immanis ita, nec ullo modo ferendus, error fuisset si pro annis *quadringentis* numerasset tantummodo *ducentos.* Scio quidem nondum exploratam fuisse, illis temporibus, Æræ *Christianæ* Chronologiam, nec eam quæ *vera* fuit, nec quæ postea obtinuit hodie *receptissimam.* Nemo tamen tam longe aberravit à

(*b*) Instr. XLIX. 8, 9, 10. (*) Instr. LXVI. 7, 12. LXX. 6. (†) Instr. LVIII. 19. LXII. LXIII. (*c*) Instr. VI. 2, 3.

vero quam necesse est errasse *Commodianum*, si quidem scripserit Pontifice *Silvestro*. *Justinus* (*d*) Martyr annum numerat à *Christo* CL. Æræ *vulgaris* anno forte CXXXVIII. veræ paulo supra annum CXL. *Clemens* (*e*) *Alexandrinus*, cum à morte *Antonii* ad mortem *Commodi* annos supputat, CCXXII. deductis annis XXIX *ante* Æram vulgarem, mors *Commodi* inciderit in annum CXCIII. *Consulatum* nimirum *Probi* & *Falconis*, cum *nocte* antequam illi *Consules* inirent, ipse cæderetur. Hæc vero propiora quam cum alibi ab *Antonii* cæde annos CCXXV. *Tertullianus* eodem adversus *Nationes* (*f*) Opere nunc annos à *Christo* censet CCL. nunc CCC. Immani profecto errore, non tamen tanto quanto *Commodianus*, pro sententia *Rigaltii*. Idem (*g*) alibi à S. *Pauli* temporibus, quæ, ni fallor, arcessit à *Neronis* seu *initio*, seu *fine*, annos habet CLX. Propius ad veritatem accedunt Auctor Anonymus, qui XIII. anno *Alexandri Severi* opus suum exaravit, & *Paschalis Cycli* Auctor à Cl. μαγδείτη *Oxonienſi Fello* editus in calce S. *Cypriani*. Melius adhuc illi qui illo Seculo scripserunt quo vult *Commodianum* scripsisse *Rigaltius*. *Trecentos* Epochæ *Christianæ* annos fuisse scribit *Arnobius* (*h*), qui tamen antea scripsit quam *Christianam* Religionem profiteretur *Constantinus*, aut *Pontificatum* accepisset *Silvester*. *Eusebius* (*i*) Persecutionem *Diocletiani* anno tribuit CCCV, quæ cœpit anno Æræ *vulgaris* CCCIII. Uterque ante Pontificatum *Silvestri*, annum non *ducentesimum* tantummodo, sed *trecentesimum* etiam *elapsum* agnovit. Conveniunt *Silvestro* juniores, qui tamen de *Temporibus* scripserunt ante *Dionysium Exiguum*, Q. *Julius Hilarion*, *Sulpitius Severus*, & *Oro-*

(*d*) *Justin.* Apolog. II. p. 83. *Col.* 1686. (*e*) *Clem. Al.* Str. I. 337. (*f*) *Tertull.* ad Nat. L. I. c. 7, 9. (*g*) *Tert.* de Monog. c. 3. (*h*) *Arnob.* L. I. (*i*) Vid. Diss. Sing. ad. *Cestrienſ.* de Succeſſ. Pont. *Rom.*

sius.

ſius. Sic nullo modo veriſimile eſt ita *ætatem* ſuam deſignaturum fuiſſe *Commodianum* ſi quidem ſcripſiſſet, uti hactenus credidimus Pontifice *Silveſtro.*

§. 3. Quæ habet de *Schiſmatibus* & *Perſecutionibus*, ad tempora *Cypriani* ſpectant.

Sed & alia quoque *Commodiani*, quæ *Temporis* notæ ſunt, *Cypriani* melius temporibus conveniunt, quam *Silveſtri. Perſecutiones*, de quibus loquitur, *nuperas* ita deſcribit, ut fere eadem omnia in illis fuiſſe innuat, quæ in ſuis docet fuiſſe *Cyprianus. Martyrum* (*k*) nomen ſimiliter ut *Cyprianus*, pro *Confeſſoribus* uſurpat *Commodianus.* Monetque illos ne *fratres odio tollerent*, ne *fratri lites protenderent.* Id ſi facerent, *deſtrui Martyrium*, nec *ſanguine fuſo malum expiari* docet; ſed nec *ſecundum* ſupereſſe quo poſſit *macula* illa elui, *Baptiſmum.* Huc enim ſpectant illa:

Semel es lotus, nunquid poteris denuo mergi?

Poſſunt illa quidem de *ſimultatibus* intelligi *privatis.* Melius tamen, ni fallor, ad *Schiſmata* referenda erunt, *Communioniſque* publicæ *ſolutionem.* Sic enim de *amore fraterno* in Catholica Epiſtola S. *Joannes* Apoſtolus, cum *amorem* illum *fratrum*, quem pro argumento *vitæ* habet, conſimiliter & ipſe eundem cenſet cum κοινωνία. Et ſane *Schiſmatum* ipſe diſertis verbis aliquoties meminit *Commodianus.* Pro eadem ſententia *Cyprianus* etiam ipſe *Schiſmata Martyrum* vel *Martyrio* ipſo purgari poſſe negat. Quod *fugam* ſuadeat potius quam *lapſum Commodianus*, (*l*) ea quoque *Cyprianicarum Perſecutionum* nota erat, quibus ſævientibus, (contra quam volebant *Montaniſtæ*) Deo Auctore fugerent *Cyprianus* ipſe, *Gregorius Thaumaturgus*, & *Dionyſius Alexandrinus*, ſummi omnes in Eccleſia nominis, ut *fugæ* in *Perſecutione* Auctoritatem ipſa *loci*, quem tenebant, cele-

(*k*) Inſtr. XVII. & XLVIII. (*l*) Inſtr. L.

britate

britate conciliarent, uti alibi (*m*) observavimus. Porro *infantes* Persecutione, fugientibus parentibus, occupatos observavit *Commodianus* (*n*). Vix dubitare possum, quin illud ipsum exemplum cujus meminit in suo de *Lapsis* libro *Cyprianus*, noster habuerit ob oculos. Nominibus ipsis *infantis* & *parvuli* usus est *Cyprianus*. Etiam *parentibus* metu fugientibus proditam testatur ille, cujus meminit, puellam. Et ne quidem illam peccantis ætatulam excusandam censet *Commodianus*, sed ad *Parentum* pœnam spectare illud arbitratur mentis non male conscię piaculum. Cur, quæso, nisi quia illo, quod coram Ecclesia universa editum testatur *Cyprianus* miraculo, docuerat Deus sibi displicere *Sacrificiorum*, in tantilla *ætate* labem? Scio quidem *puellam* fuisse, & quidem *unicam*, quam memorat *Cyprianus*, cum tamen *infantes parvulos*, & *plures*, & *mares*, memoret *Commodianus*. Sed quanquam *unica* fuerit in qua Deus *miraculum* ediderit, non tamen proinde negavit *Cyprianus plures* fuisse ad quos *lapsus* ipse pertinuerit. Et numerum sæpe *pluralem* adhibemus cum *unicum* duntaxat intelligimus. Sic in uno Evangelista *latrones* Domino exprobrasse legimus quod nihilominus Evangelista alius ab *unico* admissum esse testatur. Duplices præterea desertores distinguit Commodianus (*o*), *alium nequam*, *alium qui in parte recedebat*. Hos *Turificatores* & *Libellatores* credidit *Rigaltius*. Id si verum, nota esset habenda Persecutionum *Cyprianicarum*. *Libellaticos* enim in Persecutione *Diocletianea* nullos legimus. Nec verisimile est concessam fuisse *Christianis* illam sub *Diocletiano* indulgentiam, ut qui *ipsi* non sacrificaverant *libellis* falso testimonio datis pro *sacrificantibus* haberentur. Erant tamen *lapsi Diocletianei*, ipsi

(*m*) Diss. *Cypr.* XI. 55. (*n*) Instr. LI. (*o*) Instr. LII.

quoque

quoque duplices *Turificatores* scilicet & *Traditores*. Priores *Religionis* ipsius proditores recte *nequitiæ*; posteriores *recessus* in *parte* recte potuit incusare *Commodianus*. Quare ex his verbis colligere non possumus, fuerint necne, quo tempore vixit *Commodianus*, *Libellatici*. Vix tamen puto seu *Libellaticos*, seu *Traditores*, à *nequitia* excusare *Commodianum*. Imo ipse quos in *parte recessisse* ait, ita alibi describit, ut illos intelligere potius videatur, qui à *Synaxibus* duntaxat abstinerent. Metu nimirum ne *Christiani* haberentur. Huc enim illa videntur esse referenda:

(*p*) *Vult vagus errare sine disciplina profugus,*
Grassari per fauces viarum lege solutus.

Hoc ille reprehendit, nimirum quod *extra Ecclesiam* vagarentur, *lege Domini*, & *Ecclesiæ disciplina soluti*. Hos, ni fallor, *ubique paratos* appellat, Instr. XXIII. Hos, *inter utrumque viventes*, Instr. XXIV. Hos, *timentes*, & *non credentes*, Instr. XXV. Hos, *sine freno vagantes*, Instr. XXVI. 2. Ideo *Pœnitentibus* ipsis suadet, ne à *matre longe discederent*, Instr. XLIX. Ideo *Gentilibus* bene proculdubio in *Ecclesiam* animatis, ne etiam ipsi *in Ecclesiam ingredi cunctarentur*, Instr. XXXIII. XXXIV. *Timidos* hosce etiam *Christianos Dissimulatores* appellat, Instr. LVI. Et *steriles* qui *lolii instar*, *messis tempore à fructu separandi essent*, Instr. LV. *Dissimulandi* autem seu *metuendi* sub *Silvestro* aut *Constantino*, causa erat plane nulla. Idem *laborem imminere armis*, & *agonia fuisse propinqua*, testatur, Instr. LIII. quibus τὰ ἥπτων possent ἀναμαχεῖν. Quæ certe omnia à temporibus *Silvestri* erant alienissima.

§. 4. Alia *Commodiano* communia atque S. *Cypriano*.

Scripsit præterea adversus *Judæos Cyprianus* Libris ad *Quirinum*. Et noster similiter in *illos* invehitur *Commodianus*,

(*p*) Instr. LIV.

modianus, Inſtr. XXXVIII, XXXIX, XL. Cultum *mulierum* nimium juſto *Opere* reprehendit *Cyprianus*, eundemque vitio dat *Commodianus* in *matronis*, Inſtr. LIX, LX. Idem *Cyprianus* de *Lapſis*, de *Zelo* & *Livore*, de *Diſciplina*, de *Oratione* ſingularibus egit voluminibus. Sequitur illum *Commodianus*, de *Lapſis*, Inſtr. XLIX, L. de *Zelo*, Inſtr. LXIV. de *Diſciplina*, locis illis omnibus quibus *vagos* omnes ad jugum *Chriſti* ſuſcipiendum hortatur, & *fratres* in *Eccleſiæ* ſeptis agentes ad *Profeſſionis* ſtudium accendit, *Catechumenos*, *Fideles*, *Pœnitentes*, *Matronas*, *Rectores*, *Diaconos*, *Clericos*, *Pauperes*, *Divites*, *Fabuloſos*, *Ebrioſos*; etiam *Deſertores*, atque *Diſſimulatores*. *Orantem* denique pariter atque *Cyprianus* ipſe etiam inſtruit, Inſtr. LXXIX. *Commodianus*. Sic *Martyris* cupiditatem nimiam reprimit inſtituitque *Cyprianus*. Sic *funerum* pompam redarguit, nimiumque pro propinquis fidelibus in *Eccleſiæ* pace defunctis *luctum*. Nec alienus eſt à tanti Martyris exemplo, hac etiam ex parte, noſter. De *Martyris zelo* agit Inſtr. LXII. LXIII. de *funerum pompa* Inſtr. LXXIV. de *filiis non lugendis* Inſtr. LXXIII. *Schiſmaticorum* factiones pro *Perſecutione* habet *Cyprianus*. Precipue vero *Novatianorum*, qui *zelum* præ ſe ferebant in *lapſos*, atque eximiam quandam proinde ſanctimoniam, cum tamen ipſi *morum* flagitiis obnoxii *ſcandalum* darent, ut docet *Cyprianus*. Quam illis gemina noſtri illa!

(q) *Diſpoſitum tempus venit noſtris. Pax eſt in orbe;*
Et ruina ſimul blandiente Seculo premit
Præcipitis Populi, quem in Schiſma *miſiſtis,*
Aut facite legem Civitatis, aut exite de illa.
Conſpicitis ſtipulam *cohærentem in oculis noſtris,*
Et veſtris in oculis non vultis cernere trabem.
Subdola Pax vobis venit, Perſecutio *flagrat.*

(q) Inſtr. LXVI.

Statum

Statum rerum eundem ſcribente *Commodiano* illa arguunt, qui erat etiam ſcribente *Cypriano.* Dogmata communia non moror quæ poterant è *communibus fontibus* hauriri.

§. 5. Non tamen arguunt *ducenti* illi à Chriſto *anni Cypriano* antiquiorem fuiſſe *Commodianum.*

Utcunque tamen *ducenti* illi *anni* ita intelligi non poterunt, quaſi *Cypriano Commodianus* fuerit *antiquior.* Ipſam illam ſententiam quæ *fugæ* in *Perſecutione* favebat, *Cypriano* antiquiorem non fuiſſe jam oſtendimus. Damnabant illam certe *Montaniſtæ.* Et cum *ſecederent,* (*Deo* licet *Auctore,*) hac ipſa *Decii* Perſecutione *Cyprianus* atque *Dionyſius Alexandrinus,* vulgi tamen Catholicorum opinione tam adverſa id fecerunt, ut propterea male audirent, ſuamque adeo exiſtimationem ea labe purgandam cenſerent. Nondum ergo *tutum* erat *fugam probare,* tam longe aberat ut *fugam ſuaderent,* quod facit nihilominus ſecure *Commodianus.* Scripſerit igitur oportet cum jam, præter *Oracula* illa *Divina,* tantorum etiam virorum *exempla* fugæ *Auctoritatem* quandam conciliaviſſent. Idem etiam exinde colligitur, quod *Pœnitentibus* veniam polliceatur, ea tamen lege ſi *à* (*r*) *matre* [Eccleſia] *non longe diſcederent.* Erant ergo, cum ſcriberet *Commodianus,* qui de *Pœnitentium* venia *deſperarent*; imo qui hac ipſa de *cauſa,* & quidem *longe,* ab *Eccleſia diſcederent.* Hos autem cur dubitemus fuiſſe *Novatianos?* Non me quidem fugit, etiam à *Tertulliano* hoc idem Catholicis objectum, quod fuerint *in prælio damnæ,* quod *fugam* omnem ne tum quidem Catholici *improbarint.* Idque apparet ex illis Scripturæ locis, quibus, cum à *Catholicis* objicerentur, reſpondendum cenſuit ipſe *Tertullianus.* Poterant etiam ita intelligi verba illa *non longe,* ut quanquam ab *Eccleſiæ* Communione *alieni* eſſent, dum ſpatium

(*r*) Inſtr. XLIX.

Pœnitentiæ deſtinatum peregiſſent, non tamen *longe* ab ea aberrarent *fræna diſciplinæ laxantes Lapſi*, curamque ſui atque Diſciplinæ Eccleſiaſticæ omnem projicientes, quod ſane in proclivi erat *delicatis* & à Pœnitentiæ *aſperitate* abhorrentibus. Hæc autem non incongrue dici poterant, etiam *ante* ortum *Novatiani*. Sed *Schiſma* (*f*) noſter memorat hoc, ut videtur, nomine conflatum, quod niſi *Novatianorum* fuerit, neſcio ſane quodnam aliud eſſe potuerit, niſi *Montaniſtarum* aut *Tertullianeorum*. Imo in *Africa* nullum aliud fuiſſe videtur *Montaniſtarum Schiſma*, antequam ſeſe *Tertullianus* ab Eccleſiæ *Communione* ſejungeret. *Tertulliani* enim nomine, non *Montani*, cenſentur ab *Auguſtino* Libro de *Hæreſibus*, tum tamen penitus extincti *Schiſmatici* cum ſcriberet *Auguſtinus*. Sed tot *Cyprianicarum Perſecutionum*, quas dedimus, notæ id potius ſuadent ut ad *Novatianos*, & ad fugam *Cypriani*, *Dionyſii*, *Gregorii Thaumaturgi*, exemplis comprobatam, verba *Commodiani* referamus. Convenit etiam his temporibus ars illa *Acroſtichorum* ſimpliciſſima, qua utitur *Commodianus*. *Conſtantini* temporibus & *Silveſtri* ſcripſit *Porphyrius Optatianus* longe, quam ſit noſter, in id genus tricis, operoſior. Vel inde facile colligimus, *juniorem* fuiſſe *Commodiano Porphyrium*, qui tum ſcripſit, cum magnos jam *progreſſus* feciſſet ars illa *Acroſtichorum* (ſi ſit tamen *Ars* appellanda) quæ fuerat ſub *Commodiano* ſimpliciſſima. *Chriſtianos Sibylliſtas* appellaverat *Origene* paulo ſenior *Celſus*, quod ſcilicet tum fuerint *Sibyllinorum* Oraculorum, quam antea, ſtudioſiores. Sed vero in *Sibyllis Acroſtichos* obſervaverat in Libro de *Divinatione Cicero*. Inſignes autem erant imprimis in *Sibyllinis Chriſtianis* verſus illi, quorum ex *Acroſtichis* verba illa naſcerentur Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ,

(*f*) Inſtr. LXVI.

quos

quos tamen primus obſervavit *Silveſtro* coævus Imperator ipſe *Conſtantinus* (*t*). Inde conſtat *ipſos* etiam *Conſtantino* fuiſſe *antiquiores*. Inde manavit, ni fallor, in *Eccleſiam* mos ille *Acroſtichorum*, quem primus, vel certe inter primos, imitatus fuerit *Commodianus*.

§. 6. Nihil de *Silveſtro Epiſcopo* habet *Commodianus*, ſed de *Gentilibus* loquitur ſub Metaphora *Taurorum ſilveſtrium*.

Sed vero de *Silveſtro* manifeſta creduntur *Commodiani* verba illa in Editione *Rigaltiana*. Inſtr. XXXIII.

Intrate ſtabiles Silveſtri ad præſepe paſtoris.

Sed nimia profecto *licentia* uſus eſt in hoc verſu concinnando *Rigaltius*. Apographi enim *Sirmondiani* verba ita ſe habere ipſe teſtatur:

Intrate ſtabilis ſilveſtri ad præſepia tauri.

Vocem *paſtoris* è verſu primo huc tranſtulit, quæ nulla prorſus hoc in loco apparebat in *Apographo*. Propius huic ipſi Lectioni, & minori *licentia*, ita potius ſcribendum exiſtimamus:

Intrate ſtabula ſilveſtres ad præſepia tauri.

Nempe *Gentiles* nondum *baptizatos jumentis* confert. Quod ſcilicet νοῦν non haberent, Pſ. XLIX. 20. Sic enim appellantur *jumenta* ἄλογα, quaſi λόγῳ deſtituta. Et *jumenta* ſic deſcribit Regius Pſaltes, *quibus non eſt intellectus*. Plane ut in agro *Nabuchodonoſorus*, figura quidem *humana*, ſed mente *brutali*. Πνεῦμα enim à ψυχῇ ita diſtinguit S. Apoſtolus, ut ὁλόκληρον ἄνθρωπον eſſe non cenſeat, ni accedat πνεῦμα. Πνεῦμα autem *Chriſtiani Baptiſmatis Chriſtiani* proprium exiſtimabant. Et ſane ut alias *ideas* omnes, ſic *hominem* etiam *Idealem*, ſeu αὐτοάνθρωπον in λόγῳ conſtituebant *Platonici*. Ut proinde qui λόγῳ *alieni* erant, eos ne quidem pro *hominibus* haberent, quod ſcilicet deeſſet *homo* ille quem illi ἐσώθεν exiſtimabant. *Archetypis* enim omnibus ἐσώσοιν aſſignabant. Vel inde conſtat quam congrue

(*t*) Orat. ad Sanct. cœt.

ita loquatur *Commodianus*, cum formas *Platonicorum* (*u*) imitati fuerint primævi *Chriſtiani*, non modo *proximi* poſt *Apoſtolos*, verumetiam ipſi *Apoſtoli*. Tam longe abſunt (ut hoc obiter obſervem) à vero *Sociniani*, qui quæ *Platonicis* conſentanea ſunt, ea, hoc ipſo nomine, pro vere *Chriſtianis* minime habenda pronunciant. Itaque de *Silveſtro* Epiſcopo ne cogitavit quidem *Commodianus*, ſed gentes ipſas alloquitur ſub Allegoria taurorum *ſilveſtrium*. *Boves* enim in *ſilvis* paſcebant *Romani*, quorum ille morem uſurpat atque ſermonem. Hoc certe obſervavit in *Virgiliano* Indice *Erythræus Bucolicorum* ſcenam perpetuo apud *Latinos* Poetas, *Virgilium* ipſum atque *Lucretium*, non *agros* eſſe, ſed *ſilvas*. Exempla congeſſit *Erythræus*, ex quibus conſtat perpetuum ſibique ſimilem in hoc ſermone ſaltem fuiſſe *Virgilium*. *Gentes* ergo extra Eccleſiæ diſciplinam agentes *Tauris* per *ſilvas* errantibus confert *Commodianus*; eaſdem in *Eccleſiam* admiſſas *Tauris* intra *ſtabula* coactis, & ad *præſepia* clauſis. Sic enim loquitur *Virgilius* (*x*). Erant nimirum in *ſtabulis* Taurorum *præſepia* (*y*), quibus, per leges *Georgicas* (*z*), *Tauri* erant, ne poſt *vaccas* vagarentur, concludendi. Hos ergo *Tauros ſilveſtres gentem ſine paſtore ferocem* appellat *Commodianus*. Recte id pro decoro ſermonis *Bucolici*. Ut enim *paſcua* dicuntur etiam *boum*, ſic etiam *Paſtorum* nomine recte venient ipſi quoque *Bubulci*. Ita *Paſtor Siculus Virgilio* (*a*) appellatur, quem imitatur ipſe in *Bucolicis Theocritus*. Sic alibi ſæpe. Eſtque ſane *ferocia*, primaria ſua ſignificatione, *quadrupedum*. Eo retulit *Nonius* verba illa *Terentii* in *Eunucho*:

Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?

(*u*) Vid. Proleg. Ap. ad Dom. *Stearn.* de Obſtinat. (*x*) Georg. L. III. v. 214. (*y*) Eclog. VII. v. 39. (*z*) *Commod.* Inſtr. XXXIII. v. 1. (*a*) Eclog. X. v. 51.

Præ-

Præcipue vero nondum *domitorum*, nec *jugo* aſſuetorum, quales eſſe ſolent qui in *ſilvis* vagantur ſegreges, nulla *Paſtorum* cura exculti, qui gregum armentorumque una paſcentium curam communem gerunt. De his Inſtr. XXXIV. 1. *Indomita cervix reſpuit jugum ferre laboris.* Hos *beſtios errantes* appellat ibidem v. 17. ut *maſculini ſexus* (quales erant *tauri*) *beſtiæ* proinde intelligendæ ſint. *Homines* autem *beſtiarum* metaphora intelligi illa docent: *Gens homo, tu, frater, noli genus eſſe ferinum* v. 5. Atque iterum illa: *Non utique pecus, nec beſtia es, ſed homo, natus. Tu te ipſe doma ſapiens, & intra ſub arma*, v. 7. 8. Hinc manifeſtum eſt recte nos *Apographi* lectionem ſervaſſe, ut *Tauros* hoſce *Metaphoricos* allocutus fuerit *Commodianus*. Iiſdem ergo Argumentis ſuadet ut *Eccleſiam* Gentiles ingrederentur, quibus plerunque fit ut *Tauri* etiam ſe in *ſtabula*, & ad *præſepia* recipiant. *Bellaris*, inquit Inſtr. XXXIII. 8. *Bellatur ibi*, Inſtr. XXXIV. 12. Quam apte hic reſpondent *Virgiliana* illa?

(*b*) *Paſcitur in magna ſilva formoſa juvenca:*
Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,
Verſaque in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu, reboant ſilvæque, & magnus Olympus.
Nec mos bellantes una ſtabulare; ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris; tum quos amiſit inultus amores:
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.

Amorum bella illa facit *Virgilius*. Inde *Commodiani* illa;

Bellatur ibi, dein cantatur pro Pſalmis amor, Inſtr. XXXIV. 12.

Hæ *gentium* ſunt *concupiſcentiæ* & *libidines*, quarum meminit Apoſtolus, poſtea à *converſis* omni ſtudio

(*b*) Georg. L. III. v. 219.

&

& conatu fugiendæ. Nec *boum* omnium illæ sunt *libidines* quæ ad *bellandum* accendunt, sed præcipue *Taurorum.* Monet autem Gentiles *Commodianus* ne velint *pecus esse ferinum.* Instr. XXXIV. 5. Quod quo pacto fieri possit, his verbis docuit:

Nunc ideo Domini figuram sumite vestri, Instr. XXXIII. 3.

Nempe si *renovarentur spiritu mentis suæ.* Hoc enim idem esse quod φορεῖν εἰκόνα *hominis cœlestis* seu Λόγου (qui *Dominus de Cœlo*) idem alibi docet Apostolus. Sic enim fieret ne *Bruti* amplius censeri possent, qui *mente capti* habentur. Hunc autem *Spiritum* in *Baptismo* dari jam diximus. Monet præterea, ne amplius essent ad modum *silvestrium Taurorum indomiti*: *Tu te ipse* (inquit) *doma sapiens, & intra sub arma,* Instr. XXXIV. 8. quæ male ad arma *Christi* militaria retulit *Rigaltius.* Imo *arma* illa potius eo consilio induenda censet, ne amplius, ut olim, *bellarentur. Arma* illa Rei *Rusticæ* erant quæ *duris agrestibus* tribuit *Virgilius* (*c*), quæque alibi *Cerealia arma* (*d*) appellat, quo sensu cujuscunque *Artis* instrumenta *Arma* appellantur, ut observant ad loca illa Poetæ *Servius*, aliique. Ergo *armorum* nomine *jugum Christi* intelligit *Commodianus.* His enim *armis* domandi erant *Tauri silvestres.* Sic omnia optime cohærent si non de *Silvestro Episcopo*, sed de *Tauris silvestribus* verba *Commodiani* intelligantur.

§ 7. Ad *Silvestrum Episcopum* ne quidem *possunt* referri verba *Commodiani.*

Idem etiam exinde colligitur, quod de *silvarum* periculo tot apud eundem monita occurrant. Mox à verbis illis quibus *Silvestri pastoris* mentionem factam credidit *Rigaltius*, verba illa sequuntur:

Latronibus tuti sub regia tecta manentes
In silva lupi sunt, ideo refugite sub antro.

(*c*) *Virg.* Georg. L. I. p. 160. &c. (*d*) *Virg.* Æn. I v. 177.

Optime

Optime *ſilveſtres tauros* monet, ne in *ſilvis* morarentur propter *ſilvarum periculum*. Peſſime ut ad *Silveſtrum paſtorem* ſeſe conferrent, ſi ad *illius* nomen facta illa fuiſſet *Paronomaſia*. Sed manifeſta omnia & facilia ſunt, ſi ad *Bucolicorum* idioma exigantur. In *ſilvis* periculum erat à *latronibus* & à *lupis*. Ideo ad *tecta* confugiendum erat, quæ *Regia* appellat *Commodianus*, quod *Chriſtum* ille *Regem* vocare ſoleat, *Diabolum* autem, vel *Antichriſtum*, *latronum luporumque Principem*, aliquando *tyrannum*, aliquando *Regem barbarum*. Sub *tecto* autem, & ſub *antro*, nullus erat ſive à *latrone*, ſive à *lupo*, metus. Fruſtra autem ad fabuloſas *Silveſtri* in monte *Soracte* latebras *antrum* hoc retulit *Rigaltius*. Nec enim *latebrarum*, ſed *tutelæ*, nomine *antrum* commendat *Commodianus*. Eſtque *antrorum* hic uſus apud Scriptores *Bucolicos* ſatis frequens. Si *Solis* ardor moleſtus eſſet, aut ſi *imbres* ingruerent vel *procellæ*, huc ſe ſolebant recipere *Paſtores*. Etiam *armenta* & *greges* huc agebant, ſi immineret, ſive *latrones*, ſive *lupi*. Erant enim in *antris* ſtabula & præſepia jumentorum uſibus parata, ut ſupponit *Commodianus*. Sic *oves antro* clauſit *Polyphemus*. Ita *Virgilius* (*e*):

——— *cavo Polyphemus in antro*
Lanigeras claudit pecudes.

Sic etiam *Cacus boves*. Ita enim idem Poeta (*f*):

Reddidit ima boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.

Sic alibi noſter ipſe *Commodianus*, Inſt. XIII. 7. 8.

Vertebatque boves alienos ſemper in antris,
Sicut & Cacus Vulcani filius ille.

Sic & alii qui illarum fabularum meminerunt Mythologi. Habebant enim *antra* fores & repagula quibus *latronum luporumque* aditus arceretur, ut è fabula *Polyphemi* conſtat. Erat quidem illis temporibus alia

(*e*) Æn. III. v. 641. (*f*) Æn. VIII. v. 217.

etiam

etiam cauſa cur *Eccleſiæ antra* appellari poſſent. Cultum enim vetuſtiſſimum in *montibus* fuiſſe, ſacræ aliquoties literæ teſtantur. Et è *montibus* ſaxoſis *antra* utplurimum exciſa ſunt. Inde factum ut in *montibus* ſacris *antra* ſæpe in *templa* converterentur. Pro illis ſcilicet numinibus quæ *tecta* permittebant, nec ſub *dio* colebantur. Templa certe *Mithræ* omnia, etiam quæ revera talia non erant, *antra* tamen atque *ſpelæa* appellabantur. Nec erant hæc aliena fortaſſe à temporibus *Commodiani*. Seceſſit in *montem* ipſe *Dominus* ut *oraret*. Idem fecit Apoſtolicus *Hermas* presbyter Eccleſiæ *Romanæ*. Et Schiſmatici *Carthaginienſes* à ſua Communione in *monte* illos arcebant, qui communicabant cum S. *Cypriano*. Idem *Romæ* fecere *Donatiſtæ* qui *Victori Garbienſi* favebant. Inde, ni fallor, ortus *Romæ* Subterraneæ *Altaribus* atque *Oratoriis* frequentiſſimæ. Ut enim in *templis* verſabantur *Numa*, *Scipio Africanus* major, aliique *ſanctimonia* clari Gentiles; ſic etiam in *antris* & *ſpelæis* & *montibus* ſancti *Judæorum* veteres, quorum meminit Auctor ad *Ebræos* XI. 38. Et eorum deinde exemplo *Chriſtiani* veteres. Fœminam certe ſanctiſſimam, quæ jam annos aliquot *Romæ* in *ſpelunca* egerat, memorat *Palladius*. Inde colligitur quarti Seculi, quo vixit *Palladius*, fine jam receptam illam fuiſſe de *antrorum* ſanctitate opinionem. Idem colligitur è *Prudentio* ejuſdem Seculi Scriptore, cujus ætate magna jam incrementa ceperat *Roma* illa *ſubterranea*. Fruſtra huc *Puticulos* referunt viri Eruditi. *Puticuli* ſub *dio* fuiſſe videntur, hæ autem *ſpeluncæ* ſuperne *tectæ*. *Puticuli ſepulturis* dicati loci, & quidem hominum longe viliſſimorum, *mancipiorum*. *Cadaveribus* autem nihil erat magis *ſanctitati* adverſum, ut ne quidem facile poſſent in *templa* converti, pro receptis illorum temporum opinionibus. *Subterraneæ* autem *Romæ ſpeluncas ſanctitati* fuiſſe dicatas

tas testantur, ipsi parietes *Scripturæ* Historiis jam à *Prudentii* fortasse temporibus ornati, & Christianorum meditationibus sacris aptati. Et quidem, ante *Constantinum*, *Paulum Thebaidis antrum* coluisse per multos annos apparet, si de illo vera tradat *Hieronymus*. Et in *monumento* erat *matrona Ephesina Petroniana* Pudicitiæ venditatrix. Et in *Cœmeteriis* Primævorum *Christianorum* Synaxes fuisse, saltem temporibus *Cypriani*, de eo quoque bona habemus & fide digna monumenta. Erant autem illa plerunque *antra* è *rupibus* excisa. Ita non abhorret à tempore vel loco *Commodiani* ut *Ecclesias antra* appellaret. Hoc tamen in loco rectius verba illius pro *Bucolicorum* sermone intelligenda censeo. Præsertim cum & alibi eadem utatur Allegoria à Re *Rustica* & *Pastoritia*. Sic Instr. XXV. 3.

In silva *manere quæris, ubi latro moratur.*
Tu dicis, Et Ego Dei sum, & foras aberras.

Ingredere jam nunc toties invitatus in aulam. *Aula* hic appellatur quæ alibi *stabulum*, *præsepe*, *antrum*. Nempe καλύβαι *Pastorum* αὐλαὶ *Græcis* & ἐπαύλεις. Inde ἀγραυλεῖν *pernoctari* in *agris* inter *pecudes*. Ad *credentes* enim in *Christum* Gentiles, qui tamen *Ecclesiæ* septa ingredi per *baptismum* detrectarent, scribit ista *Commodianus*, de *silvæ* periculo à *latronibus* similiter hoc in loco monens. In eandem sententiam rursus illa habet Instr. XLVIII. 1.

Falluntur volucres, & silvarum bestiæ silvis.

Pro eadem loquendi forma *silvarum bestias* hoc in loco vocat, quas nostro in quo versamur, *silvestres tauros*. Perperam autem ad *Silvestrum pastorem* quis retulerit. Sic enim procederet Argumentatio, ad *Silvestrum pastorem* Gentiles sese conferre oportere, propterea quod in *silvis* à *lupis* metus & *latronibus* immineret. Quod sane esset ridiculum. Hinc sane constat ad *Silvestrum pastorem* referri hæc ne quidem

potuisse, quæ tamen hactenus ad illum retulerint Eruditi.

§. 8. Defenditur nostra *Commodiani emendatio.* Quod ergo pro *stabulis*, *stabula* reposuerimus, vix dubitari posse censeo quin Auctoris mentem attigerim, cum tot locis *tauros* cum *stabulis* conjunxerint similiter Scriptores *Bucolici*. Paulo majus est discrimen quod pro *silvestri* scripserimus *silvestres*. Quid si ergo emendaverimus *silvestris*? Ita nimirum ut non *gignendi* casus *singularis*, sed *rectus pluralis* intelligatur pro veterum *silvestreis*. Sic unica litera defecerit, qui quidem error fuerit longe facillimus. Et quidem ita perpetuo voces istiusmodi concipit Editio *Virgilii* nitidissima Cl. *Nicolai Heinsii*. Nec temere, sed præeuntibus *MSS.* Firmat etiam *Priscianus* L. VII. Sic etiam ipse *Commodianus* pro *Genesseis* habet *Genesis* Instr. XVI. 2. Quod si ne hoc quidem placeat, quid si *silvestri* pro *Nominativo plurali Masculino* usurparit *Commodianus*? Non esset sane cur hoc in illo miremur, qui toties alibi tam duros atque insolitos *Metaplasmos* usurparit. Legimus in illo *bestius*, *escum*, *ignominium*, &c. Placet tamen potius ut legatur *silvestris*, sensu modo explicato.

§. 9. De *Commodiano* ipso nonnulla. Restat jam ut de *Commodiano* ipso pauca subjungamus. Quod ergo fuerit olim *Gentilis*, hoc alii observarunt. Hoc ipse de se multis in locis agnoscit Præf. v. 4. Instr. VII. 21. VIII. 2. XXVI. 24. XXXIII. 2. Imo *Parentibus Gentilibus* oriundus. Id innuunt verba illius illa, Præf. v. 4, 5.

Ego similiter erravi tempore multo
Fana prosequendo, Parentibus insciis ipsis.

Ipse *sibi* Conversionis Auctor dum *sacrarum literarum* studio incumberet. Sic enim ibidem sequitur:

Abstuli me tandem inde, legendo de Lege.

Ea enim fere apud illum *Legis* significatio, uti etiam

apud

apud alios *Commodiani* ævo proximos. Civem fuisse ex illis verbis colligo:

Testificor Dominum, doleo pro Civica *turba.*

Sic enim interpungenda censeo. Non ut placet *Rigaltio*: *doleo. pro Civica turba*! Dolet nimirum pro *suæ* conditionis hominibus, *erroris antiqui* sociis. Sic alibi Instr. XXII. 1. *Heu doleo, cives,* &c. & 7. *Libertus* autem fuerit, an *ingenuus*, nihil habet unde discamus. Potius tamen propendeo ut fuerit *ingenuus*. Cum enim *Gentilismum* suum à *Parentibus* arcessit, tales *Parentes* fuisse innuit ut penes illos fuerit illius *institutio*, cum tamen *liberorum* suorum potestatem *servis* non concederent *Romanæ* Leges. Itaque *libertinus* fuerit aut *ingenuus*, vel scilicet *ingenuorum filius* vel ad summum *libertorum*. Potius tamen, ut arbitror, *ingenuus*. Si enim vel minima *Natalium* labe laborasset, qui se *mendicum Christi* profitetur, cum se *Christi servum* vel *libertum*, pro *sacri sermonis* exemplo, professurum, vix sane dubitarem. Cujus autem *Civitatis* fuerit, ne quidem id ex eo manifestum est. Si quidem vera esset *Rigaltii* lectio de *Silvestro Pastore*, *Romanæ* illum *Civitatis*, imo *Urbis* fuisse verisimile esset. Atque ita rem fuisse sentit *Rigaltius*. Perperam tamen illud ad *Romanæ Ecclesiæ* præstantiam spectare arbitratur. Quis enim *Christianus*, cujuscunque demum fuisset & quantumvis *ignobilis Civitatis*, *Gentilem* non fuisset ad *sui Episcopi* Communionem hortaturus? *Afrum* potius, & ex aliqua Civitate *Africana*, Civem fuisse exinde suspicio est, quod tot habeat cum S. *Cypriano* communia. Utcunque tamen, cujuscunque demum *Urbis* in *Imperio Romano* Civis fuerit, jam certe *Romanus* censebatur, & *Romanæ Urbis* Civis, hoc Seculo quo vixit *Commodianus*. *Urbem* enim *Romam* pro *patria* (g) *communi* habet *Censorinus*, qui

(g) *Censorin.* d. Nat. c. 16. ubi vid. *Lindenbrog.*

scripsit anno Ær. *Christi* CCXXXVIII. Nempe juvene *Cypriano.* Jam enim antea Orbem *Romanum universum* Civitate *Romana* donaverat *Caracalla*, ut *centesimas* lucraretur quæ *fisco* debebantur è Testamentis *Civium Romanorum.* Quare quod *Cives* suos *Christianos* fieri cupit, non est quod *unorum mœnium* ambitu votum hoc concludi colligamus. Imo de *Orbe* potius *Romano universo* intelligendus est. Erat ergo, qui *Civis* erat, propterea certe *liber.* Sic tamen ut *capite censis* accenseretur, qui præter *libertatem* nihil habebat cur in *matriculam Civitatis* referretur. Hoc inde elicio, quod se *Mendicum* (*h*) *Christi* appellat atque *Gazæum.* Nempe *Christi Mendicum*, quod *Christianorum* sustentaretur *Eleemosynis*, ut *capite censi*, etiam *Gentiles*, victum habebant è publica Civitatis *annona.* *Gazæum* autem, quod è *Gazo* (sic enim ipse (*i*) *Corbanum* Ecclesiæ appellat) stipem acciperet.

(*h*) Instr. LXXX. (*i*) Instr. LV. 12. LXXII. 14.

Errata in *Appendice.*

In Epist. Ded. ad *Gravium* p. 1. l. 16. pro *proprius* lege *propius.* In I. Dissert. Miscell. p. 2. l. 21. pro couclusit l. conclusit. l. 26. pro Libri l. Liber. p. 3. l. 30. pro *scripsisset.* Libros l. *scripsisset* Libros. p. 4. l. 31. pro *subscriptores* l. *subscriptos.* p. 5. lin. penult. pro habuerit l. habuerint. p. 6. l. 4. pro 128. l. 198. p. 7. l. 31. pro *Suetotonii* l. *Suetonii.* l. 32. pro extitterint l. extiterint. p. 11. l. 19. pro annns l. annus. p. 13. l. 16. pro alterus l. alterius. p. 15. l. 13. pro meminerit l. meminerint. p. 16. l. 18. pro *Christ.* l. *Christ.* In II. Dissert. Miscell. p. 2. l. 14. pro sc. Confessoribus l. si Confessoribus. p. 5. lin. antep. pro sacrificaverant l. sacrificaverant. p. 6. l. 32. pro ἧτταν l. ἧτταν. p. 7. l. 19. pro *Christi* l. *Christi.* l. 17. & 21. pro *Martyris* l. *Martyrii.* l. 25. pro Precipue l. Præcipue.

FINIS.